Opera omnia: De sanitate nempe tuenda commentarii in primum de re medica Aurelii Cornelii Celsi librum; item Observationum medicinalium libri tres; Liber denique de curandis febribus continuis: nunc primum in unum collecta, et accuratissime emendata / [Jodocus Lommius].

Contributors

Lommius, Jodocus, approximately 1500-approximately 1564.

Publication/Creation

Venetiis : T. Bettinelli, 1748.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/c6ga8268


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

33991/B - A.XXIX.Lom



6 leaves
296 pp (badly mutilated 300)
6th Sabbr

62916

JODOCI LOMMII BURANI REIPUBLICÆ NERVIORUM MEDICO-PHYSICI OPERA OMNIA:

De *Sanitate* nempe *Tuenda* Commentarii in primum de *Re Medica* AURELII CORNELII CELSI Librum; item *Observationum Medicinalium* Libri tres; Liber denique de *Curandis Febribus continuis:*

Nunc primum in unum collecta, & accuratissime emendata.



Ex lib. Archangeli Crespellani.

VENETIIS,
CIↃIↃCCXLVIII.

Excudit THOMAS BETTINELLI
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLUSTRISSIMO HEROI

GULIELMO A NASSAU

PRINCIPI AURANTIO,

COMITI BURANO, &c.

Jodocus Lommius Buranus

S. D.

QUos anno ſuperiore de Sanitate tuenda Commentarios tibi, clementiſſime Princeps, manu ſcriptos dicaveram, eos jam typis excuſos ſub auſpicio nominis tui emiſi. Videretur profecto ſerius id a me factum, quam aut tuæ expectationis, aut meæ promiſſionis ratio ferat, niſi hoc opus ſemel remiſſum, & interjectis dein aliquot menſibus ſecundo veluti ad Momi lucernam (ut ſic dixerim) inſpectam judicaſſem parum bene maturuiſſe. In ejus itaque elimationis curam more æmuli lectoris pertinacius intento, labor mihi per ſingulas partes crevit, comperique id minime vanum eſſe quod apud Platonem legitur, δευτέρων ἀμεινόνων. At diſſolvi me tandem hinc, idemque opus etſi non uſquequaque perpolitum, multis tamen in locis caſtigatius feci. Quod quidem nunc feliciter natum credam, ſi ut ſemel fortunatum, tuæ cum placeret Celſitudini, fuit, ita eam in hac nova luce promerebitur vivacitatem, qua ſæpe caruiſſe maximorum etiam virorum monumenta fatali quadam temporum malignitate deprehenſum eſt. Idque vel noſter hic abunde docet AUR. CORNEL. CELSUS tanta ſæculorum pene omnium exercitus injuria, ut paucis lectus, vix ulli intellectus, pleriſque omnibus ne Medicus quidem habitus ſit, vir alioqui (quod confidenter dicam) eminentiſſimus, non ſolum in medendi ſcientia, ſed in iis etiam ſtudiis quæ nomen ſibi ab humanitate vendicant. Cui rei fidem propoſitum facit opus, breve quidem illud, at eximie cum elegans tum eruditum, ſuppellectilem continens raram ac pretioſam ditiſſimos artis Apollineæ theſauros, adeo ut accuratius id intuenti e beatiſſimo illo pectore Hippocratis fluxiſſe res, ſermo ab ipſis formatus Gratiis credatur. Itaque major mihi alacritas, ſtudiumque commentandi majus injectum eſt, quoniam id videbam tanto jure in hoc me authore licere facere, quanto in aliorum veterum ſecundum Hippocratem nemine. At enim vereor, ne, quemadmodum Alexandrum Macedonem non niſi ab unico pingi Apelle, & fingi a Lyſippo fas

erat, ſic ego quoque Latinorum Medicorum primati CELSO parum doctus ſervierim interpres. Verum ignoſcent boni virium imbecillitati mearum, ſi parum pro tanti authoris dignitate præſtitiſſe videbor, favebunt autem benevolo ſtudio, quod humilioribus me rebus accommodans parvos artis tyrones pleniore demeritus ſim officio. Horum enim commodis ut quam maxime ſervirem nulla mihi res ad ſedulitatem defuit. Etſi intelligo conatum hunc meum nonnullis ſuperfluum eſſe videri editis nuper in lucem ante me emendatiſſimis Hieremiæ Brachelii, & Gulielmi Panthini in hunc authorem commentationibus. Euge, bene habet. Prævertit operis editionem invidia, haud leve (uti ſpes eſt) quantulæcunque in eo virtutis omen. Næ iſti cenſores parum intelligunt materiem hic abunde ſuppetere, dignam arte & ingenio multorum, tum ejus eſſe notæ ſcriptorem CELSUM, ut eum commentari nunquam quiſquam plus ſatis poſſit. Jam vero quod bonorum iſtorum me dicunt hoc ſcripto minuiſſe authoritatem, id factum nego. Nuſquam enim quemquam licenter laceſſivi, ubique ſobrie atque humaniter meam ſententiam rebus controverſis interpoſui. Ad quam utique rem non defuit mihi exemplum virorum haud incelebrium, quo exemplo id licere me ſine vituperio facere, quod illi cum gloria fecerunt putavi. Accedit illud quod reticere nullo modo poſſum: libentiſſime hic me a complurium Neoticorum defeciſſe ſcriptionibus, quos non pudet, cum nihil ipſi pro facultate proprii ingenii cudant, aliena turpiter miſcere, & ex veterum ſcriptis bonis nova facere non bona. Hoc, ſi quid a multis aliis revera differam, non tam fas eſt a me nunc dici, quam eruditorum hominum decerni judicio, idque ne contumelioſus eſſe, aut arrogans videar, eorum ſecutus exemplum, qui alienos convellendo labores avare pretium laboribus ſtatuunt ſuis. Sed redeundum ad CELSUM eſt, quem ſane miror jam inde ex tam longo ævo interpretibus carere. GALENUM vero tot otioſis undique onerari Commentariis, authorem haud ita male perſpicuum, ſed & effuſiſſimo quodam ingenii luxu plus ſatis multum, ac mole (quod dicitur) laborantem ſua. Quanto vero glorioſius fuerat, doctam illam priſcæque diſciplinæ æmulam CELSI brevitatem ſcriptis locupletaſſe, neque adeo obſtricte Græcorum faviſſe ſtudiis, ut nulla ſubinde fuerit religio Romanis ingeniis oppedere? Illud a Marco Cicerone dictum ſemper probavi: Omnia Latinos inveniſſe melius quam Græcos, aut ab illis accepta feciſſe meliora. Mitto reliqua, vel hoc certe nomine coli CELSUM oportuit, quod poſthabitis *Diocle*, *Praxagora*, *Herophilo*, *Aſclepiade*, idque genus ſuperiorum temporum Archiatris, totum pene ſe ad unicum applicuerit *Hippocratem*, quem ipſe virum arte facundiaque dicit inſignem & Medicinæ omnis parentem. Simileque veri eſt, eo ipſum magiſtro edoctum, ut cetera omnia, ſic hæc iſta quoque conſervandæ ſanitatis præcepta poſteritati diligentiſſime ſcripta reliquiſſe. Quo minus placet quod fieri hodie a multis video, fidiſſimum hunc valetudinis aſpernantibus cuſtodem, & verſiculos aliquot inconditos, ſcholamque neſcio quam ſequentibus Salernitanam, qua vix ſcio, an quicquam in literis Medicorum inelegantius ſit, aut indoctius. Sed eſt hæc ſtudiorum peſtis optimis

qui-

quibuſque Profeſſoribus non infrequens, ut contemptione ſui laborent, ejuſdemque tanta aliquando vis fuit, ut vel ipſum obliteraſset *Hippocratem*, tanta alioqui doctrinæ fama clarum, niſi jamjam labefienti ſuppetias tuliſſet divinitus miſsus *Galenus*, qui ſub obſcura ejus authoris ſcripta ſubtilius excolens, ſcriptis illuſtravit ſuis, venerabiliaque hominibus ſæculorum omnium effecit. Id exemplum mihi quoque erga CELSUM uſurpare volenti ingens inceſſit cupiditas ruinoſum hunc Authorem ſublevandi, proque ſuo merito ſempiternæ poſterorum conſecrandi memoriæ. Delegi autem primum operis librum ea de cauſa, quod ad plurimos ipſum pertinere ſcirem, ceu optima continentem præcepta tutandæ ſanitatis, ſine qua nihil in vita ſuave ne ipſis quidem eſse Regibus poteſt. Ergo ut primum longos elucubratus labores factus mihi voti compos viſus ſum, cœpi egomet mecum cogitare atque animo circumſpicere unde Herculem mihi aliquem ἀλιξίκακον contra obtrectatorum maledicentiam aſciſcerem, in eaque jam tum deliberatione aliquouſque fluctuantem tua me Celſitudo, Heros Illuſtriſſime, confirmavit, commodiſſima quidem viſa illa, cujus defendi patrocinio, & dignitate ornari noſter libellus poſſit. Magnæ mihi ſeſe rationes obtulerunt nuncupationis hujus. Primoque omnium obverſabatur animo ingentium recordatio beneficiorum, quibus conjugis tuæ clementiſſimæque Principis noſtræ, partim avus felicis memoriæ Florentius ab Ecmonda, partim parens Maximilianus (ambo animis, ambo inſignes præſtantibus auſis) meum piæ recordationis parentem olim affecere, conceſso per omnem Buræ Comitatum Secretarii (quod vocant) officio, quam equidem intuitus beneficentiam partium mearum duxi munuſculo hoc literario (quando alio nequeam) utcumque ſtudere rependere. Quin veniendum ad te potius, generoſiſſime Princeps, qui auſpicatiſſimi connubii fœdere noſter factus, rerum Burenſium habenas, poſt fortes illos viros ipſe fortiſſimus tenes, tuoſque tibi cives tot tantiſque beneficiis indies demereris, ut vel exarſerit mihi hinc animus cupiditate primitias ſtudiorum meorum Amplitudini conſecrandi tuæ. Quod inceptum eo majori voluptati tibi fore confidebam, quo plus valere par erat officium & clientis & civis. Poſtremo haud me feſellit, quantum ornamenti vigiliis his ex præfatione ſit acceſsurum nominis tui; cujus magnificentiam nunquam æſtimare pro merito poſsum, nedum oratione conſequi. Tam enim deſunt ingenio verborum pondera, quam materiæ ingenium deeſt. Quo facilius etiam abſtinebo claritatis tuæ præconiis ſeu infinitis, deficiamque a vulgi ſententia, qui talia vehementer ſuſpicere, pauloque adulantius, uſurpare hoc loco poſset. Illud apprime certum puto, tuas illas nobiliſſimæque familiæ tuæ virtutes adeo jam ubique terrarum ſuis florere laudibus cœpiſse, ut his mea celebratio nihilo plus conciliare ſplendoris poſſit, quam clariſſimæ meridiei. Ipſæ ſiquidem ſic ſunt optimo ſtatu, ut ſublimi oratione qua caremus, nihil ſint accepturæ decoris, vulgari, quæ nobis magis propria, multum videantur amiſsuræ. Vale patriæ decus.

Tornaci Calendis Decembribus, anno poſt natum Chriſtum 1557.

JODO.

JODOCII LOMMII
IN
CORNELIUM CELSUM
PRÆFATIO.

REputarem ego modis omnibus felices litteras ceu veras animorum cultrices, ſtrenuaſque nominis nunquam intermorituri patronas, ſummæ voluptatis, inexhauſtæque plenas illecebræ, ſi non tam iniquos paſſim haberent in ſe judices. Siquidem ita exiſtimo, ut plures ſemper (quod ille ait) malos ſic & indoctos eſſe, qui ea quæ non didicerunt, non ſolum male judicant, ſed etiam odio perſequuntur. Adhæc permultos etiam, qui ſeſe videri eruditos ſtudent, video nihil propemodum quod ipſi non fecerint, probare, aut ſi forte quid in alio laudant, id temerario animi impetu non conſilio facere. Et quid inter hæc quæſo peritioribus accidere moleſtius poteſt, quam tot exhauſtis omni vita laboribus, tanto & roboris corporei, & rei familiaris impendio ingratam poſteritatem juviſſe? Quid vero calamitoſius quam eo rem rediſſe, ut in cultiſſimo illo agro diſciplinarum infelix lolium, & ſteriles dominentur avenæ? Exercuit hæc ſtudiorum peſtis aliquouſque, præcipuæ notæ Medicos Græcos pariter atque Latinos, idque haud ita multis ante nos annis cum ſola coleretur Arabum proſapia, ejuſque princeps (uti prædicant) Avicennas. At vicere tandem barbariem ingenia, ſtudioque hominum quos nuper vidimus, effectum eſt, ut deſertis Arabiæ gravibus Lacunis, ſaluberrimi cœperint Græciæ Latiique fontes peti. Unicus videatur iſti calamitati ſupereſſe Celſus, author ſiquis alius, ut excellentiſſimus, ita ſumma contra ſæculorum pene omnium depreſſus invidia. Nam ſua ætate pauloque poſt deſerte ipſum vixiſſe, hinc ſciri poteſt, quod plerique veterum Literatorem, non Medicum cenſuerint. Sequuntur hos pari invidiæ ſtudio noſtri homines, quibus tuendæ valetudinis cauſa magis video arridere Salernitanorum nugas, quam tanti viri ſalutaria, vetuſtiſſimiſque Sanitatis Profeſſoribus agitata præcepta. Nec deſunt etiam qui Barbarorum aliquem ſequi curandi magiſtrum malunt, quam Celſum Hippocraticæ alumnum diſciplinæ. Scilicet veterum hunc clamitant ingenio fretum non ſua natura, centones undique compilaſſe ſuos, præceptionumque verarum latorem non verum, immortalitatem eloquentia, non arte quæſiſſe. Contendunt alii hoc ejus opus ἄτεχνον eſſe ex Empiricarum obſervationum conflatum farragine, neglectaque actionum Naturalium, & cauſarum latentium quæſtione mutilum. Nimirum hanc artis partem tam alioqui curantibus fructuoſam, quia is ipſe (inquiunt) præteriit, etiam neſciſſe videatur, & ob id ne Medicas quidem eſſe bonus potuiſſe. Alios videas, qui methodum reperiri aliquam in his præceptis negant, confuſis inter ſe (ut ipſi aſſerunt) Medicinæ partibus. Adeo nulla virtus expers calumniarum & invidiæ eſt. Iſtis ego refractariis hac Præfatione reſponſum volo. Incipiam ab iis qui Celſo aſcitis (ut ajunt) aliunde coloribus ſpecioſo furti notam inurunt, nihil ipſum poſteris reliquiſſe arbitrati tanta doctrinæ fama dignum, concinnatorem fuiſſe alienorum bonorum, nihil attuliſſe ſuorum, functum ſcilicet vice cotis, quæ etſi ferrum acuit, exors tamen ipſam ſecandi eſt. Atqui id ita non eſſe, hinc primum intelligas, licet quot tot artis quæſtiones a nemine ante quod conſtet, expeditas ipſe tam erudite, tamque diſerte verſet, dein quod his ipſis unde mutuatus

ſua

ſua videri poſſet authoribus, tot & modis & locis diſſentiat. Scilicet ubi deliberatur debeat necne acute laborantibus puero, ſeni, aut gravidæ mulieri ſanguis per inciſam venam emitti, vel ipſius caſtigavit Hippocratis inutilem metum, intereſſe referens, non quæ ætas ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint. Eſt, ubi nimium conciſe, ne dicam diminute ab eodem authore ſcripta Celſus neceſſariis ſupplevit auctariis, ut hoc loco. Curari (inquit) oculos ſanguinis detractione, balneo, vino, vetuſtiſſimus author Hippocrates memoriæ prodidit. Sed eorum tempora, & cauſas parum explicuit in quibus Medicinæ ſumma eſt. Quid, quod in examine dierum criticorum graviſſime contra Hippocratem perorat, idque jure faciat necne, malo ego injudicatum relinquere, quam impius eſse in parentem artis noſtræ videri. Producam veteres alios quibuſcum ſæpe acris ipſi pugna eſt. Incipiam ab Aſclepiade, quem etſi nominat multarum rerum quas ipſe quoque ſecutus ſit, authorem bonum, in his fere redarguit. Primum, quod vomitus, atque alvi ductionis uſum tanquam inutilem ſanis temere ademerit; parum intelligens quam iſta ſæpe & temporum, & corporum ratio faciat neceſsaria. Dein, quod acute febricitantes, geſtationibus, luce, vigilia, ſiti afflixerit, tortoris potius vicem exhibens quam Medici, cujus tamen eſse officium ipſe alias Aſclepiades dixit, ut tuto, ut celeriter, & jucunde curet. Idem neque cibum febricitantibus recte dedit, quando id, inclinata quidem febre, ſed adhuc tamen inhærente fecerit, ab antiquis deſciſcens, qui acceſſione diutius intermittente, rectius integerrimis corporibus alimentum offerebant. Atque hæc Celſus apud Aſclepiadem notavit. Ab Eraſiſtrato diſsentit in emittenda per ventrem Hydropicorum aqua. Ab Heraclide Tarentino in curanda Quartana. A veteri Cleophanto: quod is in febricitante tempora ſumendi vini male legerit. A methodicarum communitatum repertore Themiſone, quod nullius cauſæ notitiam ad curationem pertinere falſo exiſtimarit. Adeo vero firmis argumentis iſtorum opiniones omnium Celſus convellit, ut locus non ſit aut defendendi quod ab ipſo reprehenſum, aut arguendi, quod defenſum eſt. Quo credibilius eſt eum iſta quidem omnia & probe ſciſſe, & longo artis uſu, ſedulaque veterum lectione, non carptim, non tumultuario didiciſse. At enim Plinium (ſi Diis placet) nobis obtrudunt, qui Celſum authoribus litterarum non Medicinæ Profeſsoribus accenſuit. Næ ipſe quod res eſt judicaſset, ſi cujus notæ alterum falſo inſimulat eam vere in ſe reprehendi poſse intellexiſset. Quis enim hodie paulo doctior neſcit, quam Plinio verba ſuperſint, deſit medendi ſcientia? Sed fefellit hunc manticarum illa Platonicarum altera, quam pone geſtamus noſtrorum plenam vitiorum, altera ante oculos collo ſuſpenſa, quæ aliena continet. Rectius Fabius (me judice) Quintilianus Celſum in Philoſophorum etiam habuit numero, ſupraque rei oratoriæ, militaris, & ruſticæ traditionem, Medicinæ quoque præcepta, literis prodidiſse teſtatus eſt. Venio nunc ad eos qui nihil niſi Empiricum hoc eſse opus contendunt, & omiſſis Naturalibus, hac artis parte mutilum. Atqui (o boni) non erat id Authoris inſtitutum, ut Phyſicum his libellis inſtitueret, ſed ut Medicum, univerſæ naturæ ante prudentem. Ideoque nuda præceptorum traditione contentus, ſimplicem artis ductum ſequi maluit, quam diverticulis impeditam ſequens viam, aliena docere videri, non ſua. Temere enim Medici Phyſiologiam ſibi vendicaverunt ad Profeſsores rerum Naturæ pertinentem, quam credibile eſt non alia de cauſa veterum quoque Medicorum libris agitari cœpiſse, quam quod debilis medendi ars abſque rerum cognitione ſit. Etſi enim ejuſdem eſt, finem ipſum, & quæ finis gratia ſunt cognoſcere: non ideo tamen neceſsario ad unum omnia referuntur diſciplinæ genus. Non coit veluti pars naturalis cum ſcientia Medicinæ, ſed præbet duntaxat neceſsaria, & amica miniſteria. Quælibet enim ars ex notione finis tota

con-

conſtituitur quæ finis in Medicina actionum corporis incolumitas eſt. Eam Celſus hoc toto volumine molitur, Phyſicis ſuperſedens theorematis, quæ ipſa ſeorſim propria comprehenſa ſcientia ſunt. Placuit Galeno utrumque hoc miſcere ſtudium, non placuit Celſo. Tradit elementa literarum Grammaticus, non Orator: viſum tamen eſt Fabio iſta quoque libris oratoriis præfigere, non viſum eſt Tullio. Ducit ſua quemque præcipiendi voluntas: Utque hominis diligentis eſt, nihil quod ad rem quoquomodo facit omittere, ita viciſſim rerum prudentis eſt, quamque artem ſuis adſtringere finibus ad certos relatam Profeſſores. Nam quominus omnia poſſint ab omnibus abſolute præcipi, & immenſitas diſciplinarum, & vitæ brevitas facit. Proin non poteſt noſtri Authoris inſtitutum non probari, qui, ne binis doctrinæ generibus unus diſcentem onoraret magiſter, ſic partienda docentium officia putavit, ut corporis naturam, abditaſque ſcrutari cauſas Profeſſoris rerum Naturæ ſit, ſanitatem tueri incolumem, & amiſſam reddere, Medicinam ſectantis. Fecit hanc veluti propriam Celſus viam, idque ne arcanarum rerum verſando conjecturas, Philoſophi fungeretur officio, non ſuo. Eſt namque ſui quiſque operis artifex utilior. Quocirca ad Sapientiæ ſcholas relegata, elementorum, temperaturarum, caloris innati, ſuccorum, ſpirituum, potentiarum atque actionum indagine, id ſolum hoc opere Celſus egit, quomodo ſecundam Valetudinem tueri, quomodo corrigere adverſam poſſis. Sunt nempe hæc propria Medici officia ad unicum ambo tendentia ſanitatis finem, præcipuumque horum medendi eſt, unde homines jam inde ab initio artem ipſam, Medicinam, & ejus Profeſſorem, Medicum appellaverunt. Eaque inductus cauſa Celſus unicum duntaxat libellum περὶ ὑγιεινῶν, plures περὶθεραπευτικῶν accuratiſſime ſcriptos reliquit. Non aſpernor Phyſiologiam tanquam curanti inutilem, ſed ad alium rejicio Præceptorem. Ejus cognitio neceſſaria quidem Medico, at non propria profeſſio eſt. Rectèque (puto) ſapientiſſimis ante nos viris placuit, optimum aditum ex logica, naturalique ſcientia ad Medicinam eſſe, ibique demum optime incipere Medicum poſſe, ubi idem ante Phyſicus deſiſſet. Atque utinam hodie quoque conſuetudo teneret, ut quemadmodum Plato ἀγεωμέτρητον καὶ ἄμουσον ab auditorio ſuo eliminavit, ſic etiam ἀφυσιολογήτῳ omnis interdicatur acceſſus ad humanæ ſalutis præſidem artem. Didicit (fateor) utramque pariter ſcientiam antiquitas, tum cum Medicina ſapientiæ pars haberetur, idque factum ſcio iiſdem in ſcholis, iiſdemque ſub authoribus Pythagora, Empedocle, & Democrito, qui non contenti more Podalyrii, atque Machaonis, ulcera ac febres agitare, Naturalium quoque ſcientiam edocti Medicinæ annexuerunt. Attamen ſcidit dein ſe ſtudium, magnique Hippocratis induſtria factum eſt, ut certis finibus medendi officium ab ſtudio naturalis ſapientiæ ſejungeretur. Meritoque is ipſe author, per quem authorem ſalutaris hæc nobis profeſſio increvit, & colendus omnibus, & ſedula lectione evolvendus eſt, quod compendio atque arte ſumma utramque tum limitarit, tum excoluerit partem. Ceterum ſicuti hujus exemplo atque teſtimonio idoneus eſſe Medicus, niſi idem protinus & Phyſicus ſit, non poteſt; ita in eum hodie res rediit locum, ut in alterutram partem fere plus juſto ſimus proclives, aliis inani circa naturalia ſtudio ſeneſcentibus, aliis præpropere, illotiſque (ut aiunt) manibus ipſam agitantibus medendi artem, ex quo incidit, ut ii perpetua rerum ignoratione ceu ineluctabili Tyrannide medendo præpediantur, illi cum Philoſophos ſeſe videri impenſe bonos ſtudent, evadant ſubinde Medici non boni. Diviſit Celſus vires profeſſionum harum, ſicut a Philoſophorum ſchola petitis naturæ præceptis Medicina per ſe ſtaret, non ad otioſas illas, etſi jucundas, de rebus diſputationes, ſed ad ipſam actionem ſervandamque ſanitatem comparata. Decuit ſeverior hæc docendi lex majeſtatem Romani Scriptoris, qui ne fines artis ſuæ tranſiret, propriis ſeſe continuit ſeptis, a ſecundæ valetudinis orſus præceptionibus, mox-

que

que ad ipſos progreſſus morbos, horum curationem ratione ac via inſtituit, indicationes ſequens, neque ab ipſa duntaxat ſumptas ægritudine, ut Methodici, communia quædam morborum intuentes, neque ab ancipiti caſuum obſervatione, ut Empirici, quibus morbi inquiſitio extra artem Medicina intra experimentum eſt, ſed ſupra morbum ab ejus quoque evidentibus cauſis, obſcuris non a cogitatione artificis Medici, ſed ab ipſa rejectis arte. Adhæc a viribus corporis (cujus idcirco cognoſci actiones vult) a loci affecti natura, atque ſitu (quare Anatomen quoque propoſuit) itemque ab ætate, ſexu, conſuetudine, vitæ ſtudio, aere, anni tempore, cœli tempeſtatibus & id genus aliis. Cumque Medicina ars quædam ſit tutandi ſanitatem, & morbos depellendi non ſolum ratione, verum etiam uſu comparata, videtur profecto nulla res ad plenam profeſſionem Rationalium, quos vocant, Medicorum, Celſo defuiſſe, qui poſt ſubtilem illam, & a conſilio tractam Medicinam in loco aliquid etiam uſui ipſiſque conceſſit experimentis, tum curioſe huc paſſim inter curandum reſpiciens, tum palam in operis ſui proœmio profeſſus, nihil magis ad medendi rationem ipſa conferre experientia. Non poſſum mihi temperare, quin pleraque eorum, quæ hactenus retuli, adducam ex ipſo authore petita exempla. Ergo ubi de inciſione venarum diſputatur, ante omnia æſtimari vires voluit, adeo ut ſi juvenis (inquit) imbecillis eſt, ſi mulier quæ gravida non eſt, parum valet, male ſanguis emittatur. Idem poſt hæc ipſius intuens morbi ſpeciem, atque cauſam, itemque curandi corporis præſentem diſpoſitionem, & ſedis affectæ poſitum ſic loquitur. Neque ſolum hæc conſideranda ſunt, ſed etiam morbi genus quod ſit, utrum ſuperans, an deficiens materia læſerit, corruptum corpus ſit, an integrum. Et paulo poſt ſic. Mitti ſanguis debet ſi totius corporis cauſa ſit, ex brachio; ſi partis alicujus, ex ea ipſa parte, aut certe quam proxima, quia non ubique mitti poteſt, ſed in temporibus, in brachiis, juxta talos. Jam vero febricitantem nutriens ita ſcribit. Unum illud & ſemper & ubique ſervandum eſt, ut ægri vires ſubinde aſſidens Medicus inſpiciat, & quamdiu ſupererunt, abſtinentia pugnet, ſi imbecillitatem vereri cœperit, cibo ſubveniat. Et paulo ante hæc. Refert, inquit, qualis morbus ſit, quale corpus, quale cœlum, quæ ætas, quod tempus anni. Idem alio quoque loco differre ait pro natura regionum genera Medicinæ, & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia. Ceterum huic parti cum ſatis datum ſit, tranſibo ad eos tandem, qui hoc opus cavillantur, ut inordinatum nullaque digeſtum methodo. Horum ego impudentiam eo moleſtius fero, quo magis religioſe ab Authore ſervatum quod ipſi requirunt, video. Tanto enim artificio partes Medicinæ omnes diſpoſuit, interque ſe appoſite commiſſas devinxit, ut poſt Hippocratem, atque Galenum invincibiles ſæculorum omnium ἰατρονικας, nemo ſit qui ipſi non dicam anteferri, ſed ne conferri quidem jure poſſit. Nempe primo ſtatim libro præcipiens quemadmodum ſanis hominibus agendum ſit (ὑγιεινὴν hanc partem Græci nominant) ſequentibus ipſos agitat morbos primum, quæ corpora his pateant, mox quæ tempora anni, & ætates edocens, ſic ut ex his non ægre colligi multiplex cauſarum genus poſſit. Abſolviturque hoc loco tota (ut Græce dicam) αἰτιλογικὴ. Nam cur Autumnus plurimos opprimat, cauſam refert inæqualem caloris, frigoriſque intemperiem. Idem quod ſenectus longis morbis pateat, frigiditati tribuit, quod juventus acutis tentetur, calori. Ver fuſione ſuccorum, lippitudines, puſtulas, hæmorrhagias, gravedines, & phlegmonas creat. Æſtas febres acutas. Autumnus quartanas facit. Hyems tuſſes, capitis dolores, & viſcerum obſtructiones inducit. Aquilonem tuſſes ſequuntur, horrores, urinæ retentiones. Auſter aures hebetat, ſenſus tardat, caput gravat. Sed modum facio recenſendis morborum evidentibus cauſis, quas

Cel-

Celſus primo ſecundi libri capite late, diſerteque ex Hippocrate propoſuit: At videbitur forte nonnullis Celſus neque ita diſtincte ut Galenus, cauſas primitivas ſeu evidentes deſcripſiſſe, neque ſatis circumſpecte internas ſeu morbum continentes expuliſſe, ceu inidoneas unde curationis peti conſilium poſſit. Primum facile donaverim, alterum non omnino. Neque enim pro iiſdem, puto, cauſis habendæ ſunt, quas Galenus προηγουμένας, Celſus evidentes vocat: ille enim tales duntaxat reputat externas, hic non has modo, ſed illas etiam omnes, quæ quoquo modo explorari, & certæ fieri Medico poſſunt. Nempe ſæpe cruditatem Celſus eſt intuitus, ſæpe ſuccorum vitium, ex urina, dejectione, aut vomitu, animadverſum, & inde curandi vias traxit. Tametſi ſcio quam plurimarum cauſarum latentium notitiam Galeno fuiſſe, quæ Celſo defuit. Atqui id minime mirum, cum certa res ſit multos poſt Galenum etiam extitiſſe, noſtramque ſecuturos memoriam, qui indies magis magiſque cumulata abditarum cauſarum præſtent notitia. Alias invenit Hippocrates, alias Diocles, alias Galenus, nec parum multas amicus noſter Fernelius. Semper enim adjicitur aliquid inventis majorum. Præterea latentia hæc minoris facit Celſus, non rejicit, extra artem eſſe vult, non extra artificis cogitationem. Plus in iis ſtatuit probabilitatis, minus ἀποδείξεως. Quæ ſane opinio haud uſquequaque abſurda Celſo, cum ejus ſæculi doctis fuit communis, qui in reconditis naturæ cauſis, nihil ſatis firmi videbant, earumque incomprehenſibilem eſſe quæſtionem ex eorum judicabant diſcordia, qui de his diſputarunt. Nam quæ cauſæ intus ſanitatem præſtent, quæ morbos excitent, quo modo cibus concoquatur, quomodo trahatur ſpiritus conjectura, ipſi non ſcientia comprehenderunt. Cujus autem rei (inquit Celſus) non eſt certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non poteſt. Cur enim id temporis potius crediderit aliquis Hippocrati, qui cibum dixit calore naturæ concoqui, quam aut Eraſiſtrato, qui atteri putavit, aut Pliſtonico, qui putreſcere. Cur fidem magis quis derogaverit Ariſtotelis genero Eraſiſtrato, qui febres oriri cenſuit transfuſo in arterias ſanguine, quam Hippocrati, qui id tribuit accenſo in corde peregrino calori? Si ſequendæ rationes eſſent, ſingulorum exiſtimabant eſſe non improbabiles; ſi authoritatem, omnium videri juxta gravem; ſi curationes, permultos ægros ab aliis fuiſſe ſervatos, quos Hippocratis aſſeclæ diu tractos non expedierant. Hac re animadverſa pluris eſſe Celſus deputavit, manifeſtas tantummodo cauſas intueri, & ex his ducere curandi rationem, quam ambitioſe ea velle aſtruere rerum abditarum dogmata, quæ inter præcipuos authores erant controverſa. Sequitur nunc σημειωτικὴ ſigna continens, quorum quæ vis ſit tam in præſagiendis, quam agnoſcendis æſtimandiſque affectibus præter naturam, id quoque curioſe adnotatum a Celſo eſt. Poſt hæc jam generalis quædam curandi oſtenditur via (θεραπευτικὴν Græci nominant) cunctis ex æquo morbis inſerviens. Ejus duo Celſus partitur capita. Alterum adjectionis deficientium, alterum detractionis ſuperfluorum, ſecutus in hoc veterem Hippocratem, qui artem medendi nihil eſſe aliud affirmavit, quam πρόσθεσιν & ἀφαίρεσιν. Adjectio oblatis fit cibis. Detractionem præſtant miſſio ſanguinis, alvi ductio, vomitus, ſudor, abſtinentia, & hujuſmodi. Atque hiſce rebus tanquam idoneis quibuſdam auxiliorum materiis fere univerſo morborum præcipueque interiorum ſuccurritur generi, indicatione ubique a contrariis ſumpta. Talibus enim depelluntur affectus præter naturam. Eſtque hæc ſumma libri ſecundi, eorum quæ commemoravi vim atque uſum continentis. Ceterum ut ſine cognitione univerſalium (in quibus methodus eſt) uſus particularium (in quibus exercitatio) habetur inanis, ita ſine hoc fructum illa nullum adfert. Quamobrem ne parum ſit, ea duntaxat haberi præcepta, quæ ad univerſum genus morborum pertinent, ſingulorum quoque propriam curationem tertio dehinc quartoque li-

bro

bro Celſus expoſuit, antiquiſſimum ſecutus Hippocratem, qui mederi oportere dixit, & communia, & propria intuentem. Appoſite vero hic viſcera hominis atque inteſtina Celſus ſcrutatur, iis quæ ante natura clauſerat per anatomen patefactis, quoniam ea cognitio neceſſaria videbatur, & ad inventionem loci patientis, & ad remediorum uſum, videretur jam tota medendi expoſita facultas, niſi materiæ reſtarent auxiliorum, quibus morbi potiſſimum exteriores curantur. Etſi enim proximus ad ſanitatem gradus eſt noviſſe morbum, ejuſque curandi optimam methodum, fruſtra tamen id fuerit, non cognita medicaminum natura. Ipſe namque morbus curandi modum docet, non præſtat facultatem; quæ facultas ſita partim in natura, partim in ſuppetiis externis eſt. Hæ vero ipſæ, quas dico, ſuppetiæ in iis quæ aſſumuntur, aguntur, vacuantur, aut foris incidunt conſtitutæ, triplicem accipiunt ſecundum operationes differentiam: quatenus victu pugnatur, aut medicamentis, aut ipſa denique manu, primum διαίτην, alterum φαρμακίαν, noviſſimum χειρουργίαν Græci nominant. Victus ratio (ſub qua cibum, potionem, ſomnum, vigiliam, inanitionem, totumque vitæ ſtudium more Hippocratis comprehendo) itemque Pharmacia externis interniſque malis juxta utilia ſunt; Chirurgia accommodatior externis. Priora duo quatenus internis proſunt ægritudinibus, ſuperioribus libris definita ſunt, ubi generalis proponitur curandi via. Medicamenta externis incommodis opem ferentia quinto examinantur libro, itemque ſexto; utrobique adjunctis morbis qui in conſpectum Medici venire, & opere curari Medicinæ foris adhibitæ poſſunt. Sequitur liber ſeptimus & poſt hunc octavus, quibus opera docetur manuaria, ſimulque ii affectus, quibus tali opus præſidio eſt, ſive oſſa illi occupent (ubi σκέλετος humani corporis commodum quoque depingitur) ſive quodvis aliud membrum. Eſtque hæc coronis cum operis hujus, tum univerſæ artis medendi cui ſine injuria, neque adjectum quicquam, neque demptum oportuit. Quid igitur jam reliqui eſt, quin tueatur Celſus quæ in Medico requiruntur partes? Quis vero aut ita male doctus, ut non agnoſcat, aut adeo demum vecors, quin odio perſequatur eorum malevolentiam, qui tam licenter ſtudent octo hos libellos diſcentium manibus excutere: opus, me hercle, dignum quod ab omnibus, non legi modo, ſed etiam ediſci oporteat, ceu opulentiſſimum rerum medicarum promptuarium, ex ipſiſſimo natum pectore Celſiano, membriſque abſolutum omnibus, & optima cohærens doctrinæ via. Sunt hæc eminentiſſima nominis immortalis inſignia, quibus ita poſthac, ſpero, florebit Cornelius, ut virtutem quis dixerit ad totam poſteritatem duraſſe, non perveniſſe invidiam.

BRE-

BREVIS OPERUM NOTITIA.

JODOCUS LOMMIUS Buræ, oppidi in Gueldria Batavica prope Lingam amnem, natus eſt. Anno 1557. edidit de *Tuenda Sanitate* Commentarios in primum Librum CELSI; quo tempore Tornaci apud Nervios egit; cujus Reipublicæ, ut ipſe dicit, Medicus fuit Phyſicus. Poſtea Bruxellæ, anno 1560. emiſit *Obſervationum Medicinalium* Libros tres; in quibus omnium Morborum Signa, & quæ de his haberi poſſunt Præſagia, accuratiſſime pertractantur. Quos Ordini Senatorio Reipublicæ Bruxellanæ dicavit: Nerviis quippe relictis, in hac tandem urbe, honeſto ſtipendio donatus, Medicinam factitavit. In publicum denique dedit Bruxellæ, anno 1562. Librum de *Curandis Febribus Continuis*, in quatuor diviſum ſectiones; quarum ſingulæ ſingulorum morbi temporum, quæ totidem quoque ſunt numero, remedia continent.

QUEM



QUEMADMODUM
SANOS AGERE
CONVENIAT.

CAPUT I.

SAnus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque Medico, neque Jatralipta egere.

SAnitas omnis actionum corporis incolumitate, morbus illata his ſenſibili offenſa diſcernuntur. Proin quiſquis eorum intervallo corporum includitur, quæ ſanitate utuntur quam optima, quæque evidenti actionum vitio fluctuant, is profecto & eſſe homo ſanus, & ſic appellari jure poteſt. Quoniam vero hic infinitæ ſanorum hominum latitudines ſeu ſpatia quædam quoquoverſus porriguntur, viſum eſt nobis operæ pretium omnem horum differentiam bipartito diducere, factiſque claſſibus prima eos includere, quibus laudatiſſima conſtitutio corporis obtigit, ſive partium primarum ſpectes temperiem, ſive modulum ac normam inſtrumentorum, aut amborum denique unionem. Videlicet hoſce κατ' ἕξιν, id eſt, ſecundum habitum ſanos appellamus, ſeu quibus firma ſunt nulliſque violanda calamitatibus omnia ſemel corporis munia. Ac ſecundus quidem Ordo reliquis aſſignetur, qui ab eorum, de quibus retuli, perfectione multum deficiunt, ac neſcio quid vitii trahunt, quod etſi functiones nondum evidenter convellit, ſic debilitat tamen, ut incidentibus vel minimis ærumnis protinus laborent. Et intra has quidem metas omnis Ordo ſanorum eſt. Tametſi comprehenſis differentiis ſua utriuſque non parva quoque valetudinis ſit latitudo. Quod namque miſtionis diſcrimina in primorum elementorum coitione reperire eſt, totidem profecto in omni ſanorum catalogo tempera-

Sanitas ac Morbi diſcrimen.

Sanus homo quis.

Sanorum duplex Ordo. Primus.

Secundus.

Sanitatis ingens latitudo.

mentorum fuerint ideæ. Tum quoque non ſolum corpora alia aliis magis temperata intemperatave ſunt, ſed etiam in membrorum mutua inter ſe aptatione, alia concinna magis, alia magis enormia. Itaque quiſquis ab inculpata illa ſummaque valetudine paulum modo deflectit, non ob id tamen finibus ejus protinus exciderit. Nempe ut vitioſus ſit, utrumlibet hoc ſubſit oportet, & prompta ab inſalubribus cauſis læſio, & evidens muniorum vitæ impedimentum. Rurſus ex his quos aliquod jam vitium urget, nonnullis id adeo leve eſt, ut a prioribus ſanis, quos optime valere poſui, parvo linquantur intervallo, eoque fit, ut his perinde atque illis conſervari habitus in eodem naturæ ſtatu ſeu bonus debeat. Succedunt his alii longe pejus excepti, quos nimirum vitii magnitudo functionibus imbecilles atque oportunos morbo facit. Suntque in his nonnulli quibus uſque adeo mala crevere, ut tantum non morbum creent, cujus ordinis ſunt, decrepiti ſenes, & valetudinarii, & convaleſcentes, utique ſi ut nondum penitus finita, ſic in melius inclinata valetudo eſt. Atque hæc, ut res poſtulabat, de ſanorum corporum diſcrimine hypotheſeos loco præfatus, CELSUM noſtrum protinus aggrediar, primumque ponam, poſſit, nec ne omnibus ex æquo ſanis propoſita Authoris Sententia accommodari. Sane curioſius rem æſtimanti parum iis quadrare videatur, quos ſecundus Ordo ſupra complexus eſt. Impedit enim hos naturæ vitium quominus integra manente valetudine quibuslibet indulgere rebus poſſint. Nimirum ſi proprii corporis incommoda gravate ferunt, qui quæſo externorum malorum impetus commode ſuſtineant. Tum quo tandem jure poſtergatis Medicorum legibus arbitrio vivent ſuo, quibus levis interdum error magnæ calamitatis occaſio eſt. Ex quo ſciri poteſt, adeo hos Medicorum imperatis devinciri, ut nihilo aliter atque ægros regi oporteat, illo tantum interpoſito diſcrimine, quod quæ ægris collapſa functio eſt, ea his vacillet, quæque illis mala confertim avelluntur, eadem his paulatim corrigantur. Hæc iſta quæ poſuimus intuenti manifeſtum eſt de iis ſanis Authorem hoc loco agere, quos ordini primo deſtinavimus. Quam rem cum multa alia, tum ipſe quoque Orationis contextus ſimilem veri facit. Neque enim cuivis ſano, agendi licentia hæc indulta eſt, ſed illi, ut patet, ſoli, qui & ſanus eſt & bene valet. Ita profecto, ut ſub bonæ valetudinis nomini ſignificata rei differentia firmam intelligas, inculpabilemque ſanitatem, ac nequaquam otioſa ſit, quæ ultimæ Orationi jungitur appendix hominis bene valentis. Ergo quoniam CELSUS noſter hoc Volumine, ſuæ cuique valetudinis tuendæ rationem proponere conſtituit, recte ſane proque rei dignitate ab iis incepiſſe videtur, qui ſanitate utuntur commodiſſima, nec ullis interea negotiis dediti, alieniſve imperiis mancipati ſunt. Ac parem quidem docendi ordinem in GALENI quoque Libris, quos ille *de Sanitate Tuenda* compoſuit, invenio, nec video, quænam potior ſcribendi ratio eſſe poſſit, quam quæ ab optimis incipit. Age ergo modo exponamus, cur libera iſta vivendi ratio conducere iis cenſeatur, quibus cum vitæ libertatem fortuna, tum natura optimam valetudinem dedere. Unum illud ante omnia ſcire licet, ſuam cuique, ſi optime valet, naturam, in eodem ſemper habitu ſervari oportere. Tum idipſum quoque commodiſſime fieri poſſe, ſi caveatur ne hanc ex facili cauſæ externæ violent. Nimirum ſicut optima natura, omnibus ſanitatis intus inſtructa cauſis eſt, ita ejus quoque valetudo nunquam eſſe mala poteſt, niſi ſi extrinſecus incidens calamitas eam fecerit non bonam. Jam nulla Hercule expeditior ad hujus rei proviſionem via eſt, quam ut firmum robur naturæ comparetur ad ſuperandas quæ extrinſecus urgent injurias. At vero hujus rei fructum nul-

Sanitatis vitioſæ duæ notæ ſunt.

Sanitati vitioſæ præſens Authoris Sententia minime convenit.

Vitioſe ſani ab ægris parvo diſcrimine diſtant.

Quibus Sanis conveniat illud: Sanus homo, qui & bene valet, &c.

Probe ſanis natura in eodem ſtatu ſervanda eſt. Optima natura unde male afficiatur.

la

la re alia melius conſequimur, quam ipſa eorum quæ corpus demutant aſſuetudine. Quippe ita fere ſequitur, ut corpora res ſolita minus afficiat, ejuſque rei cauſa, ipſa etiam conſuetudo vetuſtiſſimis ſapientiæ Profeſſoribus, quaſi altera quædam habita natura ſit, adeo ut inſueta res, quæ per ſe quidem innocens ſit, hinc tamen nocens fiat. Ex quo profecto incidit, ut nihil majorem nobis indolentiam ingeneret, quam rerum omnium in communem vitam incidentium congruus uſus, ac ſic optatiſſimum proviſionis genus ſit, ab iis quæ malum minantur, remedia mali petere. Proinde cui commoda valetudo eſt, ſolidæque ſuo ſtant robore vires, hunc profecto decet id memoria altaque mente ſemper reponere, quod *Evangelium* monet: *Bene valentibus opus Medico non eſſe*. Tum ſeveriſſima illa HIPPOCRATIS & GALENI Decreta non tanti putare quanti valetudinem cui minus curioſa iſtorum obſervatio, ut raro prodeſſe, ſic nocere ſæpe poteſt. Audeat igitur quis ſcrupuloſas illas leges poſtergare, proque ſuo potius jure, quam alterius libidine agere, idque ne hoc ſubinde dicterio feriatur quo nimios illos ἰατριχοφυλλύχτας excipere ſolemus. *Miſere omnes vivere qui medice vivunt*. Ceterum hæc iſta agendi licentia, iis hominibus, ut proxime dixi, negata eſt, quos aut temperaturæ, aut conformationis vitium male habet. His enim corpus tam variarum rerum uſus imbecillum facere poteſt, non poteſt robuſtum. Scilicet ut optime ſanos ſuæ vires ſtrenue tutantur, ſic hos fiducia ſecundæ valetudinis fallit. Nam ut exemplo res lucem accipiat, impenſe calidis ſicciſque naturis, meraca potio, prævegetus labor, pertinax vigilia, omniaque turbati animi Pathemata, tum cibi calidi & ſicci graviter officiunt. Rurſus frigidæ potio, longa inertia, largior ſomnus, alimenta humida frigidaque pituitoſos in morboſam intemperiem præcipitant. Atque hæc incommoda totis corporibus accidunt, nihiloque his leviora ſunt, quæ particulas urgent. Qui namque cruribus eſt ſine modo obeſis, quique rurſus ultra quam par eſt gracilibus, citato curſu læditur. Tum qui preſſo macroque pectore eſt, altioribus vocibus periclitatur. Tenues humeros portatum onus, marcentem dexteram jactus diſcus offendit. At vero is cui membrorum obtigit concinnitas (συμμετρίαν Græci dicunt) ſic ut ſingulorum formatio, ut ſitus, ut numerus ipſaque magnitudo ad functiones obeundas affabre ſint comparata, quibus ceteri franguntur motionibus, his ut nunquam male afficietur, ita interdum impenſe quoque juvabitur. Ad hæc quemadmodum intemperati ſimilibus ſuæ naturæ cauſis facile ſuccumbunt, ita temperati contra ad quælibet moderate ſe gerunt, cauſisque alterantibus feliciſſime reſiſtunt, ſic ut vix ulla ipſos tempeſtas expugnet, ac proin liberius ſemper his agere licitum eſt, *omniumque*, ut in Proverbio eſt, *horarum hominibus eſſe*, tum eo magis hanc ſibi ſumere vivendi licentiam, quo breviora ſpatia ab conſummatæ ſanitatis meta porriguntur, ut contra tanto vivere cautius contractiuſque quanto propius ad vitioſam naturam ventum eſt. Etenim intercedunt quædam corpora media ſalubribus & inſalubribus quę HEROPHILUS *Neutra* vocavit. Ea neque alterutri victus rationi addicta eſſe, neque ab utraque nimium abhorrere debent, ſed quaſi curſum inter utrumlibet medium tenere. Oſtendunt hæc quæ propoſui omnia, ac veluti indice monſtrant, quam non oporteat eos qui recte valent, ullis ſeſe Legibus obligare, aut Medicorum Præceptis uſquequaque parere. In quam rem etſi ſat multa dixerim, non poſſum tamen non illud quoque jungere: Corpus accurrate ſanum (de quo protinus agitur) ipſum ſibi ipſi omnia invenit proprio naturæ ſuæ impetu directum. Id autem ſic incidere ſciendum eſt. Naturam optimam (quia hæc in temperamenti mediocritate poſita eſt) ſi quæ incidant

Conſueta minus afficiunt. Conſuetudo altera natura.

Bene valentibus non eſt opus Medico.

Vita Medicis dedita miſera. Vitioſe ſanis cur vivendi libertas parum tuta ſit.

Biliosis quæ contraria, quæ item Pituitoſis.

Maleformati quibus rebus lædantur.

Quadrati nullum non genus motionis facile ſuſtinent.

Intemperati ſimilibus facile leduntur.

Temperati omnibus reſiſtunt.

Corpora neutra inter ſalubria & inſalubria media quo pacto regi oporteat.

Optime ſanis propria natura omnia invenit.

Optima natura vitæ magiſtra. Galat. 1. ſan. & in Tech.

dant intemperie nocitura, protinus eadem tum ſentire, tum refugere; eaque de cauſa Doctore non egere, ſed ipſam ſibi abunde eſſe, ſic ut merito optimæ vitæ magiſtra cenſenda ſit. Atque hæc teſte GALENO loquor, qui *hac natura jam inde ab infantibus inſtructos tantum* ait *appetere, quantum probe concoquunt, tantumque dormire ac rurſum vigilare, tantum exercitari, atque iterum quieſcere, quantum corpori ſat eſt*. Scilicet in his generibus modum finemque ſibi quiſque horum injuſſus invenit, neque ante quicquam ex his reſpuit, quam ejus ultra non egeat. Eam loquor naturam, cujus benignitatem, neque deſidia neque luxuria vitiarunt. Nam ſi corpori bono animus dominatur non bonus, eaque occaſione natura nuper adeo inclinare in vitium cœpit, ea profecto nulli, ſi GALENO credimus, ad imitationem proponenda eſt. Diximus de ſanis ſat ſuperque multa, proximum eſt illud quoque de liberis hominibus jungere. Solos hos cum quidem optime valent curioſis illis Præceptionibus Medicorum non devinciri, reliquos autem quibus vitæ libertas periit, multa facere ex obſervatione certaque lege debere, adeo ut hæc quidem interdum fugere, illa vero ex Artis Præſcripto aggredi conveniat, ad poſligandas noxas, quas negotiorum turbæ attulere.

Gal. 2. ſanit. Natura ante bona; poſt vero depravata nunquam mutanda eſt.

HUnc oportet varium habere vitæ genus: modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiuſque in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentius ſe exercere. Si quidem ignavia corpus hebetat, labor firmat. Illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit.

Aeris ingens vis ad mutanda corpora.

Vita hominum tot inopinatis caſibus ſubjecta eſt ut omnes declinaſſe non ſit. Proin nec ubi inſueta res moleſtiam adferat, varium genus vitæ ad valetudinem conducibilius eſt. Quod Præceptum cum aliis in rebus tum in aere aſſidue nos ambiente multum poteſt. Ipſe vero aer quantopere corpora demutet, peregrinantium exemplo cognoſcere eſt, qui poſt longam in Patria moram repente ad aliud cœlum translati, graviſſimis ſæpe malis oppugnantur, ſæpeque ab iis quæ ante fuerant, ex toto vindicantur. Quemadmodum clariſſimo id argumento longi morbi docent, quos morbos cum non tempus, non remedia vicerint, mutatum ſolum haud raro funditus tollit. Quoniam igitur tanta aeris vis eſt, danda opera eſt, ut quam minimum ejus nobis occurſus ſit inſolens. Nimirum, ut quod ſæpe ſuſtinendum neceſſario eſt, id ubi incidit, facile ſuſtineamus. Propterea, uti CELSUS præcipit, conſultum eſt, interpoſitis apte vicibus cuivis cœlo aſſuefcere ac *modo ruri eſſe, modo ad urbem redire*, interdum æſtus, interdum frigora ventoſque ſponte experiri, denique nullas non calamitates pro exploratis habere, ne qua re nova præterque ſolitum unquam corpus moveatur. Sæpe enim in vita hominum parvis momentis magni caſus intercedunt. Quinetiam ipſum quandoque mare tentare non inutile eſt, ne horridus ejus nidor & irrequieti colluctantium undarum vortices corpus male turbent, ſi quando navigandi inciderit neceſſitas. Jam vero miſſis quoque his quieſcere interdum opus eſt, ne cum præter morem feriandum eſt, inſolito otio corpus torpeſcat, ut abſtineri laboribus interdum non inutile eſt, ita frequentius exerceri utiliſſimum. Habet utique quies ſua privatim haud ſpernenda commoda, ut quæ detentis intus ſanguine, calore, ac ſpiritu concoctionem adjuvat. At exercitatio longe adfert non tantum cumulatoria, ſed præſtantiora etiam bona, quæ primo Sant. Tuend. GALENUS

Patriæ mutatio longos morbos evincit.

Cœlo cuivis aſſuefcendum eſt.

Quies quid commodi adferat.

Exercitationis triplicia commoda.

tri-

tripartito distinxit. Suntque *caloris insiti augmentum*, *excrementorum expurgatio*, & *solidarum partium robur*. Ac primo quidem, quod motione calor augescat, externi ignis exemplo docetur, quem ventilatio excitat augetque. Prorsum & silices & quæ his duritie paria sunt corpora in testimonium adhibere, e quibus mutuo inter se violenterque attritis ignis excutitur. Quod si iste motionis effectus in emortuis corporibus respondet, quanto magis necesse est in viventibus respondeat, seu multo ante calore affluentibus. Jam vero si omnia inter se genera compares, quibus corpus quoquomodo incalescit, deprehendes profecto motum reliquis aliis multum antecellere. Calentes balneæ, Sol, Focus, Acria medicamenta, & si quæ alia ejusmodi sunt, calefaciunt quidem, & ista non instrenue, at ab externo est omnis eorum calor nobis ascitus, neque de proprio principio, sed aliunde accensus, ideoque succos depascitur, solida tabefacit, ac vires consumit. A quibus incommodis usque adeo motus alienus est, ut etiam contraria his efficiat, tum calefactionis initium ab ipsis excitans membris, tum validum reddens attractum eorum quæ convenit in omnem partem corporis digeri, gratoque omnia madore seu salutari quodam rore imbuere, sic ut singulis uberrimo & calore & humore recreatis artubus alimentum citius cum demutetur tum corpori coalescat. Venio ad secundum genus, quod excrementorum erat expurgatio. Ea vero fit, cum spiritus citatior spiracula totius corporis recludens multa vi excrementa per tot venarum recessus secum abripit in habitum, eademque mox tum sudore tum occulta transpiratione digerit. Cujus rei quanta vis sit ad valetudinem tuendam, is demum norit, qui quotidiana didicit experientia præcipuam morborum partem ab immoderata luxurie excrementorum pullulascere. Proximum nunc est solidorum robur, articulorum & musculorum quibus præcipuus motionis impetus incumbit. Hac re mirum quantopere corpus duretur, aptumque fiat cuilibet motus generi facile sustinendo. Quemadmodum scripsit HIPPOCRATES: *Laborem articulis & carnibus conferre*, contracta nimirum per mutuum eorum attritum duritie. Ex quo protinus etiam incidit, (id quod eodem hoc *Authore* disci potest) ut *laborem assueti melius ferant*. Tum fere id etiam sequitur, ut senes etsi pro naturæ suæ imbecillitate leviſſimis erroribus cedunt. Adolescentes verò pro virium ingenito robore graviſſimis resistunt, hos tamen insolitus labor frangat, quem illi, modo huc assuerint, non solum sunt ferundo, verum etiam lubentes ac multa cum voluptate ferunt. Hæc ista quæ proposui curiosius æstimanti, qui quæso obscurum sit, quod CELSUS docuit. *Ignavia corpus hebescere*, *labore firmari*, *illa maturam senectutem*, *hoc longam adolescentiam fieri*. Videlicet ignavia ingenitum nobis calorem minuit, præfocat, extinguit, adeo ut ex hoc protinus & frigidum corpus & imbecillum fiat. Frigiditas excrementa adiicit. Imbecillitas nec regere hæc, nec superare potis est, atque hinc tantorum Ilias malorum emergit, mentis stupor, apoplexia, sopor, destillatio, membrorum cum torpor, tum resolutio, obstructum hepar, renes, ac lienis, ex hisque aqua inter cutem, cachexia, atrophia, calculus, dysuria, & quid non. Certe quantum incommodi neglectus ex toto motus desesque illa vitæ inertia mortalibus afferat, ex eorum habitu cognoscere est, quos longi carceres arctarunt. Nempe his calor omnis intermoritur, vultui color decorque perit, tum fœdissimo situ corpus tabescit, ac penitus, ut sic loquar, cadaveratur, adeo ut multos constet hujus rei grave periculum vitæ suæ impedio testatos fuisse. Ergo ut ex communis vitæ præsidiis alia aliis convenientia, alia contraria sunt, ita qualiscunque labor omnibus ad sanitatem juxta necessarius est. Non

Calor motu excitatur.

Motus reliquis calfacientibus salubritate præstat. Utilitas motionis.

Motus excrementa corporis pellit.

Motus solida firmat.

Hipp. vr. Epid. s. v. §. 16. Hippocrat. Aph. s. 11. Aph. 49. Senex eundem laborem solitum melius fert, quam adolescens insolitum.

Ignavia quare valetudini noceat. Morbi ex desidia orti.

Multi otio perierunt. Labor nulli non necessarius est.

ætas,

ætas, non corpus, non denique temperatura ulla eſt, cui hujus rei neglectus ſit indemnis. Nam vel ipſis infantibus ſuas quoque eſſe dimotiones videmus ab ipſis, ut author eſt GALENUS, nutricibus inventas, *in cunis ſcilicet, in lectulis pendentibus, & in ipſis ſuarum ulnis*. Neque vero his reclamat HIPPOCRATES cum in Epidemiis bilioſos perpetua quiete fovet. Etenim hoc loco non quavis motione his interdicit, ſed vehementiore duntaxat, quam Medici proprie exercitationem, Græci a loco ſumpta denominatione γυμνάσιον appellant. Quo magis ASCLEPIADEM miror, cui exercitationes nihil ad ſanitatem conducere placuit, parum utique conſideranti naturæ noſtræ eum motu ſocietatem, quando nec pueros ſi concluſeris, prohibeas, quo minus diſcurrant, ac pullorum, ut ait GALENUS, vitulorumque ritu laſciviant. Certe id apprime verum exiſtimo, quod idem alias GALENUS propoſuit: Nunquam quemquam ex ipſa in totum deſidia adjutum fuiſſe. Quare nihil adeo mirandum eſt ignavos illos ac ſedentarios ventres tot crudelibus morbis conſumi, quos proxime recenſui, ut optimo jure id quiſque apud animum proponere debeat: Laborem ac ſobrietatem fidiſſimos eſſe Sanitatis cuſtodes, ſcilicet ille vires adjicit, hæc ſuperflua circuncidit. Amborum coitus omnis valetudinis caput cardoque eſt. Totum iſtud optimus ille Medicinæ parens HIPPOCRATES hac Sententia exhauſit. Ἀσκήσις τοῦ ὑγιείας ἀκορίη τροφῆς ἀοκνίη πόνων, quod eſt *Sanitatis tuendæ ſtudium eſt, comeſſe ad frugalitatem, ſedulo laborare*. Ecquid ergo ſalutaria hæc Præcepta capeſſere etiamnum dubitamus, quid luxuria & inertia perditi externas delicias tanto impendio tantoque opere concupiſcimus, quando inemptæ dapes abſtinentia, perennis focus proprius corpori calor eſt.

Gal. 1. ſanit. cap. 20.

Hipp. 6. Epid.

Exercitatio eſt vehementior motus.

Galenus 1. ſanit.

Labor & ſobrietas optimi ſanitatis cuſtodes.

Hipp. VI. Epid. ſ. VI. §. 41. Sanitas omnis duabus rebus conſervatur.

PRodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, modo ungi, modo idipſum negligere.

Eodem hæc iſta ſpectant, quo ea quæ ſupra comprehenſa ſunt, nimirum ut rerum quam maxime variarum aſſuetudine corpus duremus, aptumque vitæ uſibus reddamus. De balneo pluribus hoc loco agere, non ſatis cauſæ putavi, quod illud fere videam ſeculo noſtro præteriri. Multoque minus de unctionibus dicam, quæ tantum non totæ exolevere. Illud jure mirari poſſe videor, aut quænam adeo ſupina noſtrorum hominum fuerit inertia ut tam ſalubribus utriuſque valetudinis præſidiis ſuperſederint, aut certe quænam Veterum iſta fuerit curioſitas, qui uſque adeo iis ſeſe addixerunt, ut ne cœnare quidem cuiquam niſi loto, unctove fas eſſe duxerint, eamque vivendi legem, adeo religioſe obſervarint, ut ab ea ne Senibus quidem eſſe licuerit immunibus. Sic enim in Odyſſea canit *Homerus. Ut lavit ſumpſitque cibum det membra ſopori*. Namque hæc juſta Seni. Quod calidæ ac potabilis aquæ balneæ iis parum curæ fuerint qui in Septentriones ſpectant, ex eo fit quod his ipſi minus habeant opus, tum quia pauculum colligunt acris fumidique excrementi, tum quia temperamento ſunt minus ſicco, propter quas duas cauſas calidi lavacri præcipuus uſus eſt, ut ne dicam etiam non leve periculum refrictionis his eſſe protinus e balneo egreſſis. Itaque ut commodorum quæ id ipſum largitur non egent, ſic incommoda quæ affert, tantum ſentiunt. Obſcurior cauſſa eſt cur Italis & Græcis lavationis fere uſus omnis interciderit, quum hæc ipſis olim tanto ſtudio ſit tentata, neque jam nunc cœlum aut corpora alia ſint quam quæ tum fuere. Sed quid non deſignat in diem creſcens

Cur Balneæ populis ſeptentrionalibus neglectæ.

Ignavia noſtrorum hominum quanta ſit.

ſcens animorum mollities ſeculique noſtri gravis inertia, utique quia paſſim & otio diffluitur, ac ventri magis curando quam valetudini ſtudetur. Videlicet ita naturæ omnium noſtræ comparatum eſt, ut libenter ea negligamus præcepta quæ ſedulitatem exigunt. Quanto autem præſtabilius fuerit majorum ſtudia æmulari qui ſanitatis atque ἐυεξίας ergo, publica etiam condidere gymnaſia atque lavacra, quorum uſu corpus & firmum reddebant, & ſuperfluis omnibus repurgatum. Sed ut nihil non (Authore *Flacco*) damnoſa imminuit dies, ita priſtinæ hujus induſtriæ ne veſtigium quidem ullum hodie ſupereſt. Quoniam ad hunc locum perventum eſt, non alienum videtur vires balnearum, & poſt has unctionum quoque exponere. Ergo veteres calidis lavacris utebantur, ad diſſipanda ſupervacua tertiæ concoctionis, & ad corpora tum calefacienda tum humectanda. At frigidæ natationem alias adhibebant, ut vires augeſcerent pulſo in viſcera calore, alias cutis denſandæ gratia, quo communitum corpus eſſet contra ambientis nos aeris injurias, ac tertio, ad ardores corporis abolendos. In qua re efficaciſſimam eſſe frigidæ piſcinam GALENUS affirmavit, adducto de iis quos Sol exuſſit, exemplo. Accedimus, inquit, ad frigidam ne loqui quidem præ linguæ & faucium ariditate valentes, totumque corpus ſtipulæ ritu ſiccum habentes. At egreſſi è frigida illico omnia pro naturæ habitu recipimus, nec febrili amplius calore vexati, nec ſiccitate afflicti, prompteque loquentes, ac plurima ſitis parte levati. Hæc ille. Porro in frigida lotione hæc fere antiqui obſervabant. Primum ne qua de cauſſa corpus eſſet imbecillum, in quo nimirum infirmus calor frigidi elementi violentam qualitatem ſuſtinere potis non eſt, neque impedire, quo minus prompte ea in corpus irruens viſcerum aliquod violet. Secundo eos quoque a frigido lavacro removebant, quibus ætas nondum penitus adoleverat, idque ne pulſis intro ſuccis habitus tardaretur incrementum. Tutiſſimum autem frigidis undis mergi cenſebant mediis ætatibus corporibuſque ἐυσάρκοις, id eſt, juſta carnis mole præditis (Latini *quadrata* nominant) utique ſi æſtas eſſet, totaque cutis frictionibus ante præcalfacta. Ceterum calida lavatio ut minore periculo, ſic majore fere cum fructu adminiſtratur. Tenuia enim acriaque excrementa quæ ſubter cutem occuluntur, foras digerit, ac hæc quæ vehementius inaruerunt membra humectat: quæ obriguere, emollit: quæ tenſa fuere, relaxat. Hiſque nominibus dolores graviſſimos placat, & laſſitudines diſcutit, itemque calore, diſtractionem alimenti in corpus Græcis dictam ἀνάδοσιν promovet. Humectatione ſomnum accerſit, utroque corpulentiam & ἰυεξίαν parit. Neque vero ignoro haſce tam eximias ſolii dotes (ſi quis ubi non expedit, lavetur) maximis incommodis obſcurari conſueſſe. Nam quoniam omnia in corpore laxat funditque, ob id ingenitum calorem minuit, appetentiam dejicit; humores commovet, fluxoſque reddit, ex quo incidit, ut ſi qua pars ſit admodum debilis, in eam protinus ſuperfluorum impetus fiat: Tum ſi cruditas aliqua primas venas viſceraque obſidet, ſemicoctus humor ſub calore liquetur, in omnemque venarum propaginem deducatur. Et de lavatione quidem ſatis dictum putamus, proximumque eſt ad unctiones tranſire, quibus inter ſanitatis præſidia non infimus locus debetur. Siquidem iis corporibus optime ſuccurrunt, quæ quoquo modo conſumpta humectationis egent. Quia vero cum quadam pertractione membrorum fiunt, moderate hoc quoque nomine calefaciunt. Perungebantur veteres potiſſimum a gravi labore, ſcilicet ut quæ nimium in corpore inaruerant, humeſcerent, quæque tenſa aut rigida fuerant, emollirentur laxarenturque. Interdum & a calenti ſolio idem ipſi tentabant, ne receptus

Balneæ calidæ ad quæ conferant, & ad quæ frigidæ.

Gal. 10. Meth.

Quibus frigida utilis.

Lavacrum calidum quid præſtas.

Lavacri calidi uſus quando noxius.

Unctiones ad quæ conferant.

in

in carnes humor obſtructa per pinguitudinem cute protinus digereretur: tum ut recens lotis id veluti quoddam eſſet munimentum ad propulſandas ambientis aeris injurias.

NUllum cibi genus fugere, quo populus utatur. Interdum in convivio eſſe, interdum ab eo ſe retrahere, modo plus juſto, modo non amplius aſſumere: bis die potius quam ſemel cibum capere, & ſemper quamplurimum dummodo hunc concoquat.

In victu commiſſus error, multos anniverſariis morbis implicat. Galeno diſſolutior victus morbum attulit.

¶. Putaverit quis hoc CELSI præcepto Medicinæ partem, quæ de ſalubri victu agit, labefactari, nihilque ad ſanitatem intereſſe, hoc genus cibi potioniſve ſumatur, an aliud, niſi longo olim jam uſu compertum & GALENI teſtimonio comprobatum eſſet multos eximio corporis ſtatu homines, quos fas erat incolumes ad ultimam uſque duraſſe ſenectutem, ob unicum victus errorem quotannis fere gravi aliquo morbo jactari. Quo profecto incommodo nec ipſemet potuit carere GALENUS, qui ſe refert cum adoleſceret, victitaſſe diſſolutius, ex eoque non ante laborare anniverſaria fabricula deſiiſſe, quam circiter octavum jam & viceſimum ætatis annum emendatiorem victum Parentis hortatu eſſet amplexus. Adeo apparet non ita ſentire CELSUM, ut temere, quibus lubitum eſt eduliis quovis tempore ſine ordine, ſine defectu atque modo utamur (Iſtud enim impudentis paraſiti, non tanti eſſet Medici conſilium.) Quin potius ſic ipſum præcipere, ut quiſquis rectiſſime valet, ſeſe cum quadam moderatione ad cuncta genera ciborum, qui populo ſunt uſui, comparet, idque ea de cauſſa, ne offendatur, ſi quando aliqua adactum neceſſitate inſolitis rebus ſaturari oporteat. Illud Præceptum probe duntaxat valentibus CELSUS applicans plus juſto arctaſſe videatur, quando accuratius id æſtimanti appareat opinione latius patere, ipſiſque interdum intemperantioribus corporibus non tantum optime conſtitutis accommodari jure poſſe. Nam ſi vel temperatiſſimus quiſque ſæpe uſque adeo ſumpto liberalius meraco læditur, cum neque ventriculus ejus liquoris aſperitatem, neque acres fervidoſque habitus caput unquam, experiri ante conſueverunt, quid Arii Peripatetici caſum in bibita præter morem frigida miremur, qui (referente GALENO) cum gracilis natura eſſet atque ore ventriculi frigidiſſimo, ideoque curioſe ſemper a frigidæ potu ſibi per ſanitatem temperaſſet, forte in febrem lapſus, atque a Medicis ſupra conſuetudinem potare gelidam aquam juſſus, haud ita multo poſt animam afflavit. Jam vero quiſquis in urbe indulgenter habitus conquiſitiſſimis ferculis indies ventrem explevit, moxque aut fortuito, aut aliqua denique neceſſitate ab deliciis avulſus, ad ruſticorum olera leguminaque tranſit, qui quæſo non ringatur, &, ut inquit HORATIUS, *Solos felices viventes clamet in urbe*. Adſtipulatur his illud HIPPOCRATIS, *Conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta eſſe conſueverunt*, lib. 2. Aph. 50. Adjicitur diſſuetudinis hujus tædio, malæ etiam concoctionis periculum. Nam quæ quiſque fere faſtidit, ea ventriculus minus alterat. Omnia ergo ſanis tentanda, ut omnia commodius ferant. Nam ſicuti cibus quiſque demutatur ſecundum qualitatem, ita viciſſim id quoque corpus a quo alteratur, utcunque afficit, alteratque. Ex quo incidit, ut inter corporis naturam & aſſumptum alimentum major indies ſimilitudo ſeu quædam cognatio naſcatur, inde adeo ut qui cibus initio erat veſcenti-

Qui intelligenda ſit propoſita Authoris ſententia.

Hiſtoria Arii Peripatetici frigidam præter ſolitum bibentis. *Gal. lib. de conſuetudine.*

Inſolitus victus ſeu bonus ſeu malus eſt naturæ moleſtus eſt.

Cibus & corpore alteratur & in ipſum alterat.

tibus

tibus ingratus, longo tandem usu fiat suavis. At vero magna cura opus est, ne valetudo hac ista licentia fiat deterior. Quare sciendum est (ut modo præcepi) moderatione quadam hic opus esse, neque cuiquam quantumvis firmo pro sua libidine quævis apposita vorare licere. Est autem moderatio quam secutus author, videtur aptissima, quoties neque diutius ista quam par est tentantur, & tamen aliquoties adhibita non omittuntur, sic ut non tantum cibi voluptatem, sed salubritatem quoque commendet rarior usus. Ejusque rei causa consultum est, non uno in victus genere diu persistere, sed aptis vicibus a lenibus cibis ad acres, ab acribus ad lenes, a vino ad aquam aut zythum, ab his ad vinum transire, convivari interdum, at sæpius contracte vivere, rarius plus justo, sæpissime non amplius assumere, postremo nihil non tentare, ne quid per necessitates nobis sit nimium insolens. Quemadmodum enim summa quandoque est in eo pernicies, quod auxilii causa inventum est, sic contra quæ alias vehementer obsunt, ea aliter aliterque tentata, sæpe auxilii vicem exhibent, ut in hac ipsa re, ubi victus genus modumque in pejus novare interdum permissum est, ejus spe commodi ut urgente necessitate cum omnibus quis oblectetur eduliis, tum nullis eximie lædatur. Porro autem quare bis die potius quam semel capere cibum oporteat, haud difficilis ratio est. Nam quoniam ventriculus per severiores inedias exinanitus labefactatur, excrementaque (ut GALENO placet) totius corporis, nisi cibo subventum sit, recipit, tum venæ quoque consumptis nimium succis, suam quoque inopiam invitæ sentiunt, protinus fit, ut alimenti concoctio omnis intus frustretur, quandoquidem id & ventriculus infirmus male alterat, & venæ sanguinis inopes, imperfectum ante tempus excipiunt. Scite enim GALENUS particulas in trahendo nutrimento cum famelicis equis comparavit, qui pabulum ex ipsis etiam mandibulis unus alteri certatim eripiunt, in qua, inquit, pugna fortior potitur victoria, ut in hac ipsa accidit re. Nam hepar cum intus alimentum est, totis viribus ad trahendum insurgens ventriculo non egre eripit, quod hunc onere molestat. Ut autem utrobique tempora nimium præcipitant, sic ambo hæc viscera optato alterum chylo, alterum chymo frustrantur: Ventriculus quidem, quia alimentum non satis diu retinuit: Hepar vero, quia ante tempus attraxit, sic ut imperfectum id in probos postea succos convertere nequeat. Ergo quo & calor insitus qui succis fovetur, maneat integer, & cruditatis amoliatur periculum, satius est bis per diem esse. Tum illud quoque observatione dignum est, ut quoties estur, tantum semel ponatur cibi quantum plurimum concoquendo ventriculus est, idque primum ne pecudum more ad inexplebilem vorandi cupiditatem assuescamus, quod & illiberale & homine indignum est: deinde ne uno cibo intus substante, novus superingeratur? Ita enim omnis concoctionis lex ordoque evertitur, ventriculo ex novæ rei appulsu recluso, tum perficere id quod prius intus erat cessante, ac sic omnia pariter corrumpente. AVICENNA scrupulosius notare studens qualia tempora cibo legerentur, *post sextam & decimam quamque horam edendum censet*, sic ut dapes duorum dierum intervallo ter ponantur. Ea res cum parum secura, tum per quam difficilis observatu est. Primum enim quisnam his se legibus impune obstringat, cum tot indies nos circumveniant incommoda, quæ vetant atque impediunt quominus liceat eundem ponendi cibi tenorem perpetuo servare. Interdum enim cum nolis, comesse bibereque necesse est, sæpeque cum maxime velis, abstineri. Tum quis vero sustineat sæpe

Quali moderatione in variandovictu opus sit.

Bis die sumptus cibus utilior est.

Quæ incommoda adferat inedia *Gal. 6. sanit. Gal. lib. de facult. naturalib.*

Trahentes alimentum particulæ famelicis equis per similes.

Concoctio qua re post longiorem famem evertatur, idque tam in hepate quam in ventriculo.

Cibus quaque comestionis vice quamplurimus potest concoqui, sumendus est.

Avicennæ ratio in ponendo cibo rejicienda est. *Avic. in lib. Canticorum.*

de die & ſtertere & cibo carere, noctu vero curare negotia, eamque temporis particulam epulando conſumere, quam parens Natura quieti laxandiſque mortalium animis dicavit. Meminiſſe profecto Principem oportuit, non ideo nos vivere ut edamus, ſed ut vivamus, edere. Quæſitum eſt ab noſtris hominibus, debeat nec ne cœna frugalior prandio, an vero eſſe liberalior. Eſtque ingens de hac re pugna ſuis utrinque innixa Authoribus, non his modo quorum nomen in obſcuro eſt, ſed clariſſimis quibuſque memoriæ noſtræ viris. Ex iis pleroſque omnes reperias qui oppido quam inartificioſe id argumenti verſarunt, ſemel finientes ac veluti edicto ſtatuentes, plus minuſve aut prandendum aut cœnandum eſſe nulla poſita corporum differentia. Ego vero, ut non eadem omnibus corpora nec vitæ inſtitutum eſt, ſic nec victus normam eſſe oportere exiſtimo, judicoque ejus rei cauſa opus hac eſſe limitatione. Quicunque capitis imbecillitate ac deſtillationum vitiis ſæpius urgentur, quique corpus univerſum ac præcipue ventriculum nacti ſunt ſuffrigidum, atque ob id plus juſto excrementoſum, parcius omnes ut cœnent neceſſe eſt. Nam etſi ſomnus concoctioni auxilietur, impedit tamen ſuperfluorum vacuationem, quorum vis longe maxima in comprehenſis corporibus per noctem coit. Neque vero mirum ſit id incommodum ſomni occaſione incidere, ut qui detento circa ima præcordia calore atque ſpiritu omnia naturæ effluvia comprimit. Neque enim cum quis ſoporatur, aut alvum dejicit, aut urinas reddit, multoque minus inutilem capitis ac ventris pituitam excreat. Tum ob nocturnæ auræ frigora, & gemini caloris ad interna receſſum, ipſa quoque corporis diffflatio minuitur, quantumvis per hæc tempora ſudores plerumque ſint effuſiores, quum ſcilicet toto corpore excrementis admodum oppleto, id duntaxat quod in ſubcutaneis locis eſt, ſub craſſi madoris ſpecie foras exundat, non valens (ut de die fit) tenuari atque inſenſibili tranſpiratione evaneſcere. Iſthæc quidem ſuperflua quæ comprehenſa ſunt omnia dormientibus intus cunctata cum nullas non partes onere laceſſunt, tum eas quæ ſuapte natura magis ſunt excrementitiæ, plus ceteris, premunt. Eſtque ex earum numero prima, ipſe ventriculus & poſt hunc caput. Illius cruditatem ex larga cœna contractam denunciant poſtridie cum ſurgitur gravitas, inflactio, ructus ac multus pituitæ ſcreatus: Hujus oppletionem, dolor, pondus, ſenſuum torpor, deſtillatio, ac nocturnæ tuſſes arguunt. Quippe noctu quam maxime cibus effumat, efferveſcentibus caloris acceſſu viſceribus, craſſoſque halitus ſupra in caput inſtar foci ejaculantibus, qui protinus halitus loci frigiditate illic concreti, neque concoqui ab infirmo capite poſſunt, neque ſubſtantiæ ejus aſſimilari. Ex quo incidit, ut mole ac pondere laborantes ſuo confeſtim in ſubjecta loca deorſum verſus ſidant, proque varia decubitus fortuna, modo gravedines, modo raucitates, & his pejores tuſſes, interdum diarrhœas aut vomitus, neque raro colli dolores creent. Tum hæc iſta incommoda, tum quæ proxime narravimus, vigilantibus omnia fiunt leviora. Nam interdiu partim aeris Sole illuſtrati potentia, partim ob communis vitæ munia difflactio (ſingulare excrementoſis auxilium) vehementior eſt, id quod cum aliis ex rebus tum hoc quoque argumento diſcitur, quod vigiles citius dormientibus eſuriant. Nam ne illud quidem ab HIPPOCRATE dictum ratione caret. *Vigilia vorax*. Eos hactenus homines loquor qui ſummæ libertatis compotem vitam degunt. Contra enim qui exaltandis quam maximis laboribus totos dies ſumptum exercent ſuum, ſicuti paleſtritæ, magnorum operum fabri, fullones, foſſores, meſſores, & id genus hominum robora, quibuſcunque etiam ſubjaceant valetudinis incommodis, ſemper tamen prandere

Utrum cœna, an prandium conveniat eſſe liberalius.

Quibus parca cœna utilis ſit.

Somnus effluvia naturæ ſiſtit ac proni excrementa accumulat.

Sudores quibus per nocturnum ſomnum ſint effuſiores.

Ventriculus & caput citiſſime excrementis per ſomnum opplentur, & quare.

Deſtillatio unde & quæ pericula adfert. Vigilia promovet corporis difflationem.

Hipp. VI. *Epid.* S. VV. §. 39. Negotioſis hominibus contractius prandium nunquam non convenit. Detractisnego-

dere frugalius, cœnare plenius debent. Maxima enim ubique concoctionis habenda ratio eſt, ne qua re, cum ea fieri cœpta eſt, interpelletur, id quod tum facile incidit, ubi copioſum alimentum labores excipiunt. Quiſquis vero jam reliquorum hominum eſt, quem neque negotioſa vita, neque ſupra poſita corporis vitia impediunt, cœnare is & copioſius & valentius alimentum tuto poteſt. Sunt namque cœnæ duo maxima ad juvandum concoctionem adminicula, quies & ſomnus, quibus tertium quaſi ἐξ ὑπνείρου jungitur, longius temporis intervallum quod inter cœnam poſtridianumque cibum interponitur. Atque hoc conſilio freti veteres cum Romani tum Græci (quorum corpora minus erant excrementitia) tenuiſſime prandere, largiter vero cœnare conſuerant.

tiis ac ſupra comprehenſis naturæ vitiis, ſemper in genere largius cœnandum eſt.

Cœnæ tria ſunt ad concoctionem adminicula *Gal. 7. Met.*

SEd ut hujus generis exercitationes cibique neceſſarii ſunt, ſic Athletici ſupervacui. Nam & intermiſſus propter aliquas civiles neceſſitates ordo exercitationis corpus affligit. Et ea corpora, quæ more eorum repleta ſunt, celerrime & ſeneſcunt, & ægrotant.

§. Athletæ multo olim valentiſſimoque cibo viſcera ſaginabant, idque vaſtitatis roboriſque corporei quærendi ſtudio, ut tanto paratiores ad exactum illud exercitii genus venirent, quod ipſi κατασκευὴν appellabant. Inſtituto hi a ſalubris legitimæque Gymnaſtices Profeſſoribus differebant, quibus laborum finis proponebatur actionum corporis vigor, ut contra Athletis validum roboris incrementum quædamque ſeu pancratica valetudo, qua freti, quam plurimos adverſariorum proſternerent. Eratque ipſis ad hanc rem tanto ſæpe virium connixu opus, ut omnes propemodum (referente GALENO) e paleſtra tandem redire cernerentur, claudi, diſtorti, fracti, aut aliqua ſaltem particula mutili. Jure igitur CELSUS hujuſmodi labores expulit, idque non tantum quod intermiſſus horum ordo corpus affligat, ſed multo quoque magis, quod ipſi quantumvis etiam continentur, nunquam per ſeſe valetudinem non convellant. Siquidem plenos tum vaſorum diruptionibus, tum obſtructionibus, itemque febri, apoplexiæ ac ſubitæ præfocationi opportunos reddunt. Inanes vero conſumptis ſolidis tabefaciunt ac præcipites in ſenectam recta agunt. At in his medios homines, utrolibet incommodo oppugnant, tum juſto vehementius eos ſiccando, tum venarum ruptionibus obnoxios reddendo. Nihilo his leviora ab Athleticis cibis pericula ſunt, ut qui copia ac viribus ingenitum nobis calorem extinguunt ac veluti ſtrangulant, non ſecus quam aut ellychnii flammam delet affuſum ipſi copioſius oleum, aut pyram ſuffocat aggeſta ſtipataque ſuper ipſum nimia lignorum congeries. Neque vero illud repugnat, quod perpetuo carnis ſuillæ, panis ac vini uſu grande concoctionis robur ventriculus acquirat. Quippe ſub hoc commodo multa latent incommoda. Nam alimentum etſi accurate confectum venter dedit, venæ tamen ejus copiam impatienter ferunt, ſic ut quantumvis id εὔχυμον ſit, omnique ex parte ſincerum, luxu tamen non genere noceat. Author enim GALENUS eſt, probatiſſimi ſucci edulia, quæque plurimum præbere alimenti poſſunt, ſi copioſius vorantur, calorem opprimere naturalem ac (quod magis mirum ſit) frigidis morbis initia præbere. Documento meracum eſt, quod etſi ſuccum gignit corpori (ſi quid aliud) maxime familiarem augendeque caloris ſubſtantiæ convenientem, refrigerat tamen ſi ſine modo potetur. Simileque veri eſt impulſum hac cauſa HIPPOCRATEM fuiſſe, quod tot modis cibos Athleticos, habitumque ſit inſectatus. Is enim habitus etſi ſpecioſior & coloris decoriſque plenior eſt, non ob id

Athletarum cibus.

Finis laborum Athleticorum.

Athleticos labores Celſus jure condemnavit.

Athletarum cibus quomodo noceat.

Alimentum natura non malum, copioſius tamen ingeſtum calorem inſitum opprimit. *Gal. 2. de cauſ. morb.* Vinum immodice, ſumptum, frigidos morbos parit. *Hipp. lib. 1. Aph. 3.*

Athletarum habitus periculoſus.

tamen ſatis tutus eſt. Nam cum hoc affecti homines, in eodem ſtatu nequeant conſiſtere, ſed nec porro oppletis jam vaſis procedere, fere retro quaſi ruina quadam revolvuntur. Jam ut hæc valetudinis detrimenta mittamus, quis non intelligit quam ipſa quoque mens Athletis ex hoc genere victus hebeſcat, rebuſque gerendis fiat inidonea, ut quæ craſſiſſimo ſanguinis vapori tanquam putido cœno immerſa, neque erigere ſeſe neque extra ſordes aciem efferre valeat. Quo magis recte id vulgo jactari exiſtimo: Perquam difficilem eſſe craſſi ventris & ſubtilis animi copulam.

Athletarum animus hebes.

Difficilis cupula craſſi ventris, & ſubilis animi.

De Concubitu.

COncubitus vero neque nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt. Rarus, corpus excitat: frequens, ſolvit. Cum autem frequens non numero ſit, ſed natura, ratione ætatis & corporis, ſcire licet eum non inutilem eſſe, quem corporis neque languor, neque dolor ſequitur. Idem interdiu pejor eſt, tutior noctu: ita tamen, ſi neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor ſtatim ſequitur.

Epicurus & Democritus Venerem expulerunt. Gal. in Tech.

¶ EPICURUS (quod maxime mirum videri poteſt) omnem Veneris uſum ſuſtuliſſe legitur. DEMOCRITUS autem uſque adeo habuiſſe hanc exoſam, ut parvam eſſe epilepſiam dixerit. Illud GALENUS jure ut vanum repudiavit, luculentiſſima oratione adſtruens, concubitum & utilem ſanitati, & neceſſarium eſſe, cauſamque ejus rei proponit exuberantiam ſeminis humani, quod æquo diutius intus retentum, tranſire, ut ipſe ait, in venenum ſolet. Docent hoc atrociſſimi caſus quibus uterque ſexus hinc oppugnatur, convulſio epileptica, inſania, ſubita præfocatio, πνιξ ὑςερικὴ ſyncope cardiaca, animi deliquium, & ſi quæ his ſimilia ſunt alia. Ergo cum tanta pericula neglecta Venus adferat, pretium operæ facturus videor, ſi hujus congruum uſum cuique corpori accommodem, idque ab iis orſus hominibus, quibus hæc res eſſe putatur apprime conducibilis. Eos eſſe & uſus & ratio docuit qui aut ex ſuæ naturæ vi, aut propter intermiſſam Venerem multo ſemine affluunt, præcipue ſi firmi ſunt adoleſcentes, ſi ſolito toro privari, ſi juvenculæ vividiores, magiſque ſi adultior his jam ætas acceſſit. Quod ſi præter hæc calida ipſis humectaque natura eſt, non citra graviſſimas & corporis & animi noxas venereis amplexibus abſtinent, ut non injuſte PLATO hæc corpora eſſe ſimillima dixerit arboribus plus æquo fructiferis. Porro ſiccis nocentiſſima Venus eſt, magiſque ſi pariter etiam frigent. Pauculum enim ſeminis ejuſque ſuffrigidi his ineſt, cujus crebra vacuatio corpus reddere magis frigidum ſiccumque poteſt, non poteſt vegetum. Atque hæc de corporum naturis. Ætates mediæ, præcipueque ea quæ etiamnum floret, concubitum omnes haud moleſte ferunt. Noviſſima ſenectus omniſque pueritia aut male fœcunda aut penitus infœcunda eſt, quare his ætatibus quia minus roboris ſubeſt. Venus inimica eſt. Ut maximas commoditates ad ſanitatem Venus adfert, ſi & moderate & in loco admittitur, ſic rurſus perniciosiſſima eſt iis qui pulcherrimas ejus dotes libidine corrumpunt. Etenim nulla res vires impenſius frangit immodico concubitu. Profunditur namque hic ſincerior humorum particula, caloris, ſpirituſque vitalis pleniſſima, cujus jactura tanto magis quam effuſus ſine modo ſanguis corpus affligat, quanto ſemen illo calidius, atque elaboratius eſt. Atque hinc ſciri poteſt, quam recte CELSUS præceperit *concubitum nimis neque concupiſci, neque timeri a firmis hominibus oportere*. Multum cum omnibus in rebus tum in Veneris ludo mediocritas poteſt. Huc ipſi quoque parenti rerum Naturæ fuiſſe ſtudio videtur

Pericula ſeminis juſto diutius retenti.

Quibus Venus ſit utilis.

Venus quibus adverſetur corporibus.

Venerem quæ ætates bene, quæ male ferant.

Nihil æque ut Venus vires affligit, & quare.

Naturam mediocrem ſeminis quantitatem nobis largita

tur, quod a prima origine neque ſemen nobis pauciſſimum infudit, ut ejus excretio vix neceſſaria ſit: Neque rurſus tanta ejus mole nos oneravit, ut aſſiduo concubitu ſit opus. Ergo is ſi rarus eſt corpus excitat: Si frequena, ſolvit. His utili profuſa materia corpus infirmat, illa dempta dumtaxat quæ copia gravabat, erigit, vegetum id ac magis virile efficiens, tum ipſam quoque mentem componens, ira, triſtitia, metu, aut ſimili aliqua animi ægritudine emotam, ut hoc nomine ARISTOTELES non perperam judicarit, Melancholicis ſalubrem uſum Veneris eſſe. Melancholicos Philoſophus vocat, quos atræ bilis affectus exercet. Non item eos, quibus propter temperamenti frigiditatem & ſiccitatem proxime diximus concubitum adverſari. Itaque his Venus magis ſubvenit, qui ſine probabili cauſa triſtari incipiunt atque timere, tum in latebras ſeſe abdere hominumque conſpectum vitare, quos ideo Græci μισανθρώπους nominaverunt. Videlicet ejus generis hominem ſibi viſum GALENUS narrat aſſiduo metu excruciatum, ne Athlas cœlo impar ſuſtinendo oneribus cederet, ipſeque una cum eo ruinis ſuccumberet. Eo ut non minus veſanum, ſic longe miſeriorem ætate ſua extitiſſe, CELSUS memoriæ prodidit, cui prædiviti quidem exiſtenti famem tamen oppido quam ſtulte timenti, ut vani metus lavarentur, ſubinde falſæ hæreditates nunciabatur. Verum his forte Melancholicis Elleboro ac vinculis potius quam Venere opus ſit: Longeque hæc iis futura eſt innocentior, qui etſi etiamnum utcunque ſapiunt, ad μηλαν λεος tamen ſymptomata vehementer inclinant, qualem GALENUS 6. *locorum affect.* proponit, qui cum uxoris obitum acerbe ferens, multo luctu ſeſe conficeret, protinuſque amiſſa cibi cupiditate, ad hæc quæ retuli ſymptomata vergeret, non ante ſeſe in ſanitatem vindicavit, quam ad fœminæ conſuetudinem rediſſet. Ac tantus quidem fructus eſt, quem rarus ſpondet concubitus. Huic periculi magnitudine frequens veluti ex oppoſito reſpondet. Nam corpus effœminat, laxum id, enerve, frigidum, ſiccum, imbecilleque efficiens, ut non ſit quod magnopere quis miretur ex hoc fonte tot tantaque mala ſcaturire, apoplexias, lethargos, epilepſias, altos ſopores, cœcitates, tremores, paralyſes, ſpaſmos, hiſque omnibus tædioſiores podagras, chiragras, coxendices, quæque his paria ſunt arthritidis tormenta, quorum juxta Poetas Bacchus eſt Pater, & Genitrix Venus, quemadmodum græcum habet Epigramma: Ἀυσιμελὴς Βάκχῳ και λυσιμελὴς Ἀφροδίτης Γενέται θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα. Quoniam ad frequentem concubitum perventum eſt, ſcire licet, hunc non eſſe numero æſtimandum, quoties ſcilicet aliquis id opus expleverit, ſed ex natura ſeu viribus hominis finiendum. Intereſt enim non quot Veneris exercitæ ſint vires, ſed quæ ætas, quæ vires, quæ corpora ſint. Nam ſi firmus ſenex, juvenis imbecillus eſt, quid miri ſi idem ſubinde concubitus caneſcentem erigat, florentem debilitet, tum huic fuiſſe frequens, illi rarus dicatur, utique ſi is rarus eſt, qui corpus non ſolvit. Siquidem ut non omnibus Venus juxta inimica, ita nec ſalutaris eſt. Proin frequentem concubitum non numerus, ſed corpora faciunt. Quemadmodum enim (Authore GALENO) nonnulli ſunt, quos protinus a juventute Venus facit imbecillos, ita alios reperias, qui niſi ſæpiſſime coeant, capitis gravitate, inappetentia, concoctionis difficultate (hanc Græci δυσπεψίαν, illam ἀνορεξίαν vocant) præcordiorum dolore ac febribus affliguntur. Porro certam ſtatamque Veneris menſuram cuique tum ætati tum naturæ præſcribere, haud adeo facile factu eſt, cum propter inexhauſtam atque omni prope dixerim numero majorem particularium multitudinem, tum quia GALENUS Author eſt, quod nec ſcribi nec dici poteſt, id in uno-

Venus rara corpus excitat, frequens ſolvit.

Venus Melancholicis utilis.

Hiſtoriæ Melancholicorum *Gal. 3. de locis aff. cap. 6.*

Quibus Melancholicis Venus accommodatior.

Quæ incommoda immodici concubitus.

Bacchus Podagræ pater, nutrix Venus.

Frequens eſſe concubitus quo modo intelligendus.

Alios neglecta Venus, alios tentata oſtendit.

Quibus notis Veneris modus aut nimietas deprehendatur.

unoquoque quantitatem esse. Itaque ne CELSUS hoc scrupulo nos impeditos relinqueret, experimentum ab ipso sensu depromptum dedit, cujus indicio ductuque omnem Veneris modum in unoquoque inveniamus. Scire, inquit, licet eum concubitum non inutilem esse, quem corporis neque languor neque dolor sequitur. Quam observationem nec ipse præteriit silentio GALENUS, eam esse haud inidoneam Venerem scribens, quam nulla virium infirmitas excipit, utique si quis solito levior factus ac melius spiritum trahere videatur. Et quidem Veneris modum jam explicuimus. Supereſt tempestivum ejus usum exponere. Ea multis de caussis tutior esse noctu creditur. Primum quod propter intermissa negotia sufficiens tum sit quies, quæ lassatos hac contentione artus recreet, quæque utero ad tenendum conceptum præsidio sit. Secundum est, quod ut corpus Venereis caloribus relaxatum, circundatis ipsi per quietem tegumentis optime contra nocturnæ auræ afflatus communitur, sic interdiu subito aeris frigore facile excipitur. Adde quod de die proclive sit periculum cruditatis utique horis pomeridianis, confecto nondum quod intus est alimento. Quippe omnem cruditatem cum quivis violentior motus, tum venerea contentio exasperat, eoque fit ut si cui de die prolificandi incesserit cupiditas, satius sit ante cibum id facere ipsum, atque interposita qualicunque quiete paulum quid comesse, quod nec concoctu difficile, nec mole ventriculo grave sit. Neque enim protinus juxta venerem cibus recte ponitur. Nam si is paulo ante datur, ab accensis membris ante tempus attrahitur: Si post, & tum quoque in hiantia mesenterii vasa facillime abripitur, sicque cruditas utrinque movetur. Jam vero ne noctu quidem sat tuta Venus est, quam vigilia ac lucubrationes excipiunt. Geminatur enim sic corporis afflictio, naturaque primum venerea contentione defessa, ac mox vigilia nocturnisque fracta studiis tot ærumnis impar est sustinendis. Ceterum ut rem omnem finiamus, ea esse tempora Veneri aptissima perhibemus, quibus alimentum in ventre atque jecinore percoctum est, quæ res in ultimam forte incidet noctem, ipsamque si mavis Auroram. Antequam quisquis in Cypridis palæstram descendet, fieri nequit, ut crudelitatis periculum ullo modo effugiat. Quo minus etiam opinio probari PAULI ÆGINETAE debet, qui nescio qua fretus authoritate quove impulsus consilio, locum Veneri tribuerit a cibo & ante somnum. PROTINUS (inquit) *a coitu somnum capienti, lassitudo solvitur*. Atqui (o bone) hanc ego lassitudinem pusillam judico, eam quæ Venerem vel temperatissimam nunquam fere non sequitur, parvoque diſperit momento, postposita corporis quiete, quæ horis antelucanis nobis etiamnum cubantibus durare potest. Hæc ista identidem quies, opem, roburque utero abunde sufficit, ut is quam minimo negotio (deest namque corporis motus) acceptum maris semen suis tunicis undique apprehendat includatque. Quin & ÆGINETAE opinionem una hac sententia HIPOCRATES explosit. *Labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia sunt mediocria*. Sic enim & unico epitheto singulorum modum, & ipso orationis ordine convenientia tempora senex expressit.

Gal. in Techna.

Venus cur per noctem tutior.

Venus motusque omnis alius cruditati adversatur.

Venus diurna ante cibum exercenda.

Venus nocturna inutilis, quam vigilia aut studia excipiunt.

Quæ tempora Veneri exercendæ captanda sint.

Error Pauli Æginetæ. *Lib. 1. cap. de Venereis.*

Hipp. VI. Epid. 1. VI. §.

HÆc firmis servanda sunt, cavendumque ne in secunda valetudine adversa præsidia consumantur.

¶ Aurea hæc est, suoque dignissima Authore Sententia, qua docemur, ne dum recte valemus, oppido quam rigidi simus Medicarum præceptionum observatores; quin potius varia genera rerum per secundam valetudi-

tudinem ſectemur, quo adverſa earundem uſus, & adjumenti plus, & moleſtiæ minus adferat. Eſtque hæc oratio ſeu epilogus quidam eorum quæ ſuperius ſcripta fuere. Neque vero ignoro, aliam quoque præter hanc dari præſentis loci interpretationem poſſe. Scilicet cavendum eſſe per ſecundam valetudinem, ne ea præſidia conſumantur, hoc eſt, inutiliter uſurpentur, pereantque quæ adverſæ valetudini dicata ſunt. Scilicet minime convenire, ut qui commodiſſima utitur valetudine, ſanguine per venam miſſo vacuetur, aut epoto pharmaco perpurgetur, ſed nec ſtatam aliquam tenuantis diætæ formulam anxie obſervet, aut id genus aliquid eorum peragat, quæ ad male valentes inventa præſidia ſunt. Siquidem optimo corpori (de quo hic penitus agitur) quia omnium rerum ſymmetria quædam ineſt, nihil aut apponi debet aut adimi, quin contra potius in priſtino id naturæ ſuæ ſtatu conſervari poſtulat. Jam vero ſi ſanguis naturæ creditur theſaurus, ad hæc, ſi ſano corpore præditi Medicamentis purgati cito exolvuntur, tum ſi nimis conſtitutum atque exquiſitum victum tantopere in ſanis HIPPOCRATES inſectatur, quis porro dubitaverit iſta omnia per firmam valetudinem, ut nulla neceſſitate, ita non niſi maximo cum virium detrimento uſurpari unquam poſſe? At vero hæc iſta interpretatio ſit ne priori anteferenda, an minus ducenda genuina, neque poſſe facile decerni neque permagni referre exiſtimo. Proin cum utraque æque ſit utilis, ſuum cuique liberum eſto de hac re judicium.

Temere in ſanos ſumuntur quæ ægrotis debentur remedia.

Hipp. 2. Aph. 36. §. 1. Aph. 5.

CAPUT II.

Quæ ſtomacho *imbecillis ſervanda ſint.*

ET imbecillis *ſtomacho*, quo in numero magna pars urbanorum, omneſque pene cupidi litterarum ſunt, obſervatio major neceſſaria eſt, ut quod vel corporis, vel loci, vel ſtudii ratio detrahit, cura reſtituat. Ex his igitur, qui bene concoxit, mane tuto ſurget, qui parum quieſcere debet, & ſi mane ſurgendi neceſſitas fuerit, redormire. Qui non concoxit, ex toto conquieſcere, ac neque labori ſe, neque exercitationi, neque negotio credere.

DEfinitis omnibus quæ pertinent ad firmæ liberæque ſanitatis curationem, CELSUS ea præcepta protinus junget, quæ vitioſo ſeu corporis totius ſeu unius particulæ ſtatui debentur, idque ſumpto ab ſtomachi imbecillitate initio. Stomachi appellatione id Græcis communiter ſignificatur, quod ipſi propria alias voce *οισοφάγον*, ac Latini *gulam* nominant, omnem illum cibi meatum, qui ori & ventriculo interjacet. At CELSUS illum *καταχρηστικῶς* hoc loco, ut (alias ſæpiſſime) pro toto ventriculo, tametſi & interdum (ut ſemper GALENUS) pro ejus tantum ore uſurpavit. Ceterum hujus partis tutandæ eo nobis cura major eſſe debet, quo ejus offenſa graviori cum tædio tum periculo univerſum corpus exercet. Eſt namque ventriculus primum concoctionis ciborum inſtrumentum, & omnium compagis humanæ partium quoddam ſeu commune promptuarium, cui ſi quis error circa munus concoquendi ſemel accidat, ejus illico particeps fit & reliquum corpus. Scilicet ſupra naturæ

Stomachus quid.

Stomachi vitia quanti ſint.

vires eſt, ut bonus in hepate ac venis ſanguis inſtauretur, male coctis in ventre epulis, hoc ipſo, quod unius concoctionis vitium alterius robore nunquam corrigatur. Quod vero ſtudioſos literarum imbecillus ſtomachus potiſſimum exerceat, hæc eſſe cauſa putanda eſt, quoniam intempeſtivioribus ſtudiis (ſive hæc protinus a cibo, ſive noctu fiant) plus æquo vacant, tum quia dulcedinis diſciplinarum gratia libris continenter affixi, neceſſariæ ad ſanitatem exercitationis uſum fere negligant: Hinc enim coire intus pituitam: Hinc ſtomachum affluentium excrementorum multa ſaburra onerari, neceſſe eſt, quandoquidem hæc iſta pars (ſicut GALENO viſum eſt) ut primum ſemel labefacta eſt, protinus recipit ſuperfluam univerſi corporis materiam. Eadem inſuper calamitas complures etiam oppidanos affligat, ut qui ob rerum omnium affluentiam diſſolutius victitant, otioque (re omnium pernicioſiſſima) torpeſcunt. Ergo id genus hominibus omnibus CELSUS edicit, ne antea mane ſurgant, quam pridianam cœnam ventriculus ſubegerit. Recte enim ſemper negotia poſtponuntur concoctioni, quam quies, multoque hac magis ſomnus promovent, ſcilicet dormientibus, quia motionis ſenſuſque inſtrumenta ociantur, calor ſpirituſque pene omnis in penitiſſimis occulitur præcordiis, omnia ibidem, quæ concoctionis egent, perficiens, ſuoque veluti numine tutelari nulla non naturæ opera colluſtrans. Sane hunc caloris ad interna receſſum ipſe indicat ſpiritus, qui per ſomnum trahitur & frequentius & altius. Ex quo ſciri poteſt, recte id ab HIPPOCRATE poſitum fuiſſe, *Vigilans exterius calidior, intus frigidior: Dormiens contra*. Hæc iſta paulo accuratius conſideranti mirum videri deſinet, quod CELSUS præcipit, tantiſper abſque omni negotio eſſe quemque oportere, imo ſi licet, etiam dormire, donec ventriculus in totum ſuo munere ſit perfunctus. Nam quis unquam dubitavit laborem cruditati adverſari, quietem certiſſimum auxilium eſſe, quatenus ſub hac alimenti concoctio, ſub illo diſtributio magis vigent?

Stomachus cur ſtudioſis imbecillus.

Gal. de ſanit. Stomachus debilis recipit totius ſuperfiua.

Somnus & quies adjuvant concoctionem.

Hipp. 1. Epid. 12. §. 33. Ante exactam ventriculi concoctionem, non eſſe negotiandum.

QUi crudum ſine præcordiorum dolore ructat, is ex intervallo aquam frigidam bibere debet, & ſe nihilominus continere. Habitare vero ædificio lucido, per flatum æſtivum hybernum Solem habenti, cavere meridianum Solem, matutinum & veſpertinum frigus, itemque auras fluminum atque ſtagnorum, minimeque nubilo cœlo Soli aperienti ſe committere, modo frigus, modo calor moveat. Quæ res maxime gravedines deſtillationeſque concitat. Magis vero gravibus locis iſta ſervanda ſunt, in quibus etiam peſtilentiam faciunt.

Ructus malæ concoctionis index. Ructus accidus quid, & quomodo moveatur.

§. Improbam ventriculi concoctionem ructus arguit. Hic ſi aſpero quodam acore fauces perſtringit (ὀξυρεγμίαν Græci nominant) frigidis cauſis innectitur, eſtque vaporoſus quidam ſpiritus ab invalido calore intus genitus, ſubindeque per os ſupra exploſus. Dixi invalidum calorem, ejus primum reſpectu, qui penitus oppreſſus victuſque cum ſit, ſummam parit cruditatem: Quoniam potis non eſt cibos extenuare, neque diſſolvere, neque conficere, nedum halituoſos inde ſpiritus excitare. Jam vero qui calor nimius eſt, adeo omnia quæ ventriculo comprehenduntur, exurit tabefacitque, ut ne tantillum quidem reliquum faciat idoneæ ad craſſi frigidique vaporis generationem materiæ. Nimirum qui hic ructus ſupervenit turbidus quidam, ſiccus fumoſuſque flatus eſt, propter vehementem

Ructus fumoſus.

tem caloris intemperiem (ut GALENUS ait) & paucis, & durationis non longæ. Tametſi non ignorem hunc quandoque ructum pertinaciorem evadere, utique ſi flava ab jecinore bilis in ventriculum mittitur, aut ſi quæ adſumuntur edulia, ſunt multi nidoris, ut allium, radicula, cepa : Seu facillimæ alterationis, ut lac, oleum, ovum ſorbile, & ſimilia, quæ fervidus ventriculus protinus extorret, vittatque. Ceterum (ut ad rem propoſitam veniamus) de iſtiuſmodi ructus genere, minime intelligenda *Authoris* hæc oratio eſt. Nam quam hoc loco ipſe molitur retinendæ intus materiæ concoctionem, ea nidoroſo ructui penitus futura eſt inutilis. Scilicet quæ hunc movet materia, quoniam neque ullo naturæ beneficio fieri ſalutaris neque in integrum reſtitui poteſt, qua via primum licet, infra ſuprave exterminanda nullatenus (firmato frigida ſtomacho) intus cohibenda eſt, idque ne venas ſemel ingreſſa benignos quoque ſuccos ſua putreſcentia contaminet. At vero acido ructui nulla hujuſmodi opus vacuatione eſt, rectius concoctio adhibetur, quæ id quod parum exacte alteratum eſt, perficiat. Nempe hoc fretus conſilio GALENUS materiam accidi ructus medicamine ὀξέ τριῶν πιπέμεων, concoquit, fumoſi ἱερᾶς πικρᾶς uſu expurgat. Acidum ructum eum intelligas oportet, qui ab infirmo naſcitur calore, ſive initium imbecillitatis cruda fecerint edulia, ſive humoris qui ibi coiit natura, ſive nuda etiam ejus partis intemperies. Loquor hæc pituitæ cauſſa, quæ ex capite in ventrem deſtillavit, quæque corruptione perdita non recte intus tenetur: Spem enim concoctionis omnem effugit. Quis igitur jam non videt ſub crudi ructus appellatione eum denotari, cui GALENUS acidi nomen tribuit, quod certe crudo magis conveniens propriumque eſt ? Quoniam, ut proxime dixi, calor parum validus cibos hic quodammodo diſſolvit, at non omnino conficit, ex quo flatus moveri crudos naturale eſt, ſic profecto ut in aeris incidit tempeſtatibus, qui aer ſi per hyemem Boreali frigore riget, aut rurſus æſtivis horis ſub flagranti Canicula æſtuat, pacatus omnino viſitur, nubibus ac ventis in totum carens, idemque contra mediis inter has conſtitutionibus nimbis, ac flatibus turbatur. Sed hæc poſuiſſe ſufficiat de propoſiti ſymptomatis natura : quare ejus jam nunc explicandum remedium eſt. Ac primo quidem illud jure quis mirabitur, quo modo potui ſumpta frigida, frigido ventriculo ſubveniat, cum indubitatum tritumque Medicis axioma ſit, contrariorum uſu contrariis remedia dari. Adhæc ſi GALENUS in porrigenda frigida uſque adeo cruditatem horruit, ut ne iis quidem, quos ardentiſſima febris extorret, eam ante concoctionem indulſerit, quanto majore reverentia metuque ſanis cruditate vexatis largiare, quibus talis præſidii neque tam anceps eſt occaſio, neque tam urgens neceſſitas. Quid ergo? Errare potuiſſe CELSUM in tanta re credimus? Minime Hercule. Nam quis unquam antiquorum virorum ſcripta tuto condemnavit, utique cum in his quæ in ſpeciem falſa ſunt, ea ſæpe diligens inquiſitio rectaque ratio non ſolum probabilia facit, ſed etiam firmiſſimo veritatis robore ſolidet? Ergo CELSUS frigidam hoc loco potui dat, non quidem continenter, atque ſæpius inter cibos (ut fit) bibendi gratia, ſed per intervalla duntaxat. Sed qualia tempora huic rei legi, aut quanta hæc eſſe intervalla expediat, quoniam ipſe Author non junxit, æquum eſt nos id partim ex artis præceptis eruere, partim ex aliis hujus viri ſcriptis (ſi qua fieri via poteſt) conteſtatum facere. Frigida, inquit AVICENNAS, inani ventriculo pernicioſa eſt. Idem & ratio oſtendet, ſi quis ejus potionis naturam curioſius intueatur. Nam cruda cum ſit ac vehementi frigore aſpera, inanem ventriculum protinus offendit ſeu nervaceum, ipſumque

Gal. 6. Symp.

Quem ructum Celius hoc loco proponat.

Gal. 1. loc. affect.

Ructus crudus idem quod acidus.

Gal. 6. Meth.

Frigidæ potio quo modo crudo ructui ſuccurat.

Frigida cur inani ventriculo noxia ſit.

que ſuapte natura frigidum, nec ullo jam cibo adverſus crudi elementi vim communitum. Cujus quoque rei periculo adjicitur præſens ventriculi cruditas, quæ ſola prohibere uſum aquæ poteſt, utique ſi inter cibum potionis quotidianæ vice ſumitur. Sed ipſum forte præſtiterit audire CELSUM, qui laxitatem ſuffrigidi ſtomachi curaturus, ſic inter cetera loquitur. *Legere clare oportet*, *ambulare*, pila armiſve exerceri, non aquam, ſed vinum calidum jejunis bibere, uti poſt cibum frigidis potionibus. Adeo apparet quocunque te verteris, frigidam (ſi unquam hic ea dabitur) non niſi protinus a cibo recte dari poſſe, idque non tam ſedandæ ſitis (quæ hic fere nulla eſt) quam adſtringendi firmandique ſtomachi gratia. Verum ne ſine validiore pondere argumentorum nova condere dogmata, ac παραδοξοποιος eſſe nonnullis videar, non dubitabo partim probabili ratione, partim authoritate antiquorum Medicorum uti, quibus id quod adſtruo, perſuaſum Lectori efficiam, utique cum non deeſſe ſciam, qui diverſum ſunt opinati. Sed agedum, a quonam rectius ordinamur, quam ab ipſo noſtro CELSO, qui luculentiſſimis verbis (ut modo retuli) hanc rem confirmavit? Tum proximis ab hinc locis eandem repetit, ſaturis conſulens, ſiquidem meliorem optent concoctionem, ut frigidæ poculo ſumptas dapes includant. Extat alius in eodem *Authore* locus, ipſo meridie clarior, qui velut indice rem omnem hanc commonſtrat. Scribitur ille tertio hujus libri capite de ventriculi imbecillitate, quæ pituitæ vomitum ſecuta eſt. Illic cum primum *Author* tenacem craſſumque humorem hyſſopi, radiculæ, & ſimilium uſu tenuerat deterſeratque, protinus citato vomitu pituitaque exempta infirmitatem ventriculi correcturus, tum panem heſternum, tum vinum auſterum, & meracum, itemque carnes aſſas cibumque omne ſiccisſimum poſuit, ac noviſſime poſtque omnem comeſtionem tres aquæ frigidæ Cyathos bibendos eſſe præcepit. At miſſa faciemus, ſi voles, hæc omnia, potius (ne forte uni errori fidem ſimilibus erroribus quæramus) HIPPOCRATEM atque GALENUM duo Medicinæ lumina ſuper hac re conſulturi. Ergo GALENUM, *primo Sanitatis Tuendæ*, adeo frigidæ potum a cibo non reformidavit, ut ipſis etiam pueris indulſerit, utpote inexhauſta ſemper cruditate propter aſſiduam voracitatem gravatis. Quippe huic malo ideo data a cibo frigida medetur, quod arctatis circum epulas ſtomachi villis calorem includat breviquè in ſpatio coerceat, unde is protinus acceptis viribus invaleſcens cruda quæ intus ſunt omnia promptius edomat, & ad chyli perfectionem demutat. Adeo apparet ut vix unquam quicquam, ita ne hoc quidem a vulgo temere dici: A frigido potu calidum ſanguinem inſtaurari. Sane quantas vires adſtringens hæc frigidæ vis cum ad cruditatem tum ad crudos ructus ſanandos obtineat, iis non obſcurum eſt, qui id genus ſymptomatis norunt non tam alimenti concoquendi imperfectione quam ventriculi ejuſque potiſſimum oris laxitate accidere conſueſſe. Scilicet humectarum atque pinguium rerum a cibo uſus maxime (ſi quid aliud) id genus ructus movet. Quod in hoc, quo dixi modo, is præcipue fieret, ſequeretur, in nullius non ventriculi concoctionem perpetuo incidere hunc oportere, quatenus parvis initiis cibus omnis ad legitimi chyli perfectionem accedit. Atque haſce tam eximias frigidæ dotes vetuſtiſſimus Author HIPPOCRATES duobus his verbis exhauſit, *Aqua vorax*. Ceterum magna cura opus eſt, ne eo luxu frigidum ventriculo cruditate vexato ingeratur, ut invalidas caloris in eo vires opprimat, quod fieri proclive eſt, ſimillimirum intemperie, & frigidæ qualitate. Neque enim hæc per ſe aci-

Lib. 1. cap. 3.

Frigida urgente crudo ructu poſt cibum porrigenda.

Frigidam Galenus ipſis etiam pueris a cibo conceſſit.

Frigida quomodo crudo ructui medeatur.

Ructus crudus quomodo fiat.

do

do ructui ſuccurrit, ſed (ut proxime dixi) ex accidente, compreſſis ſcilicet ventriculi tunicis. Hoc dempto, quis unquam dubitavit ad comprehenſi ſymptomatis ſanationem calidis tum eduliis tum poculis uti? Quomodo POLYBUS vinum meracum largius hic eſſe bibendum Author eſt. Conſtat enim, inquit, ventriculum imbecillitatis frigoriſque vitio cibum concoquere non poſſe. Ex quo etiam loco ſciri poteſt, non niſi ultimo cibo frigidam aquam ſalubriter dari, tum cum ejus eſt & urgentior neceſſitas & ſecuritas major. Etenim intus ſubſtantibus epulis multo maxime ventriculo ad munus concoctionis viribus opus eſt, quæ vires (ut toties dixi) frigidæ poculo juvantur. Neque ſubeſt interea ullum refrigerationis nimiæ periculum, utpote aqua moderate ſumpta, ac ventriculo calentibus tum ferculis tum potionibus egregie communito. Sed his abunde ut puto expoſitis, proximum eſt ad præcordiorum tranſire dolorem, quo ſubſtante inutilem frigidam CELSUS voluit. Hic dolor ſi ructui acido jungitur, ab ea moveri ſolet, quæ corrupta intus pituita eſt, eroſis (ut GALENO placet) per hanc ventriculi tunicis. Jam quia putris hic humor nulla caloris inſiti energia fieri bonus poteſt, rectius cito vomitu ejicitur, quam firmato per frigidam ſtomacho intus tenetur. Quod ſi comprehenſum ventriculi pathema affectus aliquis inflammationi ſimilis invexerit, tum quoque frigido potu (niſi eryſipelas ſit) ſuperſedendum eſt, ut quæ ejus mali concoctionem tardare poteſt, non poteſt juvare. Et quidem de frigida plus ſatis, cujus facultatem eo latius explicuimus, ut ſtudioſus lector intelligat, quanta ſæpe rerum fœcunditate polleant breviſſimæ atque in ſpeciem ſimpliciſſimæ veterum Authorum ſententiæ, quarum profecto elucidatio neſcias an plus exigat judicii, quam obſervatio ferat utilitatis. Tranſeamus jam nunc ad quietem, ſecundum crudi ructus auxilium. Ipſa detentis circa penitiſſimas vitæ ſedes, ſanguine, calore, ſpiritu, ad crudæ quæ intus eſt materiæ concoctionem non parvo eſt adjumento. Qua profecto commoditate motio ſubſtante cruditate caret, ſemicoctos eliquans humores, ac magna vi in extimas membrorum partes quoquoverſus impellens: unde obſtructiones, febres, ulceraque pullulare neceſſe eſt, juxta illud HIPPOCRATIS: *Ulcera erumpent, ſi impurgatus laboraveris*. Tum ipſe quoque GALENUS *complures ſibi viſos* narrat *cruditate humorum impeditos, qui dum quieſcerent, nihil ſentire ſe profiterentur, ac inſolatu aut lavacro accenſi, multoque magis labores aggreſſi illico alii inhorreſcere, alii rigere, multique febricula premi cernerentur*. Porro, his ita definitis, ſupereſt, aerem domicilii addamus, ubi eum verſari oporteat, qui parum accurate concoquit. Ac primo quidem quod ad ejus pertinet qualitatem hunc eſſe CELSUS vult temperatum, ſic ut neque frigore corpus ſtupefaciat, neque calore exurat. Ejuſque rei cauſa Author cavit, ne qui ſeſe meridiano Soli aut Matutæ Veſperique frigoribus exponat, tum ne, cum nubilum cœlum eſt, Soli repente ſe oſtentanti obji-ciat. Sicut enim quævis temperata (qualiacunque tandem ea ſint) concoctionem crudorum juvant, ita quæ vehementius vel calent, vel frigent, hanc pervertunt. A calido quidem cruda liqueſcunt, fluxaque fiunt, tam hinc per corpus omne diffuſa obſtructiones exilibus meſenterii vaſis ac viſceribus inferunt. A frigido autem eadem hæc magis incrudeſcunt, & concoctioni fiunt rebelliora. Sic quoniam utrinque ab extremis vitium eſt, recte medium tenetur, ac domus deligitur, quæ per flatum æſtivum feneſtris receptat Solem hybernum. Cujus rei commoditatem neque ipſe præteriit ſilentio GALENUS, his præcipiens quos cruditas male habet, ut *ædificium legant, quod hyeme caleat, ac frigeat æſtate*. Atque hæc de

Frigida dolentibus præcordiis cur inutilis. *Gal. 6. ſanit.*

Quies crudo ructui opitulatus.

Motus cruditati inimicus. VI. *Epid. Sect.* V. §. 50. *Gal.* V. *de cauſſis Sympt.*

Qualis aer cruditatis ſis idoneus.

Ut temperata quævis cruditati præſidio, ſic intemperata nocumento ſunt.

Gal. 2. Meth.

aeris

aeris qualitate. Subſtantiam eſſe convenit tenuem, lucidum, atque purum, qui omnibus ex æquo naturis juxta ſalutaris eſt, utpote ſpiritus noſtri ſubſtantiæ quam reficit ſimillimus. Itaque fugiendus is erit, qui ex profundo ſpecu peſtilentem auram ſpirat, aut qui editis undique montibus cavo incluſus loco putreſcit, omnique afflatu ventorum caret, tum qui ſtagni aut paludis tetro halitu infectus, aut proximi fluminis occaſione nebuloſus eſt. Quo magis errare vulgares conſtat, qui auræ ſalubritatem ſpatioſorum amnium vicinia metiuntur. Sicuti enim amæni decurrentium aquarum adſpectus oculos multa detinent voluptate, ita contra utramque valetudinem maximis ſollicitant incommodis. Verique ſimile eſt, non admodum quenquam ſub eo cœlo valere poſſe, quod nebuloſum, quod craſſum, quodque redditis ab humecto elemento vaporibus impurum eſt. Videlicet præcipua aeris dos ſerenitas putatur, ac proin præſtare creditur ruſticus urbano, agreſtis pratenſi, mediterraneus maritimo; montanus paluſtri, terreſtris fluviali, ſiccus pluvio, ſudus nebuloſo, meridianus matutino, diurnus nocturno. Porro quæ proxime comprehenſa ſunt auræ vitia, ut nunquam non ſunt cruditati moleſta, ita tum quoque penitus fiunt pernitioſa, cum inæquales cœlo tempeſtates imperant, ſic ut illud modo caleat, modo frigeat, ac modo ſudum ſit, modo rurſus obſcurum. Nempe hæc aeris varietas concoctionem crudorum turbat, inque ſalubrioribus natura locis deſtillationes movet, in gravibus ipſam quoque excitat peſtem. Deſtillationes urgent, ubi capitis ſuperflua vi frigoris genita concretaque, ſuperveniente fuſa calore diffluunt, aut cum eadem hæc calore prius tenuata ab incumbenteque mox frigore ſtricta in ſubjectas capiti ſedes (ſeu ſpongiæ per manum humor) exprimuntur. Quos caſus tum demum incidere compertum eſt, cum Auſter ac Boreas invicem ſpirant. Ille cerebrum excrementis opplet, hic eadem exprimit, aut certe quæ Boreas prius quadam quaſi congelatione ſtupefecit, Auſter fluxa reddit. Peſtilentia fit, cum propter hanc tempeſtatum inconſtantiam tota aeris ſubſtantia vitiatur. *Ubi enim eodem die*, inquit HIPPOCRATES, *modo calor urget, modo frigus, autumnales morbi in proximo ſunt*, in quorum profecto catalogo Epidemiæ (nam in his & peſtis eſt) facile primas tenent.

Aer propter vicinum flumen inſalubris.

Aeris præcipua dos ſerenitas.

Aer inconſtans quid noceat.

Deſtillationes quomodo & quando maxime fiant.

Peſtilentia quando fiat. *Hipp. Lib. 3. Aph. 4.*

SCire autem licet integrum corpus eſſe, quum quotidie mane urina alba, dein rufa eſt. Illud concoquere, hoc concoxiſſe ſignificat.

Commonſtratis hactenus tum notis tum remediis ejus cruditatis quæ ventriculo concoquenti accidunt, digreditur jam CELSUS ad declarationem ſecundæ concoctionis quæ in jecore ac venis abſolvitur. Ut autem ventriculi diſpoſitionem ructus arguit, ſic hepatis ac venarum urina. Quid enim fidelius concoctionis modum ipſis annunciet excrementis, quæ in unoquoque alterationis inſtrumento coire conſuerunt? Ipſa vero urina aquoſum hepatis ac venoſi generis ſuperfluum eſt, quod ſic a ſanguinis maſſa ſequeſtratur. Ejus humoris quantum corpori ad ſuccorum anadoſim inutile ſuperfluumque eſt, id e cava vena renes venis emulgentibus ſeu manibus quibuſdam attrahunt, atque hinc deinceps per ureteras in veſicæ cavum propellunt, ubi mole auctum aut alioqui mordaci qualitate affectum, recluſo eo qui in veſicæ collo eſt transverſo muſculo foras elidi-tur. Adeo apparet urinam nihil aliud quam ſanguinis quoddam colamentum

Urina ſuper hepate ac venis ſignificat.

Urina, a ſanguinis maſſa quomodo diſcernatur.

Urina ſanguinis colamentum.

tum esse, eoque haud dubia fide affectionem hepatis ac vasorum (non intervenientibus locorum ureticorum vitiis) indicare posse. Quo magis in febribus putridis (utique si nihil abditæ contagionis subest) urina contemplanda est, tum quia hi morbi affectiones quædam sanguinis venarum sunt, tum quia GALENUS affirmavit, *eorum quæ in profundi corporis occuluntur penetralibus, nullum esse nec manifestius nec evidentius signum unica urina*. Ergo in hoc genere excrementi, quoniam hæc fere spectari consuerunt, substantia, moles, color & contenta, visum est operæ pretium ex singulorum animadversione docere, quæ urinæ species integritatem concoctionis annunciet. *Laudatissimam* GALENUS censuit, *cui supra mediocritatem substantiæ justumque modum fulvus seu rufus color, & hypostasis alba, levis, & æqualis accessit*. Non meminit hæc omnia CELSUS solo coloris boni præsagio contentus. Fere enim sequitur, ut is comprehensis indiciis jungatur. Et quis quæso sanus adeo curiose ista omnia quotidie scrutari in urina sustineat, cum abunde sit unicum attendere colorem, qui meientibus primum datur ob oculos, quique si albus est, concoquere naturam: Si rufus, concoxisse significat? Priorem cave intelligas ex toto album, qualis in aqua visitur, & in eorum urina, quibus liberaliora pocula venas onerarunt. Iste enim color summæ cruditatis argumentum est. Videlicet ubi insitus hepati calor adducto per mesaraeas chylo nondum evidens aliquod alterationis vestigium impressit, vixque fieri cœptum est ἁιματώσεως rudimentum, necesse est, quicquid humoris per id tempus inelaboratæ alimenti massæ deteritur, aquosum id crudumque esse, ac ne tantulæ quidem particeps bilis, quæ ipsi splendorem fulvique coloris gratiam conciliet. Est enim hic humor ex sese nil nisi aqua, sive ad colorem spectes sive substantiæ modum, quæ ambo nunquam ipsi demutantur, nisi aut bilis aut alterius humoris seu materiæ accessu. Et quidem in recte valentibus ut plurimum unica eam colorat bilis, ut quæ pro sua tenuitate prompte una cum sero ad renes diffluit, ejusdemque succi merito fit, ut in nobis urina tum fulvescat tum acris appareat. Igitur omnis urinæ bonitas atque εὐχροια in castigata consistit succorum ac proin flavæ quoque bilis productione, estque adeo quidam veluti gradus, juxta quem gradum plus accipiunt tum humores rudimenti, tum urina fulvi coloris, sicut quo tempore inchoata in jecore concoctio est, hujus quendam seu characterem protinus urina monstret, tum nonnihil quoque de suo albore amittat, accepta qualicumque bilis particula. Oriturque subinde color ex albo rufescens, Græcis ὠχρολευκὸς appellatus, qualem arte, puto, feceris, si aquæ lympidæ Sextario croci scriptulum misceas. Hæc crasis colorem propositum ostendet, cui apud Romanos nullum est inditum nomen, ideoque CELSUS ipsa re coactus, album dixit, quod etsi vehementer dilutum est, rufedinis tamen principia quædam accepit. Ut primum vero ad ulteriorem perfectionem succos alterando jecur perduxit, utique plus bilis urinæ affunditur, quatenus plus ejus in sanguinis massa inest, protinusque color exurgit exacte inter album & rufum medius, Latini *pallidum* id Græci ὠχρόν appellant. At perducta ad umbilicum concoctione, novus in urina color efflorescit, quem GALENUS πυῤῥόν, HIPPOCRATES κιῤῥόν, CELSUS *rufum*, Linacer *fulvum* nominaverunt, estque hic omnium testimonio atque confessione probæ concoctionis infallibilis index. Procedit vero semper hæc ista colorum gradatio una cum incremento concoctionis, adeo ut superexcoctis succis rursum excipiat flavus, atque hunc deinceps rubeus ob flavæ scilicet bilis affluentiam ignescens. Prior Græci ξανθὸς, alter ἐρυθρὸς est appellatus. Sed GALENI de hac

Urina in putridis febribus spectanda est. *Gal.* IV. *de sanit.*

Urina optima quæ. Gal. IV. de sanit. tuend.

Urina alba cœptam concoctionem, rufa perfectam significat.

Urinam bilis colorat.

Urinæ bonitas ex proba hæmatosi est.

Cujusmodi colorem Celsus album dixit, qui cœptæ concoctionis index est.

Color pallidus. Color rufus, probæ concoctionis index.

hac re ſententiam proponere, ſatius eſt. Is ſic habet *primo criſeon*: Ὅσον δὲ ἐγὶ τὸ πυῤῥὸν τῦ ξανθῦ λευκότερον, τοσῦτον ἐκεῖνο τὸ ὠχρόν. Ὅσον δ' αὖ πάλιν ἧττον λεῦκον ἐγὶ τὸ ξανθὸν τῦ πυῤῥῦ, τὸ σὲτον τῦ ξανθῦ τὸ ἐρυθρον, quod eſt *Quantum autem ruſus color albedine ſuperat flavum, tantum pallidus vincitur a rufo. Rurſus quanto minus albedinis ſortitur flavus rufo, tanto quoque minus flavus rubeo*. Hæc ille. Porro ad rem pertinet noviſſe huc quem CELSUS probatiſſimæ urinæ colorem ſtatuit, non ita perpetuum eſſe, quin ſæpe pro cibi, potionis, ætatis, temperamenti, propoſiti vitæ, regionis, temporis, anni & ſimilium rerum differentia alias paulo albentior, alias ad flavum inclinatior appareat, qui nihilominus optatæ concoctionis index eſſe certus poteſt.

UBi experrectus eſt aliquis, paulum intermittere, deinde (niſi hyems eſt) fovere os multa aqua frigida debet, longis diebus meridiari potius ante cibum, ſin minus poſt eum, per hyemem potiſſimum totis noctibus conquieſcere. Sin lucubrandum eſt, non poſt cibum id facere, ſed poſt concoctionem.

Mane peracta ventris concoctione ſurgendum eſt.

¶ Quiſquis alimentum ventriculo exiſſe, jecurque ſuo probe fungi officio conſulta urina mane comperit, protinus e lectulo ſurgere, paulumque intermittere ſeu interquieſcere a vitæ negotiis debet. Quod ita præcipitur, ut cerebrum (cujus vires ſomno obrutæ ac quaſi ſepultæ jacuere) paulatim ſeſe ad novas actiones erigat, utque miſſi non impetu, at lento motu ſpiritus motionis ſenſuſque inſtrumenta jam tum excrementis feriatione collectis impedita, placidius permeent, diducant, repurgent, ac ſic functionibus reddant accommodatiora. Quibus rite peractis non inutile eſt multa frigida os eluere, unde mirifice cerebrum firmari deprehenſum eſt, coacto intus auctoque in capite calore, ſic ut hujus beneficio ac robore, qui per noctem ibi coierunt, ſuperflua tenuari pellique foras contingat. Eſt tamen hoc auxilii genus ita temperandum, ne pari per quævis tempora luxu tentetur. Nam cautius eo utendum, imo forte prorſus abſtinendum erit, ſi hyems eſt, ſi cerebrum impenſe frigidum, ſi fauces propter imbecillitatem recipiendis fluxionibus opportunæ ſunt, ſi denique ipſa aura aſperrimo frigore rigens, idve genus alia circumveniunt, quæ crudi elementi occurſum excipienti palato viciniſque locis periculoſum reddunt. Etſi non diffitemur id præceptum non ita eſſe perenne, quin pereat interdum, utique ſi neque diſſuetudo reclamat, neque copioſa adhibetur aqua. Porro meridiari, quod eſt ſomnum meridianum capere, iis apprime conceſſum eſt, qui huic aſſuerunt, tum quibus bona noctis anteactæ pars ducta inſomnis eſt, magiſque æſtivis menſibus, quum dies ut productiores, ita ad meridiandum magis idonei ſunt. Nempe quoniam per hæc tempora genuinus calor ſub æſtuoſo cœlo plus juſto diſſolvitur, corpuſque ſupra modum inareſcit, non male his incommodis ipſo occurritur ſomno, cujus ope tum calor ante per habitum ſparſus, intro rediens colligitur, tum corpus compreſſis naturæ effluviis humectatur. Oportunius autem ante cibum meridiatur, quia tum corpori deeſt, quod nocentem ſomnum diurnum facit, ipſum ſcilicet alimentum. Quamquam plenioris humectationis gratia non inutile fore crediderim, ſi quis ante tantulum aſſumat idonei cibi, quantulum ventriculus ſub ultimum ſomnum probe confectum reddat. Notum enim eſt, ſomno jejunum corpus conſumi, id quod æſtate adverſiſſimum eſt. Quod ſi ſatur aliquis de die ſo-

Experrectis os eluendum frigida.

Quibus tutum ſit meridiari & quo anni tempore.

Meridiandum ante cibum.

mno

mno ſe dederit, huic profecto alterutrum ferendum eſt, aut ſeptenas circiter horas continenter ſtertere, aut concoctionem experrectus turbare. Primum ignavi hominis, alterum valetudinem negligentis eſt. Illi tempora ſuperſunt, huic male leguntur. Neque enim, cum præpropere ſurgitur, ad umbilicum ducitur concoctionis munus, ſed cibi crudi pars in caput exhalat, pars ventriculum onere & quidem inutili premit. Unde protinus capitis ac præcordiorum dolores, ac tenſiones fiunt, junguntur-que his ὀξυρεγμίαι & ventris ſonitus & nauſeæ, & corporis mentiſque torpor, & ſi quæ his paria ſunt ſomni pomeridiani tædia. Jam vero ſi ante cibum meridiandi facultatem negotia ſuſtulerunt, & meridiari tamen animus eſt, haud abs re videatur poſt ipſum id facere Meridiem, cibo prius modice guſtato, potiſſimum, ſi corpus inſuper intemperie ſicca imbecillum eſt. Et quidem hæc obſervatio æſtati debetur. Per hyemem conſultum eſt miſſis lucubrationibus totas noctes conquieſcere, quo tanto accuratius cibus conficiatur, qui id temporis valentior concoctionique magis rebellis, & cumulatior eſt. Si qua tamen lucubrandi neceſſitas eſt, prima id fieri noctis particula cautum eſt, idque ne cruditas moveatur raptis e præcordiis ad mentis arcem ſpiritibus vitalibus. Proin ſeveriora ſtudia rectius capeſſimus a ſomno ſubque ipſam auroram, cum ſpiritus animales quiete inſtaurati, crudiſque cibi vaporibus jam non amplius impediti, quin & copioſo vitalis auræ a corde venientis afflatu recreati, ad res cognoſcendas menti quam feliciſſime inſerviunt. Quapropter ſtudioſos literarum hoc loco monitos velim, ne ſaturi altioribus animi intentionibus ſeſe dedant, quæ nihilominus concoctionem turbare quam vehemens corporis motus ſolet. Quin potius quædam animi quaſi laxamenta quærant, quibus natura corporis delinita, longe cum citius tum exactius confectum dederit, quod intus eſt, alimentum.

Somni pomeridiani incommoda.

Hyeme totas noctes conquieſcendum eſt.

Qua noctis particula lucubrandum ſit.

A cibo laxandus animus eſt.

QUem interdiu vel domeſtica vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod ſervandum curationi corporis ſui eſt. Prima autem ejus curatio, exercitatio eſt, quæ ſemper antecedere cibum debet: in eo qui minus laboravit, & bene concoxit, amplior: in eo qui fatigatus eſt & minus concoxit, remiſſior.

Perdifficile eſt, Authore GALENO, *eorum tueri ſanitatem, qui privatis negotiis aut civilibus ita deſtinentur, ut nullam ſui corporis gerere curam poſſint*. Quapropter hos vel inſigniore intemperie (quæ tamen morbo vacet) affectos idem Author ne traducere quidem ad meliorem naturæ ſtatum dignatur, utpote qui propoſitam vivendi normulam perpetuo ſequi per occupationes nequeunt, maleque audire faciunt remedia, quæ recte uſurpantibus non infrugifera fuere. Hortatur eos homines CELSUS, ne ita attente vel ſua vel aliena curent negotia, ut nihil interea proprii corporis ſalutem reſpiciant. Multum cum ad animi voluptatem, tum ad ſanitatis tuitionem exercitatio poteſt. Nam & nativum calorem facultatis omnis authorem exauget, & corpus univerſum onere excrementorum levat. Quo minus mirum eſt, degentes ruri agricolas, oppidanis magis firmos ac vitales eſſe. Iſtius ſiquidem rei facultatem præſtant labores, quos ipſi opere ruſtico faciendo in dies exhauriunt. Eſtque hujus rei tanta vis, ut valetudinis incommoda, quæ multa agricolas propter victus errorem circumveniunt, ſola minuat excludatque exercitatio. Certe immenſa Gymnaſtices utilitas effecit, quod antiquitus ad curandam ſanitatem

Difficilis ſanitatis tutela, quam negotia impediunt.

Exercitationis facultas. Ruſtici cur magis vivaces ac ſani oppidanis.

nihil

nihil ea habitum ſit prius, quodque eam ſcripto celebrarint vetuſtiſſimi quique Medicinæ Authores HIPPOCRATES, DIOCLES, PRAXAGORAS, GALENUS, ipſeque Ariſtotelis gener ERASISTRATUS. Ergo ſua cuique amplectanda corporis exercitatio eſt, non tantum ut commodius, verum etiam longius vivat, eaque non niſi ante cibum eſſe utilis poteſt, quemadmodum ante CELSUM parens HIPPOCRATES docuit his verbis: Πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν, id eſt, *Labor Cibum antecedat*. Cujus quidem præcepti ratio ex ipſo motionis effectu colligitur. Nam ſi paulo validior motus (quem exercitationem vocamus) eorum quæ in alto ſunt abdita corpore, diſtributionem ad extima promovet, quis dubitet hunc corpori gravem fore, ſi qua cruditas ventriculum, jecur, venaſve ex inelaborato alimento obſidet? Neque enim ſemicocta liqueſcere, ac quoquoverſus in habitum corporis ferri expedit, ſed potius intus decet manere, viſcerumque robore alterari, & in ſanguinem non improbum verti. Idcirco priuſquam eſtur, exercitandi ſumma oportunitas eſt, tum ſcilicet, cum cibus bis jam ſecundum totam alteratus ſubſtantiam eſt, ac jam denuo cibandi tempus inſtat. Simul vero & alvi & veſicæ onera ſi quæ premunt, per hæc tempora prius levanda ſunt, ne quid ex his motionis caloriſque vi tenuatum, in venas atque corporis molem feratur. Sane propoſiti temporis nota ex urina petitur: Quæ ſi rufa plus minus apparet, & optatum duplicis concoctionis finem, & commodum exercitationis adeſſe principium commonſtrat. Hunc temporis articulum quiſquis laborando non attigerit, neceſſe eſt, ut ſi infra eſt, cruditate venas oneret: Si ſupra, ſuccos ſolidaſque partes tabefactione violet. Atque hæc dixiſſe de exercitationis oportunitate ſufficiat. Ideoque proximum eſt, ut quis ejus eſſe per omnia debeat modus, videamus. In eo, inquit CELSUS, qui minus laboravit, & bene concoxit, amplior ea eſſe debet, partim quia tutior utiliorque eſt, cum quis probe concoxit, partim quia ei minus futura moleſta eſt, qui parum laboravit. Rurſus qui minus concoxit & fatigatus eſt, duplici itidem nomine prævegetum reſpuit exercitium, tum ne cruditatis obſtructioniſque occupet periculum, tum ne corpus ante feſſum, ac mox valentiore motu exagitatum penitus defatigetur. Siquidem afflicto, ut dici ſolet, non eſt ingerenda afflictio.

Exercitatio ante cibum adeunda. *Hipp. VI. Epid.*

Alvus & veſica, ante exercitationem levanda.

Exercitationis apta tempora ex urina petuntur.

Suus cuique exercitationis modus ſervandus.

COmmode vero exercent, clara lectio, arma, pila, curſus, ambulatio, atque hæc non utique plana, commodior eſt. Siquidem melius aſcenſus, quoque & deſcenſus, cum quadam varietate corpus moveat, niſi tamen id per quam imbecillum eſt. Melior autem eſt ſub divo, quam in porticu, melior (ſi caput patitur) in ſole, quam in umbra, melior in umbra quam parietes aut viridaria efficiunt, quam quæ tecto ſubeſt, melior recta quam flexuoſa.

Enumerat jam CELSUS ea genera exercitationum, quæ valetudini ſunt accommodatiores. Ex his aliæ alias atque alias partes magis permovent, aliæ tota æqualiter corpora. Ac pila quidem palmaria ceteris exercitii generibus longe antecellit, quatenus ſumma cum placiditate atque optima motionis proportione, ſineque omni eo periculo quod aliis exercitationibus non infrequens eſt, univerſi corporis membra permovet, indeque adeo fit, ut & pueris & ſenibus, ipſiſque convaleſcentibus (GALENO judice) non ſit inidonea. Cumque celer curſus grandis alicujus vaſis diruptionem

Exercitationum genera ac vires.

Pila aliis exercitationibus prævalet.

Gal. De uſu parvæ ſphæræ.

mi-

minetur, ac voces altæ confertimque emiſſæ pulmoni totique thoraci negotium faceſſant, cumque inſuper meditatio armorum complures mutilet claudoſque faciat, noſtra profecto pila adeo eſt ab hiſce incommodis aliena, ut ſi qua imminent, etiam arceat. Licet enim in hoc genere luſus (ut GALENUS dixit) pro cujuſque arbitrio labores alias remittere, alias in ſummam vehementiam intendere, modo membra ſimul omnia, modo alia præ aliis ſtudioſius movere. Ad quas omnes ſphærulæ dotes ſeu prærogativas accedit, quod nulla ſit alia exercitatio, quæ animum æque vegetum æque alacrem majoreque delinitum voluptate efficiat. Ideoque illud PLATONIS non poſſum non probare: *Nunquam recte corpus exerceri ſine animo, neque animum ſine corpore poſſe*. Quid multis? Hic iſte pilæ luſus unus inſtar omnium eſt, omni ætati, omni fortunæ, ac negotio juxta commodus, ejuſque rei cauſa uſque adeo fuit GALENO commendatus, ut de eo ſingularem compoſuerit libellum, qui *de uſu parvæ ſphæræ* inſcribitur. Sed ad claram lectionem veniamus. Hæc partes omnes reſpirationi inſervientes exercet, utique ſi cum ingenti fit intonatione ſeu quodam vocis fragore. Tum namque iteratis ſæpe vicibus ſpiritus intro ductus magno impetu magnoque pectoris conamine, continenter effertur, ex quo incidit, ut non ſolum partes reſpiratoriæ incaleſcant, pandantur, ac repurgentur, ſed illæ etiam quæ juxta ſunt, ipſeque ante omnes ventriculus, cui idcirco robur parari ſi imbecillus eſt, multa jam experientia ac CELSI teſtimonio creditum eſt. Ceterum armorum mediatio corpus quidem totum, uti pila exercet, at motus habet juſto vehementiores, curſus, ambulatio, permovent quidem magis corporis inferiora, at motus hæc habet placidiores, ille plane vehementes. Curſus robuſtis, ambulatio infirmioribus corporibus accommodatior eſt. Hæc paulo reddetur vehementior ſi aſperis fiat locis, ſic ut iterato alias ſuperare colliculos, alias per declivia ſe præcipitare neceſſe ſit. At CELSO quidem ea magis probatur ambulatio, quæ ſub dio fit, quam quæ in porticu, quoniam illic puriore aere corpus perflatur. Adhæc melior in Sole exercitatio eſt quam in umbra. Sic enim corpus ſolaribus radiis citius incaleſcit, ac patefactis cutis ſpiraculis promptior excrementorum fit exitus. At vero ſi caput præ imbecillitate ferre vim Solis nequeat, facileque effumationibus tentetur, tum utique præferenda fuerit umbra ea quam viridaria aut parietes ſub Jove faciunt, non item quam tectum a cœleſti aura ſecludit. Illic namque aer purus atque illuſtris, hic craſſus, putidus, ac quodam veluti ſitu immundus eſt. Porro quod ambulatio deterior ſit flexuoſa, quam quę recto fit tramite ac proceſſu, hęc eſſe cauſa putanda eſt, quod ob ſpirituum animalium in cerebro oberrationem ſeu quandam vertiginem caput turbetur, eoque modo exercitatis tædium motionis quam ociſſime ſurrepat. Finem hic de ambulatione dicendi facerem, niſi id reſtaret explicandum, cur eadem hæc ſi aſperis ſit locis, corpori admodum imbecillo ſit inutilis. Qui locus ut rectius intelligatur, illud ante omnia ſcire convenit, ac certiſſimæ regulæ loco habere, motionem omnem viribus corporis perpetuo parem eſſe oportere. Itaque ſi hoc imbecille eſt, ut moderatis placidiſque agitationibus firmatur, ſic gravibus elangueſcit, ejuſque rei cauſa fit, ut qui robuſto adoleſcenti ac juveni labor eſt utilis, idem puero, ſeni, convaleſcenti, vehementer officiat. Neque vero id tantum de totis corporibus, ſed de ipſis etiam privatim particulis ſentiendum eſt. Nam quem ex levi cauſa, vertigo, epilepſia, lippitudo, deſtillatio, tonſillæ, angina, & id genus morbi tentant, iis profecto exercitationibus omnibus læditur, quæ caput fatigant.

Pilæ prærogativa.

Clara lectio quid commodi afferat.

Arma quam vim habeant, iremque curſus & ambulatio.

Quod genus ambulationis ſalubrius ſit.

Deambulatio aſpera, imbecillis contraria.

Generale omnis exercitationis præceptum.

tigant. Tum eum qui cruribus parum valet, curſus debilitat; cui preſſus thorax eſt, vociferatio periculoſa eſt; quem brachii robur deficit, jactus diſcus enervat. Id loquor genus motionis quod paulo validius eſt, quodque Græcis γυμνάσιον, Latinis exercitatio appellatur. Nam quod lene placidumque eſt, imbecillo tum corpori, tum particulæ adeo non officit, ut etiam magnopere proſit. Quin etiam motionis hic paulummodo intendere ſæpe permiſſum eſt utique ſi neque præſens morbus, neque in propinquo ſenecta eſt. Ægrotantibus enim particulis & corporibus ſeneſcentibus quoniam exigua vis eſt, aut quies integra, aut motio nonniſi levis, idonea ſunt. Ac proin non ſine cauſa CELSUS hoc loco monuit perquam imbecillum eſſe corpus oportere, cui aſpera ambulatio ſit nocitura. Poſuimus ea genera exercitationum, quæ ſanis ad curandam valetudinem ſufficiunt. Quæ vero his violentiora ſunt, non tam exercitia quam opera vocanda ſunt, utpote cum quis humum fodit, ſegetes metit, vites putat, remigat, arat, ſalit, iter facit, diſcum jacit, onera prægrandia geſtat, luctatur, conſertis cum alio manibus depugnat, aut ſimile quid operis aggreditur, quod vires affatim exhaurit. Merito autem CELSUS iſta omnia, quoniam nimis violenta ſunt, præteriit, ad paleſtritas ea rejiciens quibus maximi roboris oſtentatio prior tuta corporis valetudine eſt. Etſi non diffiteor pleraque operum horum non penitus hominibus firmis detrectanda eſſe, quin potius haud raro plurimum credam valere ad articulos muſculoſque firmandos. Id quod GALENUS optime perſpiciens, ipſe ſeſe hujuſmodi laboribus nonnunquam duravit, quoties inter agreſtes (ut ipſe refert) per hyemem aut ligna finderet, aut hordeum in pila contunderet, ac degluberet. Verum meminiſſe convenit hanc rem firmis hominibus non niſi raro prodeſſe, ſemper imbecillis nocere.

Lenis motio imbecillis idonea.

Ægris atque longævis, aut quies aut non niſi levis motus idonea ſunt.

Exercitationes ſimul & opera.

Gal. gravia interdum opera ruri exhauſit. *Gal. 2. de Sanit.*

EXercitationis autem plerumque finis eſſe debet ſudor, aut certe laſſitudo, quæ citra fatigationem ſit, idque ipſum modo minus, modo magis faciendum eſt. Ac ne his quidem Athletarum exemplo, vel certa eſſe lex, vel immodicus eſſe labor debet.

¶ Exercitationem omnem (ut proxime dixi) corporis viribus parem eſſe decet, quare ab illa protinus deſiſtendum, ut primum hæ laborare cœperint. Laborant vires ſi poſt effuſiſſimos ſudores contractamque laſſitudinem ultra quis exercitetur. Ceterum noviſſe oportet laſſitudinis nomine non idem CELSO atque GALENO ſignificari. Hic enim fieri eam ſcribit per nimias exercitationes plus juſto ſiccatis calfactiſque articulis & muſculis, ideoque confluentis eo cum excrementi humorum tum partium liquamenti infartu impeditis, dolentibus, atque ad motum pigris. Illud vero ſymptoma iis tantum, qui ſiniſtro exercentur accidere conſueſſe idem GALENUS Author eſt. At totum quidem hoc CELSO fatigatio eſt, habeturque laſſitudo id feſſorum artuum pathema, ſub quo leniter quis dolet, quodque finitis laboribus quam mox ultro perit, & omnibus rite exercitatis accidit. Et hæc iis ſufficiant, qui de voce controverſiam movent. Quod ad ſudorem pertinet, in ipſa etiam re proclivis error eſt. Multos namque videas, vel propter aquoſi humoris redundantiam, vel raram corporis texturam ad primos quoſque labores effuſiſſimo ſudore diſluere, quibus ob id tamen finis exercendi non protinus eſt imponendus. Sunt alii quibus contrarias ob cauſas vix tandem ſudor perrumpit, cujus largior effluctus corpus conſumit. Ergo diſcernere inter varia ſudoris genera convenit, ſcireque

Labores quando finire oporteat.

Quid laſſitudo, quid fatigatio Celſo Galenoque ſit.

Gal. 3. de Sanit.

quem

quem corporis natura, & quem laboris nimietas magis fundat. Et quidem qui motionis initio ubertim effluit abſque ulla corporis laſſatione aut vividi coloris detrimento, is ſane humecto excremento corpus ſcatere, aut perſpirabilem admodum habitum, aut utrumlibet oſtendit, neque ante laboribus finem præſcribit, quam ejus jam in effluendo impetus deficere, guttæque frigidiores nec calido illo vapore amplius fumantes emanare, tum color decorque perire, corpus detumeſcere & ad motiones ſegne fieri cœperint. Neque hercle notas, has donec venerint, expectare convenit, ſed prius quam occupent, antevertere. Eo autem temporis articulo porro ire, neque laborare deſinere prorſus alienum eſt, quoniam metus eſt ne conſumpto corpore tabes occupet. Cujus rei notam ipſe etiam HIPPOCRATES in Epidemiis propoſuit, ſic loquens: *In exercitationibus ſignum extenuationis ſudor ſtillatim effluens veluti ex tubis canalibuſque manans, vel concidentia ab extuberatione*. Ceterum quia ſuus cuique corpori modus in exercitando ſervandus eſt, prout habitus, ætas, natura, & conſuetudo ferunt, non ſine cauſa junxiſſe CELSUS videtur modo minus laborari, modo magis oportere. Neque enim omnibus omnis labor juxta commodus eſt, ſed qui modicus bilioſo confert, idem pituitoſo adeo non prodeſt, ut difficilem ſæpe cruditatem atque obſtructionem conciliet. Ac rurſus, qui huic gravis conducit, illi pernicioſus eſt, adeo ut ſub hoc & extabeſcere corpus, & febres moveri periculum ſit. Quemadmodum enim pituitoſus graviori labori eſt ferundo, ita huic vix aliud genus exercitii convenit, quam ambulationis, ejus quæ adeo quoque ſit placida, ut ne laboris quidem nomen mereatur. Nempe calidis ſicciſque naturis ſolas communis vitæ actiones abunde eſſe ad corporis exercitationem GALENUS ſcribit, ut cum quis in foro indies obſervatur, neceſſarios fana, ſcholas, theatra, ægrotos adit, aut domi ipſe ſuæ quid rerum meditatur, quo vires corporis nequicquam convellantur. Quæ vitæ officia HIPPOCRATES in comprehenſis corporibus adeo ab omni laſſatione voluit eſſe aliena, ut ne tantillum quidem videantur ab conſummata quiete differre. Ipſe in *Epidemiis* ſic loquitur: *Calidis naturis refrigeratio, potus aquæ, quies utilia ſunt*. Quæ poſthæc CELSUS de Athletico labore ſubjungit, ea ſuo loco abunde diſputata ſuperius ſunt.

Quis ſudor exercitii finem imponat.

Hipp. VI. *Epid.*

Non omnibus idem laboris modus convenit.

Gravis labor pituitoſo, deambulatio lenis bilioſo conducibilis eſt.

Gal. v. de Sanit.

Hipp. VI. *Epid.*

EXercitationem recte ſequitur, modo unctio vel in ſole, vel ad ignem, modo balneum, ſed in conclavi quam maxime & alto & lucido & ſpatioſo. Ex his vera neutrum ſæpe fieri oportet, ſed ſæpius alterutrum, pro corporis natura. Poſt hæc paulum conquieſcere opus eſt.

¶ Tres erant antiquis partes exercitationis. Prima frictiones continebat (Græci Τρίψεις appellant) quibus leviter corpus eouſque pertractabatur, donec floridus quidem color per cutem omnem diffunderetur, idque eo ipſi factitabant inſtituto, ut aptior habiliorque homo eſſet ad ſubſecuturos labores. Quippe frictionis beneficio metus obſtructionis atque diruptionis vaſorum tollebatur, relaxato nimirum recluſoque habitu, tum ſuperfluis attenuatis ac fuſis, ipſis denique ſolidis calfactis ac premollitis. Nempe ejus rei cauſa frictio hæc veteribus præparatoria vocabatur, proque varia corporis affectione, modo cum oleo, modo ſicca adminiſtrabatur, idque linteolis tota primum cute, donec incaleſceret duriter celeriterque perfricta, ac protinus oleo, ſi videbatur, nutrita. Omnis autem frictionis hanc eſſe vim HIPPOCRATES Author eſt, quod quæ dura eſt, corpus cogat, mollis ſolvat, multa extenuet, pauca impleat. Secunda pars exercitationis ſummus ille

Exercitationis partes tres. Prima.

Secunda.

Tertia.

erat motionum vigor (Græci ακμὴν dicunt) ſub quo ſpiritus intenditur, ſudorque calido vapori miſtus ubertim promanat. Noviſſima omnis exercitationis rite factæ pars ipſa fuit, ut Author eſt GALENUS, Apotherapia, ea quam hoc loco CELSUS ob oculos ponit. Tota hæc olim intra unctiones ac balneas erat, tametſi compreſſus ſpiritus huc quoque agente inter mortales GALENO ſpectarit. Balneæ excrementa membris eximunt, ſiccata humectant, tenſa remittunt, durata molliunt, eoque modo defeſſa ſanant. Unctiones tum hæc quoque præſtant, haud ſegniter, tum adductos in habitum ſuccos oblita cute includunt. Quanquam vero Athletas, fabros, meſſores, bajulos & ſimiles grandium operum magiſtros, laſſitudo & pejus & frequentius exerceat, quam qui ſuæ ſpontis cum ſint, ſoliuſque valetudinis ergo labores adeunt, modum ſibi finemque in exercitando certum conſtituunt, non inconſulto tamen hi quoque Apotherapiæ fructum captabunt, ſi non ob metum laſſitudinis, at certe excrementa purgandi gratia. Iam vero ut hæc res quam curioſiſſime obſervetur, perpetuum tamen in omnibus non eſt, finitis laboribus ungi pariter ac lavari. Rarenter ambo noſtris hominibus conveniunt. Appulis atque Græcis quandoque etiam neutrum, ſæpiſſime utriſque populis alterutrum, prout corpus eſt aut naturaliter affectum, aut labore ſiccatum. Inter has res probe adminiſtratas, ſecuturaque mox fercula CELSUS quietem interponit, ut ejus beneficio & aſcitus ab labore fervor paulatim in membris conſopiatur, & fatiſcentes corporis meatus conſidant. His enim ita ante cibum proviſis, efficitur ut poſt neque cruditas neque obſtructio venis moleſta ſit.

Balnearum atque unctionum Apotherapicarum vis.

Apotherapia nulli non poſt labores tentanda eſt.

A labore aliquantiſper conquieſcendum ante quam cibus ſumatur.

UBi ad cibum ventum eſt, nunquam utilis eſt nimia ſatietas. Sæpe inutilis nimia abſtinentia. Sæpe ſi qua intemperantia ſubeſt, durior eſt in potione quam in eſca. Cibus a ſalſamentis, oleribus, ſimilibuſque rebus melius incipit. Cum caro aſſumenda eſt, quæ aſſa optime, aut elixa eſt. Condita omnia duabus de cauſis inutilia ſunt, quoniam & plus propter dulcedinem aſsumitur, & quod modo par eſt, tamen ægrius concoquitur. Secunda menſa bono ſtomacho nihil nocet, in imbecillo coaceſcit. Si quis itaque hoc parum valet, palmulas, pomaque & ſimilia melius primo cibo aſsumit.

¶ En quam concinna orationis ſerie omnem victus rationem CELSUS expediat. Nam animadverſis omnibus quæ pertinebant tum ad arcendam cruditatem ventris atque venarum, tum cujuſque exercitationis adminiſtrationem, protinus ad cibos venit, ut quibus eſſe convenit poſt illa omnia ſecundis. Nunquam, inquit, utilis eſt nimia ſatietas, qua penitus naturæ vis conſumitur, oppreſſo cibis calore, adjectiſque corpori ſupra modum excrementis. Sæpe (addit) inutilis nimia abſtinentia, ſeu quæ ſalutares corporis ſuccos depaſcit, areſcentibuſque nimium ſolidis ſeniles annos ante tempus invehit. Arguunt hoc ſymptomata, quæ indies ſupervenire longiori inediæ conſpicamur, cujus notæ ſunt, Colliquatio ſolidorum, exuſtio ſuccorum, vigiliæ, inquietudines, καρδιωγμοὶ, pertinaces alvi & veſicæ retentiones, hiſque omnibus atrociores febres cum ardentes tum hecticæ, atrophiæ, maraſmi, ſpaſmi comitiales, & ſi qui his ſimiles ſunt morbi, quorum vis omnibus machinamentis auxiliorum ſuperior eſt, ut non injuria quis poſſe dubitare videatur, debeat necne plenitas levior inanitione cenſeri. Sane ita fere in quaque re fieri ſolet, ut natura utcunque effluentiam, peſſime egeſtatem ferat, ſicut in hac ipſa, ni fallor, re. Nam copia alimenti

Satietas quid noceat, quid nimia abſtinentia.

Symptomata inediæ ſeveriori ſupervenientia.

Natura melius fert copiam, quam inopiam.

ti incommodet licet venarum ſuccis, inopia tamen, ut hoc ipſo quoque malo non caret, ſic membra pariter ſolida violat. Adeo apparet plurimum ſemper intereſſe, utrum ſuperans an deficiens materia læſerit. Quanto enim expeditior ratio eſt, morbos plethoricos cacochymicoſve concoctione ac vacuatione extenuandi, quam ſolidorum ariditatem genuina humectatione corrigendi, tanto profecto levior ſatietas nimia frugalitate credenda eſt. Idque apud HIPPOCRATEM quoque invenio, qui in adverſa valetudine tolerabiliorem errorem juſto plenioris dietæ, quam nimis contractæ exiſtimavit. Videlicet in his quæ ſuperant, eſt quod morbus demat: In his quæ deſunt, non eſt quod ipſum morbum ferat. Ceterum intemperantia, ſicubi incidat, quod durior in potione ſit quam in eſca, cauſas non leves habet. Primum enim certa res eſt, pocula citius in venas & in extimos corporis artus penetrare ipſis cibis. Quippe hi avidius ſumpti ſi intus concoquuntur, non niſi ſimplicem (modo boni ſint) adjiciunt plethoram: Si computreſcunt, uſus docuit, ſæpius hos vomitu aut cita alvo præoccupari, quam in venas ire, quo tamen ſi forte penetrent, ſuccos quidem qualicunque corruptela laceſſunt, quæ tamen non adeo ſit cacoethes, ut vel malignitate par, vel ſanationis facilitate iis ſuperior vitiis ſit, quæ concitare luxus poculorum conſuevit. Nam vinum, ſub quo nomine pocula ſignificamus, largius ſumptum, bis eſſe noxium conſtat, tum quod ociſſime venas oppleat, tum quod ſua vi ac qualitate (quæ certe violentiſſima eſt) nervoſa in nobis corpora feriat, & principum partium robur violet, ſub qua calamitate hepar ac cerebrum ceteris membris & citius & gravius affliguntur. Atque hinc tantus ſubinde malorum acervus coit, febres ardentes, hydrepes, cachexiæ, inſaniæ, ſpaſmi, apoplexiæ, tremores, arthritides, paralyſes, iiſque ſimiles morbi, qui fidos illos patris Bacchi Myſtas interdum trahere non ceſſant donec præcipitent. Quid, quod fere minor in cibo ſubſit repletionis occaſio, quam in potione. Nam dapibus expleti homines vorare ulterius naturæ ductu recuſant, at vino graves magis magiſque novis calicibus incumbunt, ac de poculorum certant magnitudine, creſcente nimirum potandi cupiditate a vini potentia ad calidum ſiccumque ventriculi ſubſtantiam alterante. Atque ſic (ut PLINII verbis utar) bibendi conſuetudo auget aviditatem. Id quod tum multo maxime incidere compertum eſt, cum pocula intus corrumpuntur. Quippe hoc ſymptoma inexhauſta quædam comitatur ſitis, qualis eos urgere aſſolet, quibus aqua cutem ſubiit. Hujus enim pars in ventriculi ſpatium rejecta, quia corrupta eſt, tam inextinguibilem ſitim accendit, ut quo plus ſint potæ, plus ſitiantur aquæ. Putaverit aliquis illud HIPPOCRATIS nobis adverſari, Ῥᾶον πλησθῆναι, ποτῷ ἢ σιτίῳ, id eſt, *facilius eſt impleri potu quam cibo*. Sed id non ita habet. Nam hoc Aphoriſmo repletionis promptitudo, non periculum ſignificatur. Videlicet poculenta cibique humentiores, ut promptius & venas intrant, & concoquuntur nutriunturque, ſic melius aridos vacuoſque homines ſeu analeptica præſidia reficiunt: De his namque vel ipſo atteſtante GALENO, ſuum hunc Aphoriſmum HIPPOCRATES ſcripſit. Diximus de cibi ac potionis menſura, proximum eſt, quis eorum eſſe debeat ordo, proponere. Ergo ſic omnis menſæ inſtituenda ratio eſt, ut facilia concoctu duris alvum laxantia, adſtringentibus, cito in corpus penetrantia tarde permeantibus, elixa aſſis, mollia duris, pinguia macris, atque humida ſiccis ordine priora ſint. Proin recte CELSUS ſuam menſam a ſalſamentis auſpicatur atque oleribus: Hæc enim alvum lævigando, illa abſtergendo magis ſolvunt. Sumptis his ſolidus apponitur cibus, caro ſcilicet elixa, vel aſſa, ſive ea ſit piſcium, ſive volucrium, aut terreſtrium denique animalium. Et in-

Hipp. Lib. 1. Aph. 5. Error nimis tenuis dietæ gravior, quam qui nimis plenæ eſt.

Intemperantia in cibo levioquam in potione eſt.

Vinum juſto liberalius ſumptum quid noceat

Vini largius ſumpti incommoda.

Intemperantiæ minor in cibo occaſio quam in poculis eſt.

Bibendi conſuetudo auget aviditatem.

Objectio. *Lib. 2. Aph.* 11. Solutio.

Quis ordo ciborum ſervandus in menſa ſit.

ter hæc quidem omnis noſtri authoris menſa eſt. Nam condita ille non ſine cauſa expulit, ut quæ ægre conficiuntur, ſuccumque fere generant non bonum. Parantur ea hodie ex diverſorum animantium carne, alias minutim inciſa, alias integra, ac dulcibus obruta juſculis, additiſque una aromatis, & uvis paſſis, & prunis & zacharo & butyro, ejuſque generis aliis ſaporum illecebris. Coquuntur interdum ſub ſqualido furni calore cruſta piſtoria comprehenſa, interdum in olla ſupra operculo curioſe obſtructa: & ſic ſuper prunam inſervente. Hoc iſtud piſtorium opus penitus vitioſum atque inſalubre eſt, utique ſi ejus generis inditur caro, quæ difficilis craſſique ſucci eſt, qualem producit omne animal quadrupes domi natum, omnis grandis fera, quales ſunt capræ, cervus, aper: ex volucribus omnis grandis avis, quales ſunt cygnus, & anſer, & pavo, & grus: omnis bellua marina, ut cete, bos, canis: ex fluviatilibus piſcibus, anguilla, ſalmo, & ſi qui his non impares ſunt. Itaque hæc genera ex æquo omnia, cum vix unquam per ſe ſanis proſint, tum ſic apparata multo maxime nocent, partim quod ſub præfocante ſqualidoque ignis fervore ſuperexcocta, difficulter intus ſubiguntur, partim quod dulcedinis cauſa vorentur majore cum voluptate, adeo ut ſi vel ex propriæ ſubſtantiæ natura ſæpe non ſint mala, luxu tamen operoſoque apparatu fiant non bona. Quid enim non deſignat δέλεαρ των παντων κακων ἡ ἡδονή. Modo dixi ſumpta carne aut elixa aut aſſa, removeri menſas oportere, nam quæ ſecunda noſtris hominibus in uſu eſt, prorſus, ſi quidem valetudini conſultum velis, explodenda eſt, Γα ρίμαργο enim iſti poſtquam omni genere cupediarum ſeſe jam abunde expleſſent, eſſetque fames omnis exempta, irritare gulam novis artibus novaque ingluvie ſtuduerunt: Quoque honeſtiore titulo ſuam hic intemperantiam tegerent, ſecundas menſas excogitarunt, quibus bellaria ac dulciaria ponerentur. Utique in tanta rerum varietate facile futurum indicaverunt, ut paulum ex ſingulis deguſtando, gulæ facerent ſatis. Perditiſſimi me hercle epulones, quorum ſtomachus quæ reſpuit, ea ne mens quidem ceſſet concupiſcere. Adeo ineluctabilis eſt ventris ſervitus, ubi animus ſemel cupiditate ſe devinxit mala. Bellaria hoc ſeculo aliter aliterque parantur. Quicquid artis in Apothecariis, quicquid in coquis induſtriæ eſt, totum id hic ſemel effunditur. Veniunt placentæ, ex fructibus, pingui caſeo, ovis, ſimilagine, largoque butyro ac ſacharo confectæ. Veniunt marcipanes, cremor lactis, amygdalatum venit, & ipſum purum ſacharum, idque in alicujus fructus, aut animantis, alteriuſve novæ rei ſpeciem curioſe fuſum, eo (opinor) inſtituto, ut non ſolum gulam ſuavio deliniat, ſed ipſos etiam oculos paſcat. Sed hujus ſecundæ menſæ veteribus incognitæ inventrix inexplebilis noſtrorum hominum luxuria eſt. Sequitur altera quam CELSUS proponit, ex fructibus conſtare. Sub hac nunc & luxuria & error eſt. Nam cum antiquitus mos obtinuiſſet, ut ultimo cibo ſtomachus adſtringente quopiam bolo firmaretur, eaque ratione fercula ad ventriculi fundum preſſa ſubſiderent, tum ipſe intus calor undique incluſus, ſtrictiſque ventriculi villis coercitus, exactius quæ aſſumpta erant demutaret, ſic ut nulla ructus aut inflactionis aut fluctuationis relinqueretur occaſio, noſtri profecto majores id non perperam fruſto adſtringentis pomi factitarunt, quorum ſtudium hujus ſeculi homines ut non ſectarentur modo, ſed etiam (ſi Diis placet) ſuperarent, quæſitis toto orbe fructibus adornare ſecundam menſam cœpere, pomis, pyris, ceraſis, moris, prunis, uvis, ficubus, palmulis, caſtaneis, meſpilis, juglandibus, & ipſis qui vix edendo ſunt, fungis, multiſque id genus aliis gulæ irritamentis, quibus hodie divitum menſæ ſplen-

Condita rejicienda ſunt.

Alimenta craſſi ac valentis ſucci.

Secunda menſa noſtri ſeculi explodenda eſt.

Secunda menſa veteribus inuſitata.

Luxus noſtrorum in ſecunda menſa fructibus ornanda.

ſplendent, non tam ad ſtomachum firmandum (qui enim hæc omnia promiſcue vorata firment) quam oſtentationis aut voluptatis aucupio. Ergo recte CELSUS ſecundam menſam in imbecillo ſtomacho coaceſcere ſcripſit. Nam acoris (qui non niſi diminutæ concoctioni ſupervenit) hæ adferri cauſæ poſſunt, fructum iſtorum intempeſtivus uſus, luxus, varietas, ſuccique eorum cum frigiditas tum ad concipiendam labem promptitudo. At bono ſtomacho, utpote pro ſuo robore noxia ſuperanti, ut hæc rerum diverſitas interdum non eſt gravis, ſic nunquam non eſt inutilis. Omnes enim uno ordine fructus præcipueque fugaces, ſeu temporarii (Græci ὡράιους vocant) ultimo cibo vorati nocent, niſi ſi qui ſint admodum adſtringentes, & ii tamen oppido quam parce guſtati.

Secunda menſa cur intus coaceſcat.

POſt multas potiones quæ aliquantum ſitim exceſerunt, nihil edendum eſt, poſt ſatietatem nihil agendum. Ubi expletus eſt aliquis facilius concoquit, ſi quicquid aſsumpſit, potione aquæ frigidæ includit, tum pauliſper invigilat, deinde bene dormit. Si quis interdiu ſe implevit, poſt cibum neque frigori, neque æſtui, neque labori ſe debet committere. Neque enim tam facile hæc inani corpore, quam repleto nocent. Si quibus de cauſis futura inedia eſt, labor omnis vitandus eſt.

¶ Qui fercula pluſculis potionibus condiunt, ii vix poſſunt optata amborum concoctione non fruſtrari. Siquidem innatant cibi ſic ut eos, referente GALENO, ventriculi corpus propter interpoſitum humorem minime contingat. Proin hæc regula ſeveris illis Bacchi cultoribus unice obſervanda eſt, ne vino graves menſam petant. Nam ſi ſola pocula id damni naturæ dent, ut ea vix longo poſt tempore defungi ſuccorum concoctione poſſit, quanto magis id eveniat, neceſſe eſt, ſi cibus etiam ſuperingeritur, qui & per ſe faceſſere negotium ventriculo poteſt, & iam tum crudus cruda cum potione in venas meare. Quæ profecto res inſitum calorem adeo vehementer afflictat, ut is in coctionis munere nequaquam emicet, ſed devictus poculis epuliſque cedat. Neque enim inerudite GALENUS calorem nobis ingenitum cum ignis flamma, & cibos poculaque cum hujus fomentis comparavit. Idem enim inſito calori uſuvenit, quod igni, quem intermori ac ſæpe prorſus interire conſpicamur cum nimia obruitur lignorum ſtrue, aut certe ea prefocatur materia, quę tum qualitate ipſum enecet, tum flammam ęgre concipiat. Porro quod poſt ſatietatem nihil ſit agendum, ſuperioribus locis demonſtratum eſt, ubi concoctionem quiete gaudere, ac motu turbari propoſuimus. Quo magis falluntur, qui vel pranſi vel cœnati (quoniam id temporis vires magis conſtant) curſibus, ſaltibus, venationi, luctę, pugilatui aut id genus aliis corporis ſtudiis vacant, cum hinc concoctio ſumpti recens alimenti turbetur, initiaque graviſſimis valetudinibus præbeantur. Neque enim his patrocinatur, quod ea res non protinus noxas inferat. Nam tandem ubi cauſę mali magnitudine crevere, eo gravius lędit, quo diutius ſua ſemina intus occuluit. Quemadmodum GALENUS narrat iis qui intempeſtive exercentur, cauſas indies ſeu quædam ſeminaria gravium morborum accreſcere, tandemque magna valetudinis jactura in pernicioſos effectus erumpere. Quæ poſt hęc Author de potu frigidę jungit, ea ſuperius abunde diſputavimus, eſtque hic locus inſtar omnium unus, qui noſtras ibidem rationes facit non modo ſimiles veri, ſed firmiſſimo ſolidat communitque argumento. Hauſta frigida pauliſper antequam cubetur invigilandum eſt, ne aſcito mox ſomno multa fiat crudi vaporis in caput exhalatio, ipſis nimirum epulis circa ſupernam regionem ventriculi hæreſcentibus

Poſt pocula cibus noxius *Gal. VII. Meth.*

Analogia noſtri caloris cum ignis flamma, & alimenti cum ejus fomentis. Poſt ſatietatem nihil agendum. Error eorum qui ſe a cibo exercent.

Sumptis epulis non protinus dormiendum.

tibus, nec dum ad imum ejus fundum demerſis. Et hæc quidem cœnatis obſervanda ſunt. Pranſis vero magna cura opus eſt, ne frigori, ne æſtui aut labori ſeſe objectent. Frigus namque juſto vehementius undequaque in corpus & tracto ſpiritu, & tranſpiratione cuticulari tranſmiſſum ingenito calori impedimento eſt, quo minus probe quod intus eſt alimentum conficiat, & in ſalutares venarum ſuccos demutet. Scilicet frigidum nulli ex ſe functioni habetur utile, quare ne concoctionem quidem eo unquam adjuvari poſſe certum eſt niſi ex accidente, cum aut ſtricto in unum ventriculo, ſi intro vadit, aut denſata undique cute, ſi intrinſecus incidit, genuinum calorem intus coercitum adauget. Quæ duo nec ipſum tamen ante efficere poteſt, quam ubi moderate incidit: Nam contra ſi calorem viribus ſuperet, jam non ſolum ſuperficiem corporis afficere, ſed intro etiam ſeſe abdere, ac penitiſſima quæque viſcera ſua qualitate perſtringere conſuevit, idque adeo ſæpe valide, ut multos etiam frigore fuiſſe enectos conſtet. Nam & proceras arbores ita emori cernimus, omnemque exiguum ignem ſub dio expoſitum protinus extingui. Neque vero mirum videatur occurſum frigidi aeris graviorem ſemper a cibo eſſe, quo tempore præcipua caloris ac ſpiritus vitalis pars ad præcordia receſſit, quorum tum præſidio ſeu benigniſſimo nomine privata extrema neque ſat valide vim gelidi elementi frangunt, neque quo minus ea ad vitalia penetret, impediunt. Nimirum ab iſtiuſmodi refrictionis incommodo, ut eos qui frigida perluuntur GALENUS immunes redderet, cutem prius omnem, donec ea penitus caleret, multorum manibus perfricari jubebat, id ſcilicet veritus quod imparatis ad frigidam accidere ſolet, ſcilicet ne cruda ejus ſubſtantia aut certe vis per muſculos idoneo calore deſtitutos trajecta, quam mox ad viſcera adſpiraret. Quod ſi aquæ facultas ita expedite haud præmunita extrema penetrat, quid non aeris faciat, quæ tenuiori vehitur ſubjecto, eoque non tantum per cuticulares meatus, ſed trachæam quoque arteriam in corpus eunte. Jam vero haud minore ſtudio ipſe quoque æſtus vitandus a cibo eſt, tum quia ventriculi robur laxando diſſolvit, tum quia inſitum calorem ex imis præcordiis in cutem evocando per halitum diſſipat, quibus de cauſis nil mirum concoctionem prohiberi. Quod vero labor ſaturis etiam officiat, quia ſuperius abunde declaratum eſt, ſupervacuum ſit hoc loco repetere. Magis ad rem pertinet dubitandi cauſam multis adimere, cur tria hæc, frigus, æſtus, labor, plus inani corpori quam repleto noceant. Putaverit aliquis locum hunc ἀντεχγον eſſe nedum CELSO dignum. Nam quis neſcit inane corpus intus foriſque caloris ac ſanguinis inopia fluctuare, ejuſque rei cauſa protinus ſub valido frigore graviſſime lædi, tum æſtu atque labore penitus collabaſcere, & ad immedicabilem ſolidorum ariditatem perduci. Quippe hæc iſta pericula contemplatus HIPPOCRATES 2. acutorum morborum, *Iis quos fames præter ſolitum exhauſit, eodem die, & frigore, & æſtu, laboreque interdicendum eſſe* cenſuit. Idque apud AVICENNAM quoque (ſi qua ejus viri apud doctos Authoritas eſt) luculentiſſimis verbis memoriæ proditum invenio. Leviori ſemper periculo plenum corpus exerceri quam vacuum. Quo magis falluntur, qui ideo laborem, æſtumque minus nocere inani putant, quoniam omnis huic deſit contrahendæ cruditatis occaſio. Talis namque animadverſio recta non eſt. Utique temerarium eſt, gravioribus ſe malis implicare, ut vitentur leviora, ut in hac ipſa re, ubi plus ponderat diſſipari corporis periculum, quam quæ propter cruditatis fugam ſecuritas eſt. Neque ignoro quoſdam dicere, ob id ſaturis inimicum frigus eſſe, quod ſub hoc extrema calore privata male afficiantur. Sed ne

hoc

Pranſis frigus, æſtus, labor, vitanda ſunt.

Frigidum ex ſe nulli functioni utile eſt.

Multi ex frigore animam amiſerunt.

Utrum frigus, æſtus, labor magis inani, quam pleno noceant.

hoc quidem ſat probe etiam animadverſum eſt. Quid enim incommodi, ſi ſola extrema, partes plane ignobiles algeant. Omne periculum in eo vertitur, quod non calentibus externis, interna citius frigeſcant. Quod ſi hæc mala ſaturis incumbunt, quid te quæſo ſperandum de vacuis eſt, quibus externa internaque omnia caloris ſanguiniſque penuria juxta laborant. Adeo apparet, frigora, æſtus, labores, ut ambobus corporibus nunquam prodeſſe, ita gravius ſemper inani quam pleno nocere. Quid ergo? Exorbitaſſe a vero CELSUM dicimus? Minime hercule. Quippe propoſitis duobus contrariis alterius extremi nomen pro medio ipſorum is Author uſurpavit. Etenim plenum & inane ambo ſub eodem genere poſita extreme a ſe invicem diſſident, quorum medio nullum latini nomen dederunt, ideoque CELSUS pro antiqua illa dicendi brevitate periphraſi abſtinuit, id corpus inane vocans, quod inter hoc & plenum intervenit medium. Scilicet hoc ipſum per æſtus ac labores neque crudis infarcitur, ut ſaturum: Neque contabeſcit ut inane ac famelicum, tum nec frigore quoque æque ut hæc ambo, feritur, deductis nimirum in corpus omne jamdudum ſuccis, nec ipſis interim viſceribus vacuis, ſed confecto pridem alimento fruentibus. Sed de his ſatis. Supereſt nunc famis atque laboris συζυγία, quæ cur valetudini moleſta ſit, ipſa re patet. Utrumlibet enim ex ſeſe corpus exhaurit, ac proin facto congreſſu, etiam tabe conſumit, quod & ante CELSUM hoc Aphoriſmo nos docuit HIPPOCRATES: *Ubi fames, laborandum non eſt.*

Inane corpus quodnam Celſus vocet.

Inediæ ac laboris gravis copula. *Hipp. Lib. 2. Aph. 16.*

CAPUT III.

Obſervationes quædam, prout res novæ accidunt, & prout corporum genera & ſexus, & ætates, & tempora anni ſunt.

ATque hæc quidem pene perpetua ſunt. Quaſdam autem obſervationes deſiderant & novæ res, & corporum genera, & ſexus & ætates, & tempora anni. Nam neque ex ſalubri loco in gravem, neque ex gravi in ſalubrem tranſitus ſatis tutus eſt. Ex ſalubri in gravem prima hyeme, ex gravi in eum qui ſalubris eſt, prima æſtate tranſire melius eſt.

ANimadverſis in genere omnibus quæ circa cruditatem, cœlum, exercitationes, cibum, potionem, ſomnum, vigiliam & id genus alia cum ſpectare, tum obſervare quemque oporteat, poſthac CELSUS & de his ipſis paulo ſubtilius magiſque particulatim diſſeret, & nova inſuper capita junget, quorum pleraque comprehenſis generibus affinia, alia aliena ſunt, perquam tamen neceſſaria ad valetudinem curandam. Quorum ſimul omnium varios uſus Author oſtendet, prout novæ res incident aut corpora, ſexus, ætates, atque tempeſtates anni ferent. Novæ res ſunt, quæ extrinſecus corpori ſupra conſuetudinem accidunt, quarum ſumma haberi ratio debet, ne temere admiſſæ valetudinem convellant. Orſus autem CELSUS ab aere eſt, ejus eſſe mutationem periculoſam ſcribens, etiam tum quoque cum ex gravi tranſitus fit in ſalubrem. Cujus profecto rei cauſa cenſenda eſt innovata conſuetudo, quæ nunquam non eſſe moleſta eſt.

Novæ res quæ dicantur.

Aeris mutatio periculoſa.

Conſuetudo ſubito mutata, naturæ moleſta eſt.

moleſta naturæ ſolet, quatenus ab inſuetis major paſſio corporibus ſemper ingeritur, ut contra aſſueta quia naturæ cognata ſunt, haud ita valide nos afficiunt, eoque nomine conſuetudo priſcis illis philoſophis quaſi altera quædam natura putata eſt. Jam vero ſi juxta HIPPOCRATEM *maximæ mutationes corporis maxime morbos pariunt*, quid non mutatus faciet aer qui perpetuo nobis circumfunditur, corpuſque univerſum indeſinenter ad ſuæ qualitatis indolem demutat, de ſanis hæc intelligas, oportet. Nam contra in male valentibus plerumque quod conſilium negat, neceſſitas extorquet. Nam ſi longa ægrotatio ægrum conficit, utique ſub qua neque ſanitas in propinquo, neque exitium eſt, ſæpe ad convaleſcendum, peregrinum cœlum non modo non grave, ſed & neceſſarium eſt. Videtur hoc uſus ipſe docuiſſe in morbo comitiali, apoplexia, tabe, hydrope, quartana & id genus longioribus malis, quorum ſanationi fere plus opis ſolum mutatum quam medicamenta ferunt. Atque hæc teſte etiam HIPPOCRATE loquor, qui *terram in omnibus morbis longis mutari oportere* in Epidemiis docuit. Ergo ita ſentiendum eſt. Mutatam ſubito cum aliarum rerum tum aeris conſuetudinem, ſanis ſemper difficilem, ægris ubi malum poſtulat, utilem, ſine neceſſitate pernicioſam eſſe. Quod ſi ipſis jam valentibus aliqua neceſſitate cœlum mutandum eſt, ſatius fuerit ab aere frigido humidoque ad contrarium prima hyeme, & viciſſim ab hoc ad illum prima æſtate tranſire. Sic enim omnis intemperiei exceſſus optime cavebitur. Ceterum diu multumque ſuper hoc loco meditatus nondum conjectura aſſequor, quidnam CELSUS ſub gravis loci appellatione intelligat. Si peſtiferum vult ut ipſe hujus libri capite partim ſecundo ubi de crudo ructu agit, partim omnium poſtremo uſurpavit, tolerabilis utcumque videatur ſententia. Nam ad hunc locum commigrare (ſi ita res poſtulat) prima hyeme præſtat, eundemque rurſus prima æſtate protinus relinquere. Nimirum calores maximum ad excitandam peſtilentiam momentum habent. Certe ita *Julius Cæſar* in Comment. de Bello Civili gravis loci appellatione uſus eſt. Videturque hæc iſta locorum apud CELSUM diſtinctio ab ipſo etiam CICERONE obſervata, qui ſic *lib. 1. de fato* loquitur: *Inter locorum naturas quantum interſit, videmus, alios eſſe ſalubres, alios peſtilentes.* Atqui exoritur hinc nova ſtatim difficultas de tranſitu gravis loci in ſalubrem, quem CELSUS periculoſum eſſe decernit, quod profecto extra omnem fidem eſt, ſi quidem gravem reputes qui peſti ſit oportunus. Nam hunc vitare ut nunquam periculoſum, ita perpetuo neceſſarium eſt, eo quod in hac lue (utique cum totius ambientis vitium ſequitur) nullum neque optatius neque expeditius remedium ipſa ſit fuga. Quin etiam ipſe ſibi repugnare CELSUS videretur qui ſic alias loquitur. Peſſimum ergo cœlum eſt, quod ægrum fecit, adeo ut in id quoque genus quod natura pejus eſt, in hoc ſtatu ſalubris mutatio ſit. Forte obſcuritatem exuet oratio, ſi locum & ſalubrem & gravem æſtimemus, elementarium aeris qualitatum non totius ſubſtantiæ reſpectu, ſic ut is ſalubris habeatur, qui ſiccus imprimis eſt, in calore frigoreque attemperatus: tum gravis ſit, qui immodice calet, & in altera primarum qualitatum oppoſitione, plus juſto humectus eſt. Ac ſic quidem hactenus tutior foret ex uno loco ad alium ea tranſeundi ratio quam CELSUS proponit, niſi iterum hic ſermo claudicaret ſi quando gravem eſſe locum contingat ratione frigidi humidique exceſſus, quem locum prima hyeme ingredi periculoſum eſt, ex hoc quod comprehenſi climatis aer cum hyeme conſimilis in qualitatibus ſit exuperantiæ. Quid veri in hac re ſit, haud facile divinatu eſt, proin nodum hunc ſi

non

Conſuetudo altera natura. *Hip. Lib. 3. Aph. 6.*

Hip. 6. Epid.

Quibus temporibus ad quæ loca migrandum ſit.

Peſtilentiæ optimum remedium fuga.

non explicaſſe, ſaltem oſtendiſſe nobis ſat erit. Tametſi id his difficultatibus ſuperſit effugium. Si periculum mutatæ repente ſedis per ſe intelligas, non loci in quem tranſitur reſpectu, neque comparatis inter ſe noxis quæ ab auræ vitio & ejus inſueto ſubitoque occurſu oriuntur, ſic ut qui ex gravi loco in ſalubrem tranſit, propter inſuetudinem lædatur, etſi hunc forte graviora pericula maneant ſub eodem cœlo moratum.

NEque vero ex multa fame nimia ſatietas, neque ex nimia ſatietate fames idonea eſt. Periclitaturque & qui ſemel & qui bis die cibum incontinenter contra conſuetudinem aſſumit. Item neque ex nimio labore ſubitum otium, neque ex nimio otio ſubitus labor ſine gravi noxa eſt. Ergo cum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit aſſueſcere.

Sano rectius ſenſim, ægroto affatim vitium adimitur.

¶ Sanus ægroto poſitis aliis id intereſt, quod illi virium, ſi quod eſt, magis paulatim, huic confertim dematur. Etenim qui morbo jam opprimitur, is moram in mutando vitio recuſat: At quibus etiamnum ſanitas morbuſque in ambiguo ſunt, eorum vitium tempus ut facit, ſic etiam ſolvit. Quod fieri oportere ſciendum eſt, ad excludendam novæ inſolitæque rei moleſtiam. Ea vero moleſtia in ægrotantibus non tanti putatur, quanti morbi depellendi neceſſitas, quæ magnitudine ſuppetat eam quæ ſub lenta mutatione eſt, ſecuritatem. Ergo ſanis omnis conſuetudinis ſubita mutatio contraria eſt, idque non ſolum, ut GALENUS Author eſt, quum præter naturam corpora afficiuntur, ſed in ipſo quoque ad naturalem ſtatum reditu, quemadmodum in iis luculenter apparet, quibus ante vehementer refrigeratis, ac mox ad flammam properantibus, digiti manus præcipueque circa unguium radices graviter dolent. Hanc naturæ moleſtiam non tantum qualitatum activarum repentinus occurſus, ſed aliarum quoque rerum infrequens uſus adfert. Nam ut a victu ordiar, ex longo piſcium eſu ad carnes, & a vini potu ad aquam aut cereviſiam difficilis eſt inſolitus tranſitus. Itemque ex laborioſo vitæ genere ad otium venire, aut contra ab inertia ad negotia cito reverti naturæ grave eſt. Quod ſi iſtarum rerum quæ in loco uſurpatæ non officiunt, ſubita mutatio nocens eſt, quanto futura nocentior aliarum, quæ nunquam valetudini proſunt, nimiam dico ſatietatem atque inediam, ex quibus hæc neceſſario alimento corpus privat, illa crudo infarcit. Quanti vero hæc incommoda ſint, eorum exemplo diſcitur, qui plenum victus genus aliqua calamitate parco commutarunt, ut qui in caſtris aut obſeſſa urbe omnibus ante defeſſi malis ac diutina fracti inedia, hincque protinus ad ſummam affluentiam rerum omnium reducti, difficillimis interdum morbis conſumuntur. Jam quoque non ſolum peccatur ubi juxta inediam protinus ſatietas eſt, ſed ubi rectus etiam ordo in ſumendo cibo negligitur. Sunt enim ſtati quidam ordinatique naturæ motus circa proprias actiones ſic ut unumquodque concoctionis organum ſemel de die cibo refici ſuetum, tantum ex hoc ſibi in uſum nutritionis reſervet, ac ſuos intra ſinus ſeu pretioſum quoddam κειμηλιον recondat, quantum abunde eſt ad proximi ſolitique cibatus ventura tempora. Videlicet ita longus uſus unico paſtui ventriculum aſſuefecit, ut ſi ſæpius hunc dapibus infarcias, vehementer in concoctionis munere ſis offenſurus, quatenus *ſolitus non eſt* (ut inquit HIPPOCRATES) *bis tumeſcere, aut bis cibos coquere*. Rurſus quicunque prandere ſoliti, prandio ſe præter morem abſtinent, naturæ vires

Conſuetudo repente mutata ſanis obeſt. *Gal. 12. Meth.*

Victus ſubito novatus nocet.

Viciſſitudo edendi mutata naturæ gravis.

Hipp. 2. d. victu acut.

Quæ noxæ præter morem impranſis accidant. *Hipp. 2. Vict. acut.*

vires infirmant ac corpus plus juſto bilioſum reddunt, quo fit ut, Authore HIPPOCRATE, protinus male habeant, ac pigri ad quodvis opus fiant, quin & urinæ ſubinde his virides calidæque reddantur cumulata intus per inediam bile, alvique durentur ſiccato, & anadoſeos vi & caloribus oleto πικροχόλοις vero τὰ ἄνω os amareſcat, cardialgiæ accidant, oculi excaventur, tempora palpitent, extimaque corporis frigeſcant. Atque his urgentibus propter omiſſum prandium ſymptomatis, ſi cœna ſuccedet, Author HIPPOCRATES eſt, ne tum quidem mala leniri conſueſſe, ſed acidum ructari, præcordia gravitate, ventrem liquida dejectione exerceri. Terruit CELSUM veſcendi modus ac viſſitudo repente mutata. At nos non ſolum iſta movere, ſed & cibi mutatum genus debent. Nam permagni intereſt quo quiſque cibo ſit uſus, & ad quod genus tranſeat. Nimirum, quibus eduliis longo jam olim tempore corpus alitum eſt ea repente non abſque periculo linquuntur. Adhæc tutius ſemper a pravis ad meliora tranſitur, quæ tamen novatio adeo eſſe præceps poteſt, ut præſtiterit ſolita mala retinuiſſe. Ex hoc enim incidit, ut qui pauperculi oleribus, leguminibus, radiculis & id genus pravæ notæ alimentis ſuam indies inopiam levant, nihil propter aſſuetudinem offendantur, idemque rurſus ad ſplendidi viri menſam bona ſemel fortuna admiſſi, domeſticum olus ſomnient, inſolitoſque rerum bonarum uſus gravate ferant. Atque hinc ſciri poteſt, hoc iſtud mutatæ in victu conſuetudinis præceptum latiſſime patere, neque in dictis tantummodo generibus locum ſibi vendicare, verum etiam in iis omnibus quæ corpori quoquomodo accidunt, ut ſunt ſomnus, vigilia, repletio, inanitio, & quæ nominatim Author poſuit motus & quies. Nempe corpora laboribus inſueta, quies repente excipiens multa cruditate aut plethora onerat. Rurſus ſi exantlare graviſſima opera protinus cœperint qui otio prius diffluxere, fieri plane nequit ut de vaſorum vel obſtructione vel diruptione non periclitentur. Ergo quo omnis noxa in commutato rerum comprehenſarum uſu caveretur, præceptum quoddam inſtar concluſionis ex commemoratis generibus collectæ CELSUS proponit, paulatim dicens aſſueſcere quemque debere cum mutare aliquid volet. Id vero, Doctore HIPPOCRATE, didicit, qui in EPIDEMIIS ſic loquitur: *Contraria ſenſim adhibere oportet atque interquieſcere*. Tum 2. *acutorum*, idem evidenter teſtatum reliquit, ubi præter ſolitum impranſos ita reficit. *Vitato*, inquit, *frigore, calore, labore, parcius ſolito cœnent, cibuſque ſit humentior, potus ne ſit aquoſus, neque minor quam ingeſtorum ratio poſtulat. Poſtridie parce prandeant, ut acceſſione paulatim creſcente ad conſuetudinem redeant*. Eandem mutandæ conſuetudinis legem GALENUS quoque in obeundis laboribus ſecutus videtur, *a leviſſimis jubens motionibus ſemper auſpicandum eſſe, ſenſimque eas adaugendas, dein diem unum & item alterum interponendum, & in otio verſandum*. Illud fateri jure poſſumus, nihil penitus in propoſita re aut CELSUM aut GALENUM reperiſſe, quod non ante a vetuſtiſſimo Authore HIPPOCRATE hoc Aphoriſmo comprehenſum ſit. *Semel, multum & repente vel vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere periculoſum eſt. Omne enim nimium naturæ inimicum eſt: Paulatim vero quod fit, id tutum eſt, cum alias, tum maxime, ubi ab uno ad aliud facienda mutatio eſt.*

Non ſolum veſcendi modus atque ordo, ſed cibi etiam genus nocet repente mutatum.

Pauperculi non offenduntur pravo cibo propter aſſuetudinem.

Motus quietis ſubita mutatio periculoſa.

Hipp. Lib. VI. Epid.

Mutatio omnis paulatim fienda eſt.

Præter ſolitum impranſi, quomodo reficiendi.

Gal. Comm. in lib. 6. Epid.

Hipp. lib. 2. Aph. 51.

OMnem etiam laborem facilius vel puer vel ſenex, quam inſuetus homo ſuſtinet. Atque ideo quoque nimis otioſa vita utilis non eſt, quia poteſt incidere laboris neceſſitas.

¶ Mul-

¶ Multum cum omnibus in rebus, tum in ferendo labore conſuetudo poteſt. Ejus rei argumentum longe efficaciſſimum eſt, quod cum pueri ac ſenes propriæ naturæ ratione ad omnes voluntarias actiones ſint ineptiores, adoleſcentes autem multo aptiſſimi, hos tamen inſoliti labores frangant quos illi modo huc aſſuerint ſuſque deque ferunt. Nimirum ita ſane fit, ut otioſis articuli muſculique pigreſcant atque (ut ſic loquar) enerventur, laborioſis vero diutina exercitatione mutuoque attritu durentur. Ac proin *conſueta motio* (Authore etiam GALENO) *non ſolum minime laſſat, ſed delectat quoque*, ut contra ſi inſolens eſt, protinus tum diſplicet, tum fatigat. Denique quid quæſo conſuetudo non poteſt, quæ non ad corporis modo curationem, verumetiam ad fingendos animos ipſius inſtar naturæ eſt. Quare hujus rei ſedula obſervatio neſcio quid ſalubris doctrinæ ad vitam componendam adferat, ſcilicet ut quiſque ſtatim a teneris annis poſtergatis fortunæ ludibriis, animum adjungat, quæ duo ut & beare ſuum profeſſorem, & decorare certo poſſunt, ita longiore uſu hexin parere, & in ipſam tranſire naturam ſolent. Ut perquam ſapienter FABIUS dixerit, *conſultum eſſe ab initio ſtatim optimis aſſueſcere*.

Pueri & ſenes ſolitum laborem ferunt, quo inſolito juvenes franguntur.

Inertia motionis inſtrumenta enervat, labor firmat. Gal. 5. ſanit.

Conſuetudo nihil non poteſt.

Γνωμή.

SI quando tamen inſuetus aliquis laboravit aut multo plus quam ſolet, etiam is qui aſſuevit huic jejunio, dormiendum eſt multo magis ſi etiam os amarum eſt, vel oculi caligant aut venter perturbatur. Tum enim non dormiendum tantummodo jejuno eſt, ſed etiam in poſterum diem permanendum, niſi cito id quies ſuſtulit. Quod ſi factum eſt, ſurgere oportet, & lente paululum ambulare. At ſi ſomni neceſſitas non fuit, quia modice magis aliquis laboravit, tamen ingredi aliquid eodem modo debet

¶ Symptoma quod ſuccedere laboribus ſolet, aut immodicis aut inuſitatis laſſitudo eſt (κοπὸν Græci nominant) calfactis ſcilicet ſupra juſtum articulis & muſculis, ſicque nimium tum ſiccatis tum excremento intra hæc attracto præpeditis. Huic affectui ſiquid aliud ſomnus opitulatur, non ſolum, quia feſſa labore membra quiete recreat, verum etiam quia arefacta humectat, rigidula emollit, impedita excrementis liberat. Ac primum ne illud quidem ab HIPPOCRATE dictum ratione caret: *Ubi corpus laborare cœperit, quiete laſſitudinem protinus levari*. Quod ſi id quies facit, quanto magis neceſſe eſt ſomnus faciat, qui ſicuti cum illa ἀνάλογος eſt, ita ad iſthæc omnia longe eſt efficacior. Is namque in hunc uſum nobis a natura tributus eſt, ut ſpiritus animales jugi a cerebro defluxu circa motionis voluntariæ munus inſumpti reficerentur. Id namque ex eo conſtat, quod poſt gravia exercitia proclivitate quadam naturæ ultra cum ad ſomnum feramur tum altius dormiamus, ſic ut præſentiſſimum contra pervigilia remedium in unico ſæpe labore poſitum ſit, quemadmodum HORATIUS hoc metro innuere viſus eſt: *Trans Tyberim nanto, ſomno quibus eſt opus alto*. Atque hæc a quiete feſſis artubus commoditas accedit. Neque hac levior cenſeri debet, quæ ſomni beneficio integritas concoctionis eſt. Dormientibus enim calor ſpirituſque vitalis inaugeſcit, atque intus circa munus concoctionis diſtinetur, quo fit ut omnia naturæ effluvia ſiſtantur, meliuſque ſubinde alteretur, quicquid in ventre ac primoribus venis crudi ineſt alimenti: Quas ſane cauſas, nil mirum ſi totius humectatio ſequatur. Jam ſiquid motivis organis liquamenti aut craſ-

Laſſitudo quid.

Laſſitudini ſomnus medetur.

Hipp. lib. 2. Aph. 48.

Somnus cura natura tributus animantibus ſit.

Somnum labor conciliat.

Somnus quo modo concoctionem juvet.

craſſioris humoris inſedit, id quoque per hæc tempora tenuatur, ſubigitur, æquatur, & ad exhalandum fit idoneum, qui fructus (ut patet) omnis ab exaucto per ſomnum calore procedit. Ipſe calor viribus jam tum omnibus expeditus, libere agit, ſeſeque agendo confirmat augetque, ad nulla amplius motionis organa diſtractus. Videlicet ut multa actione facultates voluntariæ minuuntur, ita naturales contra invaleſcunt. Rurſus ut hæ dormientibus validius, & vigilantibus ſegnius agunt, ita illæ e diverſo per ſomnum magis feriantur, & vigilibus in aſſidua ſunt functione. Porro dormiendum hic jejuno potius quam ſaturo eſt, idque ne natura ad conficiendum ventriculi alimentum diſtracta, tardius reſolvat, quod articulis muſculiſque laſſitudinis affectum intulit. Neque vero hæc ipſa natura (quum in fatigatis ſupra proprias vires ſit afflicta) ſatis commode utrique vacabit officio, & concoquendo exceptum ventriculo alimentum, & æquando diſcutiendoque id excrementi, quod per vehementes labores ad organa motionis tractum, ibidem impegit. Quandoquidem inſitus nobis calor (quem naturæ etiam nomine dignamur) admiſſis in ventrem epulis paulo minus omnis ad ima penetralia corporis recedens, extrema deſerit, ſuoque afflatu ſeu numine aliquo tutelari privat. In quibus tamen extremis cum laſſitudinis affectus potiſſimum figatur, fieri ægre poteſt, ut a cibo dormientibus quicquam fatigatio levetur. Ut ſomnus labore feſſis nunquam eſt inutilis, ita tum demum ſalutaris habetur, ubi corpus natura calidum ac ſiccum eſt, ut quod tanto liberaliori eget humectatione, quanto gravius ſemper labore offenditur. *Omnibus* enim *ex ſiccitate laborantibus ſomnus* (Authore GALENO) *maxime idoneus eſt*, ſicut vigilia contra apprime inimica. Qua re adductus CELSUS exiſtimavit majore fiducia dormire a labore jejunum poſſe, ſi os amarum eſt, ſi oculi caligant, aut venter perturbatur. Indicant enim ſigna hæc cumulatam in vaſis bilem inque ventriculi ſpatium effuſam præ excercitationis nimietate fuiſſe, quæ nimietas non ægre calidis ſiccisque corporibus accidere ſolet. Ergo os amareſcit, quoniam hujuſmodi ſapor bili flavæ proprius eſt, eumque ventriculus gulæ totique intus ori communis tunicæ merito impartit. Oculi autem caligant, cum qui ex bile reſolvitur halitus e ſtomacho ad caput ſubvolat ac falſis imaginibus viſivos ſpiritus intus ludit. At alvus fuſa redditur depreſſo ad inteſtina amaro excremento, quorum vim excretricem ſua iſtud acrimonia provocat ac veluti ſtimulo ſuppungit. Sane his apparentibus notis, neque laſſitudinis affectu ſub prima quiete diſcuſſo, non tantummodo jejunis (ait CELSUS) dormiendum eſt, ſed in poſterum quoque diem permanendum, ut omni ratione ac via corporis humectatio quæratur. Quanquam tamen ſeveritatem illam veterum in jejunando non uſquequaque ſemper hic oporteat ſectari, quin potius modum aliquem propoſitis rebus adhibere, ne corpus immodicis ſiccatum laboribus, & nutrimenti ſubinde fluctuans inopia, non ſolum nullum ex ſomno humectationis fructum percipiat, ſed contra potius inde penitus tabeſcat. Cujus rei graviſſimum Authorem habemus HIPPOCRATEM, qui ſic ait: *Somni jejunum attenuant, humidum quod ineſt vacuantes*. Siquidem hac ſola ratione corpus humectari ex ſomno contingit, quod hoc durante ea quæ parum cocta ventri vaſiſque ſuperſunt calor validius edomet, & in utiles ſuccos partiumque nutrimenta felicius convertat. Id quod minime futurum eſt corporibus ſupra modum inanibus: Nam tum deficiente venas ſanguine, illa per ſomnum excoqui immodiceque areſcere ſolent, ali humectarive non item. Quippe non alia via eos ſæpe in habitus ſymmetriam vindicamus, qui nimia car-

Laſſatis non eſt a cibo dormiendum.

Cibo in ſtomachum recepto, calor intro fertur.

Somnus exſiccatis utilis, vigilia inimica.

Gal. 7. Meth.

Signa effuſæ in ventriculum bilis.

Hipp. Lib. 2. de diæta.

Somnus jejunos extenuat.

carnis atque adipis mole onerantur, quam ſomno a laboribus matutinis & ante cibum imperato. Ergo ſi extenuationis periculum ex hoc genere ſomni defeſſis corporibus impendet, ſatius utique fuerit pauculum quid atque humidum prius cœnare, ac tum demum ſomno ſe dare. Talis enim cœna quia concoquitur facilius, haud æque diu naturæ operam diſtinet: Quia vero plenius humectat, melius quoque ariditatis per motiones contractæ vitium corrigit. Porro ſoluta per quietem laſſitudine, ſurgere convenit ac lente paululum ambulare, ut placida hac membrorum dimotione impacta ipſis ſuperflua ſomniſque jam ope tenuata commodius exhalent.

COmmunia deinde omnibus ſunt poſt fatigationem cibum ſumpturis, ubi paulum ambulaverunt, ſi balneum non eſt, calido loco vel in ſole vel ad ignem ungi atque ſudare, ſi eſt, ante omnia in tepidario reſidere, deinde ubi paulum conquierunt, intrare & deſcendere in ſolium, tum multo oleo ungi, leniterque perfricari, iterum in ſolium deſcendere: Poſthæc os aqua calida ſovere, deinde frigida. Balneum his fervens idoneum non eſt. Ergo ſi nimium alicui fatigato pene febris eſt, huic abunde eſt loco tepido demittere ſe inguinibus tenus in aquam calidam, cui paulum olei adjectum ſit, deinde totum quidem corpus, maxime tamen eas partes quæ in aqua fuerunt, leniter perfricare ex oleo, cui vinum & paulum contriti ſalis ſit adjectum.

¶ Omnibus exercitatione defeſſis humectatio ſalubris eſt. Ipſa (ſi ſub otio ac ſomno arefactionis vitium non conquievit) unctionibus quoque ac temperatis balneis recte quæritur. Magnas hæc iſta vires ad levandas ſolandaſque laſſitudines ſortita ſunt. Nam ſolidis plus juſto ſiccatis ſalutarem madorem immittunt, durata emolliunt, tenſa relaxant, ideoque ab omni dolore vindicant, tum quæcunque ſubcutaneis in locis coierunt tenuia ac fuliginoſa excrementa foras per cutem exigunt, & proclivitatem ſomni qui paulo poſt cibum vehementer ſit profuturus, inducunt. In quibus pene omnibus plus unctione valere balneas intelligendum eſt. Ceterum noviſſe oportet, hæc iſta præſidia non niſi cibum ſumpturis conducere, ſaturis vero cruditatis atque obſtructionis cauſam præbere. Qua namque ratione ſuccos permovent habitumque corporis accedunt, eadem profecto & crudum alimentum huc e primis venis ante tempus pertrahunt. Quod incommodum ut effugeret HIPPOCRATES, eos *lavatione prohibebat, qui non longo ante tempore vel ptiſanæ cremorem ſorpſerant, vel quippiam biberant*. Sed agedum fatigatorum hominum curationem proſequamur. Ac primum quidem deficiente balneo, non male conveniunt unctio atque ſudor, illa ad rigeſcentium tenſarumque partium emollitionem, hic ad fumoſi excrementi vacuationem accommodatior. Fieri vero iſta oportet in Sole aut ad ignem, ut horum ope illorum vis atque energia juvetur. Sudores tamen non expedit eſſe effuſiſſimos, ne quid ſecum benigni humoris exigant, quod cum nulli utile, tum pernicioſum quoque defatigato eſt. Verum ſi balneæ ſuppetunt, non alienum erit & his etiam laſſatos uti, ut quæ ad propoſitos ſcopos per omnia fere ſint unctione potentiores. Sed harum vires atque partes exponere operæ pretium eſt, ut conſtet quæ in ſingulis generibus animadverſio neceſſaria fatigato ſit.

Balneæ dulces & unctiones fatigatis utiles.

Balneæ & unctiones ſaturis officiunt.

Balnei partes quinque. Prima.

sit. Ergo balnei partes, si quis curiosius æstimet, quinque apud antiquos scriptores reperire est. Ex his tepidarium prima erat, ædificium concameratum omnique ex parte, ne qua pateret, occlusum, ac siccis ab igne redditis vaporibus calens. In hoc balneis usuri tantisper versabantur, donec habitus calore ascito rarescceret, idque ne imparati in calidum postea solium desilirent. Hoc enim errore horror movetur densatis subitaneo calore cutis spiraculis, actisque violenter per musculos acribus excrementis. Quæ incommoda facile cavebuntur, si ante calentes undas æqualis per totum corpus calor diffundatur, cujus beneficio, materiæ vacuandæ liquescere, cutis meatus patefieri, aspera lævigari, tensaque laxari possint. Sequitur secunda balnei pars priore fere per omnia similis, nisi impensius hæc ferveret, eoque nomine ὀπὸ τῦ ὑποκαίειν Græcis ὑπόκαυσον, CELSO, CALIDARIUM, aliis LACONICUM appellata est, eratque sudoribus fusius evocandis dicata. GALENUS decimo Therapeutices, Tepidarii ac Laconici discrimina confudit, quoniam sola fere caloris intensione ac remissione, non re ipsa dissident. Succedit his tertia pars, calentis ac dulcis aquæ lavacrum, alias solium appellatum, eratque vas aut cisterna calidis undis impleta. Ea non uno nomine iuvat. Nam partibus si siccatæ sunt utilem madorem impartit, si refrigeratæ, ascititio calore mediocritatem temperamenti reddit, adhæc excrementa vacuat, & somnum accersit. Proxima lavacro piscina frigidæ quarta balnei pars erat, iis potissimum corporibus subveniens, quorum intererat humorem balnei potius quærere, quam caliditatem. Nam omnem intemperiem abigit a lavacro ante contractam, tum molem corporis densat, ac veluti communit, quo minus externis injuriis fiat opportuna. Mox vero ipsa quoque naturæ virtus ab hac densatione cutis invalescit, intro pulsis, calore, sanguine, spiritu, efficacissimis naturæ adminiculis. Quæ sane causa est, quare eos cernamus, qui sese frigida decenter perluerunt, plus appetere, melius concoquere, ac minus sitire. Restat ultima balnei pars, quæ tota movendis sudoribus erat destinata. Sic enim superflua ea melius exhalabant, quæ calor primo frigidæ appulsu intro fugatus, ac mox ab imo rursum corpore acceptis intus viribus emergens secum in habitum vexerat. Eliciebatur sudor partim quartæ balnei partis usu, partim multa veste universo corpori circumdata. Et quidem intra hæc omnis balnei administratio antiquitus erat, tametsi non idem omnium usus semper erat necessarius, sed suus cuique corporis affectioni proprius, peculiarem in singulis generibus observationem exigens: quemadmodum in ipsis quoque fatigatis fieri solitum est. Igitur his (Authore CELSO) non inutile tepidarium est, idque iis de causis quas proxime proposui. Hic ubi aliquantisper cunctatum est, intrare & descendere in solium convenit, quod sit aut temperatum aut mediocriter calens. Nam hoc & excrementa commode vacuat, & partes labore siccatas humectat, & incensas grato refrigerio demulcet, idque aquæ in habitum ingressæ merito, quæ depositio ibidem adventitio calore quam mox ad naturam quæ refrigerans est, redit. Fervens vero balneum fatigatis adversissimum est. Scilicet hos in balneas deducimus non tam vacuationis alicujus gratia, quam ut emolliatur ac madescat quicquid in corpore immoderatius exaruit. Proin qui sese ferventibus in balneis elixant, non solum his commoditatibus non fruuntur, sed nova etiam sibi mala conscisscunt. Nempe corpus ante laboribus accensum extorretur, totaque undequaque densata cute nec madescere partes ab humore balnei possunt, nec excrementi quod intus latet, quicquam emittere. Etenim nihilo segnius aqua fervens, quam frigida adstringit. Posthæc jam solio

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Balneum quomodo fatigatis administrandum.

Solium fervens fatigatis contrarium.

Unctio fatigatis utilis.

egres-

egreſſos hos non ſine cauſa CELSUS ungit: Nam hoc modo, ſolida labore ſiccata madefiunt, & hiantia cutis ſpiramenta pinguetudine infarta fidelius retinent, quicquid inter lavandum receptæ fuerat in corpus aquæ. Tum autem perfricuiſſe etiam leviter corpus inter ungendum juvat, ut eo altius oleum in carnes demittatur, fructuſque humectationis ſit uberior. In quem finem vel ſecundo balneum repetere CELSUS non dubitavit. Peractis his fovendum os aqua primum calida, dein frigida eſt, illa quidem ad præmuniendas fauces, ne ſucceſſura mox frigida violentur, hac vero ad caput lavacro rarefactum contra ambientis injurias durandum, ambo ad levandam ariditatis moleſtiam, quæ durante lotione in ore contracta eſt, elatis nimirum eo ferventibus ab commoto ſanguine vaporibus. Jam ſi fatigatis caloris ſiccitatiſque vitium improbi labores adeo grande fecerint, & ejus rei cauſa tantum non febris ſit, tum profecto aut ſolio calido penitus ſuperſedendum eſt, aut iis id duntaxat partibus admovendum, quæ longius ab hepate cordeque abſiſtunt. Quippe metus eſt ne ſi ferventis aquæ vis aut ſubſtantia præcordia attingat, febrem moveat. Rectius ergo tales, ut CELSUS præcipit, loco tepido in calidam aquam inguinibus tenus demittuntur: Quoque is humectationis fructus largior ſit, non abs re & olei paulum aquæ inditur: Sic enim humor & magis refrigerat, & diutius in membris inhæreſcit. Poſthæc corpus inungendum eſt, lenta pariter adhibita frictione, addendumque oleo ſalis momentum ut qua nimia licet calfactionis occaſione laſſitudinis affectus quam maturrime ſolvatur. Conſulto autem hic frigidæ lavatio, quæ quarta balnei pars erat, præteritur. Tum quod fatigatis, adeo naturæ vires laborent, ut frigidum non ſufferant, tum quod balneo relaxatum corpus ac ſuccis exinanitum, ſed & plurima tenellæ carnis atque adipis portione privatum ſit, ut hinc vitæ principia crudi frigidique elementi illapſu prompte feriantur. Sunt namque hæc iſta pericula omnibus iis communia, quorum viſcera, laboribus, inedia, vigilia, aut tabido aliquo affectu extenuata non ſat muniminis retinuere adverſus irruentis frigidi vires. Quanquam tamen GALENUS ſatis confidenter ipſos etiam hecticos frigida lavarit, præſtabilius eſſe ratus in frigidæ intemperiei diſcrimen eos conjicere quam in maraſmum labi ſinere. Quippe ſi in eum jam res rediit locum, ut ibidem, minima, periturus, qui ſic laborat, æger videatur, niſi temeraria quoque via fuerit adjutus, deficiant vero alia quæ ſalutem ſpondeant remedia, ſatius eſſe GALENUS putavit anceps auxilium experiri quam nullum, multaque in præcipiti periculo recte fieri poſſe, alias omittenda. Ipſe decimo Therapeutices in hunc fere ſenſum loquitur. Quemadmodum hectica febre conſumpti, ubi ad balneum accedunt, niſi in frigidam ſint dimiſſi, nihil juvantur, ita graviſſime iterum offenduntur, ſi frigidæ vis aut ſubſtantia omnino integra ad viſcera pertingat. Ceterum GALENI hæc medicatio ut non optimum, ſic tamen ſecundum remedii genus adhibet, ipſaque adeo, quoniam nihil aliud eſt quam præſenti malo aliis malis, ſed minoribus remedia dare, non uſquequaque fatigatis hominibus ſectanda eſt, ut quibus hæc deſunt, aut ſi ſunt, uno (ut alias CELSUS ait) die finiuntur. Nares acutæ, collapſa tempora, oculi concavi, frigidæ aures, cutis circa frontem intenta, reliquaque monſtrorum hecticorum ſpecies. Ac proin licitum quoque eſt cum levioribus tum ſecurioribus auxiliis contractos ab labore ardores tollere. Jam quoque ut laſſatis frigida poſt ſolium natatio, ita & ſudor nocent. Exigitur enim per cutem, quicquid dulcium undarum lavacrum ſolidis immiſerat.

Fatigatis os frigida a balneo fovendum.

Frigidæ lavatio defatigatis inutilis.

Hecticos Galen. cur in frigidam deduxerit. *Gal. 10. Meth.*

Fatigatis ſudor inutilis.

POſthæc omnibus fatigatis aptum eſt cibum ſumere, eoque humido uti: aqua vel certe diluta potione eſſe contentos, maximeque ea quæ moveat urinam. Illud quoque noſſe oportet, quod ex labore ſudanti frigida potio pernicioſiſſima eſt, atque etiam (cum ſudor ſe remiſit) itinere fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus Aſclepiades inutilem eam iudicavit. Quod in his verum eſt, quibus alvus facile nec tuto reſolvitur, quique facile inhorreſcunt. Perpetuum in omnibus non eſt, cum potius naturale ſit potione æſtuantem ſtomachum refrigerari, frigentem caleſieri. Quod ita præcipio, ut tamen fatear, ne ex hac quidem cauſa ſudanti adhuc frigidum bibendum eſſe.

Gal. 9. Meth. Fatigatis humectum nutrimentum idoneum.

¶ Quibus ſucci præter modum accenſi attenuatique ſunt, maximum iis (inquit GALENUS) remedium eſt, humidum nutrimentum, quare id fatigatis quoque commune eſt, qui quoniam plus æquo diſſolvuntur, cito refici poſtulant: Quia vero debilitantur, cibo facilis concoctionis egent. Utrumlibet optime humecto conſit alimento, ut quod ad concoctionem ſui non tantum ac ſi ſolidum eſſet exigit a natura roboris, nec tantum moræ ad corporis nutritionem. Quæ cauſa eſt, cur laſſatis non modo cibus humidus, ſed & diluta potio conducant. Etenim meraca etſi plus diluta nutrit, labore tamen accenſis, quia calet, inimica eſt. Aqua uti intrepide poſſunt juvenes boni habitus (ἀσάρκους Græci dicunt) idque eo ſemper confidentius, quo magis eam potare ſoliti ſunt. Ceteris diluta pocula aptiora ſunt, ex aliquo genere vini urinas moventis, διυρητικόν Græci nominant. Hoc enim expedite venas permeat, ideoque citius vacuatos reficit. Adde quod minus etiam calefacit ac putria bilioſaque ſuccorum purgamenta per urinas exigit. Porro frigida ut immodice laſſatis perquam raro prodeſt, ſic nunquam non pernitioſa eſt iis qui hanc profluentibus etiamnum ſudoribus bibunt. Patefactis enim undique in corpore meatibus, facillime ad viſcera tranſit quicquid in ventrem crudæ potionis ingeſtum eſt, ſic ut hæc eadem ne quicquam nativi caloris robore edomita fractaque primo ſtatim impetu principia vitæ perenneſque illos naturæ fontes imperat, omnia violenter ſua qualitate percellens. Videtur hoc ipſe quoque uſus docuiſſe, quoties hepatis atque lienis hinc violati occaſione hydrops, aut nervoſorum corporum affectu convulſio, tremor, dyſpnæa, & ſimiles morbi gignuntur. Porro itinere deſſis etiam tum frigida nocet, cum ſudor ſe remiſit. Nam his diutina itatio vires attrivit, ſimileque veri eſt, multum carnis mollioris, adipis, ſanguinis & ipſius denique genuini caloris periſſe, quibus detractis præſidiis ventriculus, hepar, lienis, totaque præcordia irruentis frigidi iniuriis cedunt. At vero extra periculum ſunt, qui balneas egreſſi, frigidam aquam finitis ſudoribus hauriunt, utique ſi bona ſunt corporis habitudine præditi, neque extenuatione affecti, neque ſenio debilitati, magiſque ſi conſuetudo non uſquequaque reclamat. Horum etenim viſceribus maximi muniminis ſeu tutiſſimi præſidii loco ipſa nativi caloris abundantia eſt, quæ ſane facit, ut non ſolum non noceat frigida, ſed augendis naturæ viribus etiam vehementer inſerviat, idque extincto penitus ardore, quem ſolium viſceribus intulerat. Nimirum recreatæ hinc ſolidæ particulæ ipſeque ante omnes ventriculus, protinus & accuratius alimentum concoquunt, & promptius, ſi quæ putria in iis excrementa coierunt, excludunt. Porrigere in loco frigidam cum ſit expeditiſſimum artis medicæ gnaro,

Fatigatis quę potio conveniat.

Frigida potui data ex labore ſudantibus pernitioſa.

Itinere feſſis potus frigidę inutilis.

Frigidam a balneo hauſire non eſt alienum.

tum

tum imperito difficillimum eſt, ut in propoſita re, ubi tantis aquæ dotibus tanta ſunt quæ ex oppoſito reſpondeant vitia, quando hæc cum non oportet, aut ab iis quibus inutilis eſt hominibus bibitur. Nam ſi cruda putriſve materia venas habitumque obſidet, ſic ut homo vel labores aggreſſus, vel lotus, itemque Solis ardoribus objectus illico inhorreſcat, temperandum a frigidæ potione eſt, ſeu quæ obſtructiones venarum adauget, ſuccoſque male coctos crudiores facit. Jam ſi tumor aliquis præter naturam (dempto eryſipelate) aliquod viſcerum exercet nec tum quoque utilis eſſe frigida poteſt, quandoquidem hæc, ut HIPPOCRTES teſtatur, *frigida partiumque craſſarum eſt, ob idque & ægre concoquitur, & tarde permeat*, ut nihil mirum ſit, ſi illapſas loco affecto materias altius implicet, & ad ferendam concoctionem faciat rebelliores, utique ſi tumore jecur aut lienis premitur, quibus præcipue viſceribus quia exilia vaſa obtigere, a frigida negotium fieri, eodem Authore HIPPOCRATE diſci poteſt. Addam his & tertium genus, quod jure tamen omnium eſſe primum oportuit, corporis ſcilicet totius aut partis alicujus principis imbecillitatem. Etenim quæcunque profutura ſemel frigida eſt, naturæ noſtræ viribus inferior ſit neceſſe eſt, ex quo adeo fit, ut itinere fatigatis, gravi labore fractis, curis, vigilia, atque inedia confectis, diutina ægrotatione jactatis, decrepitis, infantibus, tum (ſi ad partes ſpectes) propter imbecillitatem ventriculo ad diarrhæam, hepati ad hydropem, lieni ad ſchirrum, inteſtino ad colicos dolores, ac præcordiis ad dyſpnæam propenſis poculum frigidæ omnibus ex æquo inimicum ſit. Siquidem hæc intro ſemel per os demiſſa, aut a natura ut ſuperetur, aut ut hanc ipſa protinus ſuperet, neceſſe eſt. Ideoque ſi ventriculo quem hæc primum intrat, tenendi vis adeo ſit imbecillis, ut quicquid aſſumptum eſt alias imperfectum, alias ne concoqui quidem cœptum, protinus diſſuere per alvum ſinat, quis dubitet hoc rerum ſtatu frigidum obeſſe, tum quod partis infirmitatem ſua qualitate adaugeat, tum quod nutantes in fluxum materias ſtrictis ſuperioribus ad anum impellat, præcipitetque. Scilicet frigiditatis eſt, corpora quibus incumbit, preſſare ac velut manu ſtringere. Quomodo & medicamenta frigida ſupra pectus foris impoſita, fluxionem ſanguinis per tuſſim rejecti incitant, compreſſis nimirum ab horum qualitate pulmonum vaſis. Porro ASCLEPIADES *inutilem a balneo frigidam* cenſuit. Quod, quamvis pleraque ejus viri præcepta ſecutus eſt CELSUS, recte tamen damnavit. Neque enim bibitæ aquæ periculum in ipſo balneo, ſed in corporis loti ineptitudine vertitur. Nam detractis modo enumeratis incommodis quid præſtabilius, aut quid magis naturale eſt, quam æſtuantem ſtomachum gelida potione refrigerari. Scilicet mutatio omnis fit a contrario atque in contrarium. Et ſunt etiam contraria remedia contrariorum. Æque profecto ut naturale quoque fatebimur, frigentem ſtomachum calida potione juvari.

Frigidæ Potui quæ reclament.

Hipp. lib. victus acutorum.

Frigida quibus inutilis.

Frigida alvo fuſe inimica.

SOlet etiam prodeſſe poſt varium cibum frequenteſque dilutas potiones, vomitus, & poſtero die longa quies, deinde modica exercitatio.

¶ Corruptionis ciborum tres ſunt primæ ſeu generales differentiæ. Una fit per proprios ventriculi morbos. Altera a vitioſis, qui intus coierunt, humoribus. Tertia alimenti ſequitur vitium, quoties in ejus quantitate, qualitate, aut veſcendi modo delinquitur. Exuperantem quantitatem, ventriculi calor ſuperando non eſt, quare protinus ab ea is ſuperatur, æque profecto ut ab immoderata lignorum copia flamma ignis tum obruitur,

Alimentum tribus de cauſis intus computreſcit.

Cibi copia immodica.

Cibi inepta qualitas.

tum etiam tota deletur. Inepta qualitas in excedente potiſſimum caliditate aut frigiditate, tum univerſæ ſubſtantiæ pravitate ſpectatur, quæ omnia ingenitum nobis calorem impediunt, quo minus cibos poſſit ſuo robore edomare & in utiles ſuccos alterando convertere: at in modo veſcendi peccatur, ſi aut præpoſtero ordine aut nimia varietate alimenta aſſumuntur. Quippe non poteſt concoctio non vitiari, quum facilia concoctu duris, pinguia macris, ac laxantia adſtringentibus poſtponuntur. Tum quæ nimium varia ſunt fercula contrariiſque inter ſe qualitatibus pugnantia, ventriculus neque arcte ſuis tunicis apprehendit neque pari concoctionis proportione alterat. Alia enim aliis citius, alia tardius conficiuntur, quæ promiſcue omnia inter ſe coeuntia miſtaque, facile computreſcunt atque omnem concoctionis legem ſubvertunt. Ergo tribus hiſce ventriculi noxis maximum promptiſſimumque remedium vomi eſt, quo id quod naturæ incommodat, extra corpus elicitur. Nam ſi quod intus alimentum eſt, copia ſui male habet aut alioqui computruit, nullo certe modo melius ſuccurritur. Nunquam enim prava male pelluntur, ſæpe bona haud tuto retinentur, quoniam periclitari hæc non expedit, ne nimio luxu ventriculi vim laceſſant, neve caloris noſtri deſtituta afflatu, vitientur, ac ſi tandem venarum excepta oſculis, benignos etiam ſuccos contaminent. Quæ de cibo diximus, eadem de ſimili quoque potione intelligenda ſunt, ut recte *Æginetam* ſcripſiſſe arbitrer, maturum *vomitum ſaluberrimum eſſe temulentiæ remedium*. Porro quoniam propoſitis ventriculi affectibus cruditas neceſſario copulatur; conandum modis omnibus erit ut concoctio fiat, ad cujus facultatem multis abunde eſt longiuſcula quies, & poſt hanc modica corporis exercitatio. Illa calorem intus coercitum in concoctionis officio tenet, hæc eundem excitat abſque crudorum tum liquatione, tum in habitum raptu.

Cibi ſumendi ordo præpoſterus, aut nimia varietas.

Vomitus corrupto intus alimento aut corrumpendo utiliſſimus.

Æginet. lib. 1.

SI aſſidua fatigatio urget, invicem modo aqua, modo vinum bibendum eſt, raroque balneo utendum. Levatque laſſitudinem etiam laboris mutatio, eumque quem novum genus ejuſdem laboris preſſit, id quod in conſuetudine eſt, reficit. Fatigato quotidianum cubile tutiſſimum eſt, inſolitum contra laſsat. Quod enim contra conſuetudinem eſt, nocet, ſeu molle, ſeu durum eſt.

¶ Fatigatio (quæ quidem exercitiis ſupervenit, quæque excedens quædam ac pertinacior eſſe laſſitudo creditur) nihil aliud eſt, quam triſtis quidam ſenſus corporis immodice exerciti, accenſis nimirum articulis atque muſculis, idque nervaceis horum fibris alias vehementer tenſis atque ſiccatis, alias excremento ſibi circumfuſo præpeditis, adeo ut motis particulis moleſtus inde ſenſus alicujus ſeu ulcerationis, tenſionis vel contuſionis quaſi phlegmones oriatur. Tenſio nudam fere ſiccitatem labore contractam, ulceratio excrementi membris infixi qualitatem, contuſio copiam magis ſequuntur. Jam id excrementi quod influxit ſi tenue eſt, facile diſcutitur, tum balneis, tum ſudationibus. Si vero crudum, craſſum, plurimumque eſt, reſolvere id non uſque adeo proclive eſt, ex quo laſſitudo in vetuſtatem incidit, ideoque aſſidua CELSO nominatur, altius ſcilicet particulis immerſo excremento. Urgetque hoc pathema ea potiſſimum corpora, quibus aut plethora aut ſuccorum cruditas ſubeſt. Quemadmodum recte dixit HIPPOCRATES, *nequaquam a cibi parſimonia laſſitudinem fieri*. Itaque propoſitum ſymptoma, quia cruditatis ſoboles eſt, fruſtra aut bal-

Aſſidua fatigatio quando fiat. *Hipp. 6. Epid.*

neo,

neo, aut alio quopiam calfaciente remedio oppugnabitur, ut quod particulas priore labore accenſas gravius etiam inflammat & materias ipſis impactas (quia concoctione nondum tenuatæ, æquatæ atque ſubactæ ſunt) minime elicit, ſed permovet duntaxat, quo fit ut hinc laſſitudinis ſenſus quam maxime adaugeatur. Jam ſi per hæc tempora intus quoque latet (ut fere fit) ſuccorum vel crudorum vel putrium illuvies, quis hic non ſibi temperet a balneis, quarum vi noxia hæc ad ægrotas particulas trahuntur. Cavit religioſe GALENUS, ne cum pariter & laſſitudo urget, & venæ crudis ſuccis refertæ ſunt, ea quæ extra ſunt, intro revocemus: Neu quæ intus ſunt, foras. Ergo omnis diutinæ laſſitudinis remedium unica in concoctione poſitum eſt, quam concoctionem non parum ipſum adjuvat vinum, utpote ingenito nobis calori ſimilitudine ſubſtantiæ accommodatiſſimum, ut ne dicam interim, perquam idoneum id eſſe ad corrigendam ſiccitatem, quæ ſolidis particulis propter ſuperfluos labores contracta eſt. Sed ut nihil pene omni ex parte beatum eſt, ita & hic quoque inter tot vini commoditates, unicum hoc intervenit incommodum, quod (quia diureticum id eſſe convenit) crudos putreſve humores ad motionis organa ſecum abducat, ac ſic fatigationis propoſitæ ſymptomata exaſperet. Videlicet hac permoti cauſa iis quoque vinum omne ac præcipue diureticum circuncidimus, quos jam nunc podagræ, chiragræ, coxendices aut id genus alterius arthritidis dolores tenent. Nihilo vino melior aqua ſic fatigato corpori eſt, utpote cruda plane exiſtens atque omni naturæ functioni ex ſeſe inutilis, cumque diu circa præcordia cunctetur neque in corpus eat, reliquum eſt, ut eos qui hic abduntur male cocti humores, adaucta cruditate reddat pejores. Quod ſi vel celerrime ad articulos penetraret, ne ob id tamen eorum ſanare affectum quiverit, quin potius debuerit in venis hærere, omniaque cruda ſua qualitate pertinaciter adſtringere. Quid igitur, inquies, factu opus eſt? Dicam: Si viciſſim modo aquam, modo vinum potui des, ſic ut hujus vim atque impetum illa tardet, ſimulque vinum inter tot venarum ductus ſeu in via moratum ſuccos nequaquam concitet, ſed potius iis quibus diſtinetur locis opem ad concoquendum impartiat, plane rem feceris, ac voti fueris compos. Neque vero perinde erit, ſi in vicem alternationis hujus aquam vino miſtam præbeas. Iſta enim amborum per tota craſſis efficit, ut quæ prius ſimplices eſſent a vino meraco noxæ, per lymphati uſum protinus geminentur. Hoc enim non ſolum crudos humores ſecum ad extima vehit, verum etiam materias organis impactas motivis validiore frigore, quam aqua pura adſtringit. Nam hæc etſi plus vino diluto refrigerat, lente tamen fertur in corpus, totaque prius devicta noſtro calori eſt, quam eo pertingat: at contra vini ſubſtantiæ toti immiſta tanquam acceptis ab hoc alis frigida crudaque ocyſſime ad extrema penetrat. Atque hinc vel ipſius vulgi experimento deprehenſum eſt, ſitim quæ corporis totius ariditatem ſequitur, citius vino lymphato, quam ſyncero fonte levari. Et multis vehementi ardore afflictis hydropiſis initium attulit aqua vino miſta, quos ea alias ſola non læſit. Sed miſſis his, ad ſequentia fatigationis auxilia veniamus. Hanc itaque CELSUS levari mutatione laboris ſcribit, id quod minime obſcurum eſt, functiones intuenti muſculorum, qui cuique motus differentiæ privatim inſerviunt. Siquidem alii membrum extendunt, alii reflectunt, alii oblique intorquent, alii aliis motionibus cient. Itaque plane fit, ut qui diu fuere exerciti, tum optime ferientur, cum contrarii laborant. Proin laſſitudinis haud ſola perpetuo quies, ſed & nova interdum laſſitudo medela eſt.

Gal. 4. ſanit. Concoctio laſſitudinis aſſiduæ remedium. Vinum laſſatis aliquot hominibus utile, aliquot inutile.

Aquæ incommodat.

Sitis citius vino diluto quam pura aqua ſedatur. Fatigatio ſuo novi laboris levatur.

Fatigatio una alteri medela eſt.

est. Quemadmodum qui ab extentis diu brachiis dolent, ab iisdem contractis protinus solamen remediumque mali sentiunt. Æque profecto, ut POLYBUS eos quoque jussit, qui ex cursu laborant, luctari, & vicissim currere, quos lucta fatigavit. Id autem lassationis lenimen efficacius erit, si prior labor insolens, secundus in consuetudine fuit. Consueta enim sicuti naturæ sunt magis affinia, ita melius citiusque nos reficiunt. Ac proin fatigato ne molle quidem cubile idoneum est, si duro insuevit.

Polyb. De victu Idiotarum.

PRopria quædam ad eum pertinent, qui ambulando fatigatur. Hunc reficit in ipso quoque itinere frequens frictio, post iter primum sedile, deinde unctio, tum calida aqua in balneo magis superiores partes, quam inferiores foveat. Si quis vero exustus in sole est, huic in balneum protinus eundum est, perfundendumque oleo corpus & caput: deinde in solium bene calidum descendendum est, tum multa aqua per caput infundenda, prius calida, deinde frigida. At ei qui perfrixit, opus est balneo primum involuto sedere donec insudet, tum ungi, deinde lavari: Cibum modicum, deinde potiones meracas assumere.

Fatigatis itinere quæ conveniant.

¶ Qui iter facit, huic inferiora corporis magis laborant, ut quæ onus totius corporeæ molis sustentant, ac porro transferunt. Itaque si hic lassitudo incidit, curandum est, ut quæ partes nimia itatione inaruerunt, emolescant: Itemque resolvatur, si quid acrioris excrementi iis inhæresit. Utrumque hoc crebra frictione confiet, in ipso etiam, si opus est, itinere administrata. Tametsi hoc auxilio efficaciora sint unctio atque balneum, quæ non nisi post absolutum iter commode tentantur. Ante tamen arrepto sedili conquiescendum est, ut defessa membra utcunque hac feriatione recreentur, utque contractus in his per itinera ardor placetur sopiaturque ante calentis tum balnei, tum unctionis usum. Ceterum hæc ista lavatio quantum siccatis articulis humectatione confert, tantum rursum laxatione incommodat, quæ laxatio ipsorum firmitudini contraria est. Ergo (ut CELSUS monet) satius erit superiora corporis magis quam inferiora calidis undis fovere. Facientibus iter, ut non pauca alias observanda, ita duo hæc imprimis vitanda sunt, ardor solis, & immodicum frigus. Sol namque si justo vehementius æstuat, sudore corpus exhaurit, crescenteque ejus virtute, tandem etiam densat, & instar corii squalens aridumque reddit. Simul vero & acrium pariter excrementorum transpiratus impeditur, ex quo febris aut diariæ aut putridæ metus est. His abolendis incommodis nihil æque conducibile, ut temperatum balneum est: Humectat enim arescentes particulas, & adstrictas relaxat. Quo vero idem balneum humectando diutius sufficiat, perfusio quoque olei per totum corpus adhibetur, quæ supra propriæ humectationis beneficium, id insuper commodi adfert, quod obstructis pinguetudine cutis spiraculis carnes fidelius retineant quicquid a balneo benigni madoris acceperunt. Omnis per itinera sole exustorum noxa periculumqne in immodica corporis siccitate vertitur, cujus profligatio tanti habetur, ut non dubitarit CELSUS prioris balnei, atque unctionis madorem vel calentissimis balneis intra habitum includere, longe satius esse ratus, qualemcunque ardorem fatigato corpori conscisere, quam remedia parum efficacibus fructum humectationis sinere perire. Etenim propositi corporis refectio in appositione ejus

Facientibus iter, ardor solis & frigus nocent.

con-

conſiſtit, quod defluxit, quæ profecto evenire nequit cute nimiopere laxa. Adſtringi igitur denuo hæc poſt temperati balnei atque olei uſum, ſerventiore ſolio debebit, cum præſentiſſimo tum unico ad hanc rem præſidio. Nam ipſa re patet adſtrictionem omnem longo itinere debilitatis periculoſam eſſe quæ frigidis materiis quæſita eſt, multoque maxime frigida aqua, quæ vehementia ſuæ qualitatis externa internaque corporis omnia facile violat, multo nimirum ſqualore ac vacuitate imbecilla. His itaque proviſis, capitis quoque habenda ratio eſt, ut cui radii ſolares præ ceteris partibus negotium faceſſunt. Id enim quia carne utcumque nudatum eſt, & in alto corpore poſitum, facile ſuccorum halitus jam Sole inflammatum tum admittit tum attrahit. Ergo ſtudioſe lavare id poſt ſolium expedit, primum quidem calida, dein frigida aqua. Illa quidem tum ad humectandum, quod in ipſo nimis exaruit: Tum ad diſſipandum, quod ab imis præcordiis eo ſublatum acris vaporis eſt: Ac tertio, ut cerebrum calore quopiam præmuniatur adverſus illapſuræ mox frigidæ impetum: Hæc autem frigida infunditur partim ad comparandum cerebro robur, compulſo ſcilicet intro calore ejus nativo, partim abolendi ardoris gratia: qui ardor a Sole, a lavacro, calidæquæ aquæ perfuſione erat aſcitus. Quo etiam inſtituto ÆGINETA ad hunc modum fatigatis inter cetera ſuaſit, *ut vultum, manus, & crura gelidis undis irrigarent*. Porro vehemens in itinere frigus corpus longa motionis perſeverantia & laxum & invalidum ut facile ita & periculoſe penetrat. Ideoque hunc protinus qui ſic refrixit, moderate calfacere donec inſudet, properandum eſt, præterea ungere, cutis meatus frigore adſtrictos calentibus undis patefacere, ac ſic tandem modico quidem cibo, at ſæpius oblato, meraciſque potionibus nativum calorem ambientis qualitate afflictum refocillare.

Capiti Sole exuſto quomodo proſpiciendum.

Ægin. lib. 1.

Curatio ejus qui perfrixit in itinere.

IS vero qui navigavit, & nauſea preſſus eſt, ſi multam bilem evomuit, vel abſtinere cibo debet, vel paulum aliquid aſsumere. Si pituitam acidam effudit, utique ſumere cibum, ſed aſsueto leviorem: ſi ſine vomitu nauſea fuit, vel abſtinere, vel poſt cibum vomere.

¶ Quod navigantibus turbetur corpus HIPPOCRATES in Aphoriſmis Author eſt. At quod hujus turbationis occaſione vomitus fiat, ipſa re patet. Neque enim his tranquillo, ſed turbulento duntaxat mari cietur, quum crebris fluctuum ictibus navis ſuccuſſatur. Magno autem valetudinis commodo hic vomitus ſi moderatus eſt, erumpit: Nam ventriculum & poſt hunc veluti conſecutione quadam reliquum corpus ſuperfluorum onere levat. A vomitu parum alimenti guſtandum eſt, quo facilius id ab labefacto inter vomendum ventriculo ſuperetur, quoque minor ſit ad vomitus iterationem proclivitas. Quippe notum eſt, ſaturo ſemper ventre promptius quam famelico vomi. Itaque ſi quis hic multam bilem extudit, cibo abſtinendus eſt, aut certe minimum quid ejus aſſumet. Nam ut iſte humor ſtomachum magis quam acida pituita laxat, ſic vomitioni opportuniorem facit: Unde fit, quod effuſo hoc frigido excremento, etſi ſolito levius, omnino tamen edendum quid eſſe CELSUS præcipiat, contraque fit poſt ejectam bilem, ubi cibus etſi minus quam illic requiritur, negligitur, quia majore periculo præbetur. Quippe ſtudioſe cavendum eſt, ne per longam vomitionis perſeveran-

Hipp. lib. IV. Aph. 14.

Vomitus navigantibus perutilis.

Vomitus pleno quam vacuo promptior.

tiam ſtomachi vis collabaſcat, ac benigni quoque ſucci non tantum excrementa vacuentur. Jam ſi irritus navigantibus ad vomendum ſit conatus, quod pathema nauſeam inanem dicimus, non perperam cibo caretur, idque ne ventriculus excrementis imbutus, probæ nutritionis commoda corruptis epulis fruſtretur. Quanquam non penitus alienum ſit, plenius quid eſſe, ac mox deinceps evomere, ut qui ventriculo putris inſedit humor, una cum cibo extundatur.

QUi vero toto die vel in vehiculo vel in ſpectaculis ſedit, huic nihil currendum, ſed lente ambulandum eſt. Lenta quoque in balneo mora, dein cœna exigua prodeſſe conſueverunt.

Seſſione fatigatisquomodo ſubveniendum.

¶ Qui diutina ſeſſione laſſantur, iis muſculi qui crus movent, otio obrigeſcunt, quare paulatim inflecti calfierique lenta ambulatione debent, ut ad priſtinum habitum redeant: Nam hos ſi violento motu cieas, periculum eſt ſolidarum partium quampiam ruptum aut convulſum iri. Ergo pluſcula in balneo trahenda mora eſt, ut eo magis quæ obtorpeſcunt, emolliantur. Opus vero tenui cœna eſt, tum quia corpus ſedentibus minus diſſipatum eſt, tum quia naturæ calor longiore otio utcunque elanguit.

SI quis in balneo æſtuat, reficit hunc ore exceptum, & in eo retentum acetum. Si id non eſt, eodem modo frigida aqua aſsumpta.

Acetivis.

¶ Acetum quoniam facultate frigidum eſt, ardoris a lavacro contracti moleſtiam ſolatur ore diutius contentum. Nam etſi multas partes acres calidaſque obtinet, frigidæ tamen in eo excellunt: Unde præſentius id remedium calidis affectibus quam frigidis eſt. Ac notatu dignum eſt, quod ore id oporteat contineri. Quippe hæc pars præcipuis viſceribus conſentit, cerebro quidem per foramen colatorium, ac latentes ſubſtantiæ corporis meatus; ventriculo autem communis tunicæ merito quæ ſimul huic interiorem ſubſtantiam condit, ſimul omne intus os veſtit. Jam vero ſic refrigerato ventriculo proclive eſt, ea quoque quæ juxta ſunt viſcera in ſuæ conſenſum affectionis pertrahere. At pulmonibus, cordi, ſeptoque transverſo os conſentit, ducti intro ſpiritus occaſione, ipſoque in itinere aceti facultate obiter refrigerati. Neque iſti liquori par eſſe virtute frigida cenſenda eſt: Nam hujus qualitas craſſiore ſubjecto, illius contra longe tenuiſſimo includitur, quo fit, ut quam ocyſſime ſupra infraque ad commemoratas particulas adſpiret. Equidem recte a GALENO ſcriptum arbitror, omnium quæ novimus poteſtate refrigerantium acetum longe eſſe tenuiſſimum. Atque ad hunc uſque locum CELSUS res novas, aerem, exercitia, cibos, & quæ his paria ſunt, latiore ſermone tractavit: Poſthac autem eorum omnium obſervationem ac varium uſum, pro differentia naturarum ſeu corporum ætatis, temporum anni, affectarumque ſeorſim particularum ad calcem uſque libri proſecuturus.

Os omnibus pene viſceribus conſentit.

Gal. 10. Meth. Acetum omnium refrigerantium tenuiſſimum eſt.

ANte omnia autem norit quiſque naturam ſui corporis. Quoniam alii graciles, alii obeſi ſunt: alii calidi, alii frigidiores: alii humidi, alii ſicci: alios abſtricta, alios reſoluta alvus exercet. Raro quiſquam non aliquam partem corporis imbecillam habet.

¶ Sa-

¶ Sapienter a SOCRATE præceptum eſt γνῶθι σεαυτόν quæ ſententia corporis quoque naturæ accommodari non tantum animo poteſt. Nam quid illiberalius, quam quid hæc cujuſmodique ſit corporeæ molis fabrica quam circumferimus, neſcire. Cumque nonnulli propenſiſſimis animis in res incumbant quam plurimas atque maximas cognoſcendas, eoque ſtudio omnem ætatis partem conſumant, qui quæſo hos non pudeat, omnia ſcire cum velint, ſui ipſorum oblitos eſſe, propriæque naturæ cognitionem ignorare eam ſine qua valetudo neque proſpera tueri, neque profligari adverſa commode poteſt. Equidem hanc Medicinæ partem quæ de humani corporis natura tractat, omnibus litterarum cupidis atque ingenio non malo natis ſcitu neceſſariam arbitror, utpote cujus contemplatio & multæ utilitatis & inexhauſtæ cujuſdam dulcedinis eſt. Qua re impulſi vetuſtiſſimi quique Philoſophi paucis ante HIPPOCRATEM ſeculis hanc quoque ſcientiam agitarunt, ex quibus clariſſimos, PYTHAGORAM, & EMPEDOCLEM, & DEMOCRITUM fuiſſe accepimus, ſic ut & ſapientiæ ſtudium, & rerum naturæ contemplatio ſub iiſdem authoribus nata ſint. Ergo quoniam de corporis natura dicere propoſitum eſt; ſcire licet ſub ejus appellatione multa vulgo ſignificari, quorum pleraque hoc loco veluti πάρεργα ſciens prætereo, ac Grammaticæ Profeſſoribus diſputanda relinquo, ea tantum daturus ſignificata, quæ ſunt ex noſtræ artis uſu. Primum itaque omnis memoriæ clariſſimi Medici eorumque facile Princeps HIPPOCRATES, naturam vocarunt univerſam illam ſubſtantiam atque craſim calidi, frigidi, humidi, ſicci, quæ ex omnibus mundi elementis juſta inter ſe lege coeuntibus conſurgit, eſtque hæc corpori humano cum ceteris animantibus ac plantis communis. Quippe ſua cuique rei genitæ natura eſt, ideoque a Græcis φύσις eſt appellata ἀπὸ τῦ φύειν, quod eſt naſci. Conſit autem ex dicta elementorum craſi communis illa hominum natura inter certos fines ſeu gradus primarum qualitatum humanæ ſpeciei proprios incluſa, quæ nunquam non eſt calida & humida. Talia nempe omnia eſſe animantia GALENUS dixit, quæ pluſculo ſanguine affluunt. Jam quoque in ipſa hominum ſpecie propoſitæ craſeos non idem perpetuo eſt modus: Nam in miſtione modo hoc, modo aliud elementum alia ſuperat, aut ab iiſdem ſuperatur, ſic ut pro qualitatum primarum temperatura alii calidi, alii frigidiores, alii humidi, alii ſicci, aliique εὔκρατοι, id eſt, probe attemperati ſint. Porro ex legitima hac elementorum miſcella, quidam veluti genius conſurgit ſingulorum temperiem atque indolem nactus, ſuffultuſque naturali ſolidarum partium humido tanquam vinculo ac baſi totius corporeæ compagis, quæ & ipſa quoque ex elementis conflata eſt. Eſt autem hic genius author omnis naturalis functionis, quatenus principiorum naturæ vires habet. Vocaturque cum a ſapientiæ Profeſſoribus, tum a Medicis alias calor naturalis, alias ipſa quoque natura. Quemadmodum GALENUS memoriæ prodidit naturam animantium nihil aliud eſſe quam calidum innatum, quod ſemini inexiſtens corpus ab initio efformavit, auxit, & ad finem uſque vitæ enutrivit. Hoc integro calido, ſanitas, afflicto morbus dominantur, ejuſque rei cauſa pro ipſa ſæpe facultate id quoque uſurpatur. Sicuti vero duplex habetur caloris naturalis acceptio (alter enim inſitus eſt, quem jam nunc propoſuimus, alter influens in corde genitus atque hinc in omne corpus ſparſus) ita & uterque pariter naturæ nomen proloquentium uſu accepit. Siquidem ad corporis loca aliquo doloris morſu percita naturam accelerare dictitamus, calorem intelligentes vitalem copioſo ſanguine ſtipatum, ut id quod nocet, depeliat. Eſt enim nihil aliud hæc natura quam vita-

Jucunda naturæ.

Natura quid.

Communis hominum natura.

Calor naturalis natura appellatur.

Calor naturalis duplex.

Calor vitalis quid.

vitalis ille calor continenter a corde ſeu perenni fonte ſcaturiens, ac puriſſimo vectus ſpiritu in totum corpus quoquoverſus dimanans cæleſtique inſtructus facultate vigorem incolumitatemque omnium operationum conſervans. Itaque hujus quoque caloris opus eſſe perhibemus quod corpus in aere quantumvis temperato actu calens ſentientibus occurrat, quodque epulis intro in corpus receptis, tum ſomno oppreſſis, metu perculſis, febriculæ acceſſione rigentibus, frigidaque aſperſis interna magis caleant, externa minus. Et contra lætitia exultantibus, ira accenſis, pudore ſuffuſis, ſolio egreſſis, tota cutis vivido calore efflorescat. Ac tot quidem ſunt apud Medicos vocis naturæ acceptiones, quibus ea quoque non perperam jungetur ſub cujus nomenclatura paſſim occulta ſeu arcana proprietas ſignificatur, quæque extra omnem mentis humanæ captum poſita, ſola noſci experientia poteſt. Cuilibet (inquit GALENUS) corpori proprietas quædam temperamenti ineſt, quæ huic quidem naturæ ſit conſentiens, ab alia autem diſſentiens, unde fieri arbitror, quod ut vulgo dicitur, tot fere ſint palata, quot homines. Alii namque caſeum, alii butyrum, plerique bubulam, plures ſuillam, alii aliud cibi genus aut appetunt magis aut faſtidiunt, ac (quod magis mireris) nonnulli etiam deleteriis innoxie veſcuntur, ut anus illa quam GALENUS refert Athenienſis, cui ſoli quæ omnibus exitio cicuta eſt, ne per aliquot quidem annos eſitata nocuit. Hanc reconditæ naturæ in victu proprietatem GALENUS *ſexto ſanit. tuend.* luculenter expreſſit. Duplex eſt, inquit, victus genus, unum quod ſecundum ſimplices qualitates, aliud quod ſecundum totam ſubſtantiam conveniens eſt. Illo utimur quando intemperiem mutare conſilium eſt, hoc ſola experientia diſcernitur. Hæc ille. Sane tanta vis latentis hujus naturæ eſt, ut etiam rationis expertes animantes, ad ea quærenda pabula incitet, quæ ſibi ſunt magis idonea, jumenta nimirum ad herbas, leones lupoſque ad carnem, & id genus pecudum unumquodque ad familiares ſibi eſcas. Atque hinc tanta ſubinde exoritur naturarum contrarietas, ut quod uni animanti erat non ingratum, id ipſum alteri non bruto ſolum, ſed etiam homini interdum lethale ſit. Cicuta namque homini venenum, ſturno nutrimentum eſt: ferrum ſtruthiocamelum reficit, ceteris animantibus inutile eſt: elleborus homini pharmacum, coturnici conveniens eſca eſt. Atque abdita hæc incomprehenſibiliſque naturæ vis in uſu aliarum pene rerum omnium non tantum in victus differentia ſpectatur. Pertinetque ad medicum omnium hominum proprietates noſſe, aut certe ſi id perdifficile eſt, ut quam plurimorum norit. Sunt enim qui omnem medicinam horrent, nonnullis contra gravis ejus nidor etiam voluptati eſt. Sunt quibus per inciſam venam vel primus quiſque exiliens cruor leipothymiam adſert, ſunt quos ne vicenæ quidem ejus effuſæ unciæ exaniment. Hanc certe naturæ appellationem GALENUS I. ad Glauc. uſurpavit, docens non ſolum communem omnium hominum naturam, ſed & cujuſque propriam noſſe medicum oportere. Habes jam omnia rerum genera, quæ naturæ vocabulo continentur. Itaque his cognitis, promptius poſthac erit conſtituere, quid cuique homini adhiberi, quid detrahi, quid immutari aut conſervari expediat.

Proprietas arcana, etiam natura dicta.

Gal. 3. Temp.

Palatorum diverſitas.

Duplex victus genus, unum ſecundum ſimplices qualitates, alterum ſecundum occultam proprietatem conveniens.

Naturarum in veſcendo diverſitas.

Medico noſcendæ ſunt hominum proprietates.

TEnuis vero homo implere ſe debet, plenus extenuare, calidus refrigerare, frigidus caleſacere, madens ſiccare, ſiccus madefacere. Itemque alvum firmare is, cui fuſa, ſolvere is cui adſtricta eſt, ſuccurrendumque ſemper parti maxime laboranti.

¶ In-

¶ Irrefragabile tritumque Medicorum axioma eſt, *Omnia ſimilibus conſervari, contrariis aboleri*. Ex quo colligere eſt, hæc corporibus vitioſis, illa valentibus admovenda eſſe. Quæ tamen lex ut in morbis perpetua, ita per ſanitatem egens limitationis eſt. Multos enim in ſanorum numero reperias, quibus ſimilium uſus morboſam intemperiem conſciſcit, tantum abeſt, ut priſtinum naturæ ſtatum conſervet. Sed ut iſtarum rerum diſcrimina omnibus nota ſint, ſciendum eſt, primam propoſiti axiomatis particulam in iis tantum obſervari oportere, qui aut abſolute temperati, aut ſaltem non admodum calido humidove intemperati ſunt. Nuſquam enim recte frigiditas (ut proxime docebitur) aut ſiccitas ſervantur, quod hæ qualitates noſtris principiis ex toto repugnent, interituſque mortalium cauſæ ſint. At calidis humidiſve hominibus, ſi ſua cuique intemperies ſecundum naturam eſt, cur talis non merito conſervetur? Cur vero nutritio (quæ aſſimilatio quædam eſt nutrientis, in id quod nutritur) non fiat ab iis, quæ & qualitate & tota ſubſtantia ſimilia ſunt, quum talis ſemper materia corpori debeat apponi qualis defluxit? Quippe hac nos impulſi ratione pueris lac, vinum dilutum, calidaſque lotiones: adultis vero panem atque carnem, at ſenibus meracum præbemus. Ac fere hiſce omnibus uſuvenit, ut appetitus non impar ſit cibi potioniſque qualitati. Semel diximus de iis non hactenus agere, quibus naturalis intemperies non eſt admodum inſignis. Nam contra ſi qualitatum luxus adeo crevit, ut ſanitati vehementer incommodet, tum utique contrariis (abſente quantumvis morbo) intrepide pugnandum eſt, idque ne ſimilium uſu exceſſus temperamenti exeat in immenſum, ac morbo corpus exerceat. Caſdit autem idem hic exceſſus potiſſimum in eas primi ordinis qualitates, quæ ceteris efficacius agunt, ſuntque hæ (teſte ARISTOTELE) caliditas & frigiditas. Earum ergo alterutra ut primum ſine modo invaluit, neceſſaria protinus contrariorum erit uſurpatio. Facilis enim hic eſt ad morboſam intemperantiam lapſus. Atque hæc iſta HIPPOCRATE atque GALENO authoribus loquor, quorum hic *6. Sanit. Tuendæ* eadem hæc ſub iiſdem pene verbis ſcripſit, ille *libro de victu Idiotarum* luculenta oratione docuit ſic eſſe inſtituendam diætam, ut calori ac frigori contraria ſit ratione habitus, ætatis, & temporum anni. Nec unquam defuit qui huic animadverſioni reſpondeat, ſucceſſus. Nam hyeme calidum, æſtate frigidum victum majore valetudinis commodo amplectimur, tum ſenibus meraca potio, juvenibus diluta accommodatior eſt, corpora bilioſa frigidis, pituitoſa calidis felicius nutriuntur. Senes æſtate, juvenes hyeme tutiores ſunt. Et inimicior adoleſcentibus æſtas, hyems longævis eſt. Vix dignum admonitione putamus, quod hoc loco cum calidos contrario victu alimus, non id nos calidum notare quod ſecundum naturam eſt, ſed quod aſcititium naturæque repugnans eſt, hoc namque (quod aboleri debet) juvenes magis pollent, illo (quod ſervandum eſt) pueri, ac proin his moderate calida, illis frigida convenientiora ſunt. Duplex hoc calidum HIPPOCRATES quoque ſcriptum nobis reliquit. Nam cum *Aphoriſmorum volumine* ſic ait, *Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati*, id calidum expreſſit, quod a ſemine ortum prorſus benignum naturale, omniumque operationum efficiens cauſa eſt. At in EPIDEMIIS aliud calidum notavit, ita loquens, Θερμοκοίλιοι, id eſt, *ventre calidi, frigidæ carnis & graciles, hi conſpicuis venis & iracundiores ſunt*. Et idem eodem libro: *In calida natura, refrigeratio, potus aquæ, quies*. Hoc ſane calidum igneum prorſus eſt ſqualidum, febrile, ac naturæ ex toto contrarium, maximeque in nobis viget, ubi æſtas, ubi temperatura bilioſa

Conſervatio ſimilibus, cui ratio contrariis perficitur.

Frigiditas, ſiccitaſve temperamenti nuſquam recte ſervantur.

Nutritio quid.

Vehemens qualitatum exceſſus contrarium victum exigit.

Victus contrarius fit calori & frigori, idque ratione corporis, ætatis, temporis anni.

Calidum duplex.

Hipp. lib. 1. Aph. 14.

Hipp. VI. Epid.

atque

atque ætas virilis eſt. Atque hic (ut proxime dixi) contraria victus ratione pugnandum eſt, ne ſimilium alimentorum uſus temperamenti vitium in immenſum efferat. Quæ res (ut modo retuli) non minore cura in frigidis quoque obſervanda eſt. Nam hæc nobis cœleſti illo calore afflatis ex toto contraria ſunt, ejuſque rei cauſa nulli functioni (ut GALENUS ait) prodeſſe, nulliſque rebus genitis (ut ARISTOTELES) unquam miſceri niſi ex accidente conſuerunt. Porro in intemperantiam labi humiditati non adeo proclive eſt, ut quæ qualitas ſuperioribus ignavior eſt atque ad patiendum magis quam agendum comparata, indeque protinus ſit, quod pueris humida conveniant, ſeu nullum intemperiei diſcrimen minantia, quatenus humiditas ipſis omnis ſecundum naturam eſt: adde quod optime quoque talia inſerviunt, tum corporis humecti nutritioni, tum incremento. Quam rem ſagax natura perſentiens lac matris in uſum humentis alimenti ipſis præparavit. Hæc ipſa nimirum humiditas genituræ atque ſanguini primis noſtræ vitæ initiis maxime affinis familiariſque eſt, tantoque impenſius ejus fruitione pueri juvantur, quanto generationis ſuæ primordiis ſunt propiores. Porro etſi conſtat præhumidos natura homines magis eſſe longævos; ac ſanitate, ubi ætate jam proceſſerunt, inconcuſſa plus ceteris frui: uſus tamen venire interdum poteſt, ut hiſce quoque humoris nimietas utcunque extenuari poſtulet, utique ſi corpus fluxionum, putredinis ac redundantiæ vitiis facit oportunum. Tum enim non veritus GALENUS eſt, uſu pluſculæ exercitationis, frequentis ante cibum balnei, medicaminum purgantium, diureticorum atque errhinorum temperamenti luxuriem reprimere. Idipſum & in quibuſdam fieri mulieribus plus juſto pituitioſis oportet, ut quibus humida intemperies facile in morbum excreſcit: unde fieri arbitror, quod POLYBUS victum his omnibus ac potiſſimum cum utero gerunt, ſimpliciter ſiccum inſtituerit, utique ſi non ultima ſunt imprægnationis tempora, cum in una muliere duo grandia ſimul corpora continentur. Itaque conceptionis initio tenuans ſiccanſque victus ratio ſatis commoda eſt, eo quod tum corpus excrementis non uno nomine gravetur, quando & menſes præter ſolitum deficiunt, & pauculum nutrimenti in novelli fœtus alimoniam inſumitur. Jam vero quod ad temperamenti ſiccitatem attinet, vix ſcio an uſquam ea debeat ſervari. Eſt enim per ſe naturæ prorſus adverſa, primaque ſecum mortalitatis noſtræ ſeminaria trahit, ac proin quæ occupat corpora in præcocem ſenectam præcipitat. Quo magis GALENUM miror, cum is *ſexto volumine ſanitatis tuendæ* qualitates proponeret, quæ victum ſemper contrarium exigunt, caliditati & frigiditati non protinus adnexuiſſe & ſiccitatem, quæ nihilo illis eſt innocentior, nec in ullo corpore aut ætate recte ſervatur. Quippe nullo rerum caſu ſicca ſiccis recte foventur, ſive hominis temperamentum ſive ætatem, ſeu anni denique tempora ſpectes. Quis enim unquam per æſtatem juvenis bilioſus, quis ſenex melancholicus per autumnum ſiccis tuto eſt uſus, ſive horum unumquodque per ſe ſubeſt, ſive omnia pariter coeunt, tum ſive ingens intemperantia ſive levior eſt? In calida (inquit idem ille) frigidaque intemperie, contraria ſemper dare expedit. At ſi ſiccius quodvis membrum efficias, nihil manifeſte læſeris. Probat vero hanc rem per modum nutritionis, quam eſſe ſcribit ejus quod nutrit in id quod nutritur aſſimilationem, idque ut perquam recte diſerteque protulit, ſic quod ſicca (ut ipſe colligit) citius ſiccis uniantur quam humida, neque conſentaneum rationi neque fide aut GALENO dignum eſt. Nam cum nihil ante nobis queat aſſimilari, quam per concoctionem aptum nutriendo corpori reddi-

tum,

Frigiditas temperamenti ſemper abolenda.

Gal. 6. Sympt.

Frigiditas ex ſe nobis inutilis.

Humiditas ſimilem fere victum poſcit.

Humidi magis vitales.

Gal. 6. Sanit.

Humiditas quandoque corrigenda.

Gal. 6. ſanit.

Polybus lib. 1. De victu Idiotarum.

Mulieribus gravidis quando humidus victus inutilis.

Siccitas ſemper inutilis

Galeni incuria.

Gal. lib. 6. ſan.

tum ſit, ſequitur, ut quo quæque materia minus facile concoquitur, eo tardius quoque aſſimiletur. Concoquuntur autem longe facilius humida ſiccis, quod his natura ad recipiendam alterationem rebellior, illis promptior ſit. Ideoque ſenes, & hecticos, & longa invaletudine exhauſtos, & aliqua animi ægritudine tabeſcentes, humido alimento cum optime tum celerrime reficimus. Scio equidem talem corpori debere ſubſtantiam apponi, qualis defluxit, ut priſtinus naturæ ſtatus ſervetur. At hic non ſervare habitum, ſed in melius mutare ſtudendum eſt, id quod ſimilium uſu adeo non conſequaris, ut priore etiam ſiccitatis intemperantiam auxeris. Neque his etiam repugnat vulgatum hoc medicorum placitum: Similium uſu ſanitatem omnem conſervari. Id enim ita in temperatis corporibus fieri certum in intemperanter ſiccis aut frigidis, quantumvis leviter ſic affectis non uſquequaque tutum eſt. Nam ut vel maxime detur idipſum licere primo qualitatum ordine intemperatis ſeu qui minus facile in exceſſum intemperantiæ labuntur, non video ſane, qua via quis duo hæc incommoda effugiat. Primo, quoniam corporum & cauſarum ſalubrium par eſſe exceſſus gradus debet, quis ita amuſſim ſingulorum inter ſe modum comparet, quando vis rerum neceſſario corpus alterantium ſæpe temere nobis etiam imprudentibus, etiam invitis exeat in immodicum, cujus rei occaſionem cum in cibo ac potu corrupti ſeculi hujus mores, tum in aere infinita tempeſtatum varietas præbent. Alterum incommodum eſt, quod non vulgares modo, verum etiam ipſos ſæpe rei medicæ artifices ſui fugiat temperamenti modus, ut abſurdum ſit ita anxie ubique ſimilia ſtudere metiri, patente latiſſimo contrariorum campo, quibus non ſubeſt error tam aut facilis aut periculoſus. Quid enim gravioris noxæ ſiccis hominibus paulo quid crebriores attulerint potabilium aquarum balneæ, quid liberaliora vini diluti pocula? Quid effuſior animi lætitia? quum his contra ſalſa lavacra, vinum meracum ac potens, ſolicitudines etſi leviter incidant, tædii tamen periculique pleniſſima ſint? Adeo apparet parum roboris in iis intemperantiæ ſervandæ præceptis ineſſe, quæ GALENUS partim *ſexto ſanit. tuendæ*, partim *tertio Technæ* proponit, eaque magis otioſa diſputatione agitari, quam conſiſtere uſu poſſe. Ergo ſicci rectius ſemper humidis inſiſtent, quorum uſu caveatur, ne quod indies in corpore indefinenterque ſicceſcit, minus propere ſiccetur. Eſtque hoc præceptum ubique perpetuum, ſeu vehemens corpora ſiccitas, ſeu levis occupet. Quid enim: Si humiditatem (quæ quidem naturalis ſit) ſemper tueri ceu pretioſiſſimum naturæ theſaurum jubemur, quo tandem rerum ſtatu oppoſitam ipſi ſiccitatem non corrigere fas erit. Neque hercle video quidnam hic GALENO noſtro prætexam, quoniam is *libro de ſanitate tuenda* varius eſſe ipſeque a ſe diſſidere videtur tot modis ſiccitatem corporis infectans, eamque eſſe referens, cujus culpa omne genitum corpus mortale ſit. Jam ipſos quoque natura ſiccos peſſime ſemper excipi ſolere eodem volumine propoſuit, ſcilicet quod temporis ſpatio ſeneſcentibus accidit, id his ſtatim ab initio contingere. Sed miſſa in præſens hæc forte aliis temporibus reſervabimus. Siccitatem longe reddit formidabiliorem juncta frigiditas. Amborum enim coitus rectiſſima ad præcox ſenium via eſt. Proin quum hæ qualitates junctis viribus corpus oppugnant, tum profecto ſi unquam alias, contrariis confidenter inſiſtendum eſt. Infelicem hanc copulam luculenter in ſenibus videre eſt, quos idcirco calidis humidiſque indefinenter fovemus. Etſi enim iis per ſanguinis vaſa multum indies fluctuat aquoſi excrementi, adeo ut hoc per urinas, per nares, oculos ac palatum effuſo corpus in ſpeciem humectum ſit, ſolidæ tamen partes grandi ſiccitatis vitio

Senes calidis & humidis reficiendi.

tio jactantur. Superflua igitur hæc (ut GALENUS docet) educere oportet, solidas autem ipsas calefacere atque humectare, id quod recte quis vino præstiterit, & meraco simul & diuretico. Sane excrementis modo narratis intentum fuisse POLYBUM credibile est, cum victum senibus institueret sicciorem, quod ejus scriptum fide careret, nisi ejus respectu rei quam diximus legatur. Quamquam enim senes ob immodicam vim pituitæ ea sæpius cogantur assumere quæ siccent & incidant, revertendum tamen his Authore GALENO sine mora ad humectantem victum est. Atque his ita definitis, remanet illa quam initio posuimus incolumis stata, nec ullis disputantium machinis violanda regula : Sanorum probam temperaturam similibus servari, intemperiem vero calidam aut humidam, quæ non valde efficax sit, & his quoque iisdem quæ vehemens, eaque omnis contrariis extenuari semper oportere. Dico, quid cuique factu sit opus, non ignarus tamen idipsum haud perpetuo propter externa impedimenta fieri posse. Siquidem ita GALENUS sentit, ut omnis sanorum intemperies aut per otium auferatur, aut servetur propter negotia. Proin qui sic occupationibus distringuuntur, ut in mutando temperamento singula suo peragere tempore nequeant, iis pristina retinenda intemperies est, atque omni ejus demutatione supersedendum. Ergo plenus, si a negotiis vacat, sese extenuabit, tenuis implebit, calidus refrigerabit, frigidus calefaciet, madens siccabit, siccus madefaciet. Porro non sine causa CELSUS maxime laboranti seu imbecillæ sollicitus est, utpote quæ ceteris citius ac pejus semper afficitur, idque tam ab internis quam externis ærumnis. Facile enim recipit quicquid natura superflui humoris seu inutile sibi onus in eam excusserit. Quinetiam GALENUS Author est sæpe absque omni succorum noxa solam partis imbecillitatem gravis inflammationum causam extitisse. Atque hactenus CELSUS in genere docuit, id esse immutandum quod naturæ modum excedit. Posthæc vero exponet, quibus præsidiis unumquodque eorum corrigere genus oporteat.

Gal. 5. de san. Quale vinum senibus utile. *Polybus de vict. Idiot.*

Gal. 5. de san. Generalis totius victus regula.

Gal. 5. sanit.

Temperamentum per occupationes non mutandum.

Particulę imbecillæ maxime prospiciendum.

De causis quæ implent corpus.

IMplet autem corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio, & si post prandium est, balneum, contracta alvus, modicum frigus hyeme, somnus & plenus & non nimis longus, molle cubile, animi securitas, assumpta per cibos & potiones maxime dulcia & pinguia, cibus & frequentior & quantus pleniſſimus potest concoqui.

Gracilitas quid & unde contrahatur.

¶ Gracilitas (quæ deficiens quædam nutritio est) contrahitur alias ab intemperie sicca, cui modo calor, modo frigiditas sociatur, alias ab imbecillitate facultatis tum distributivæ, tum nutricis. Proin iis illa remediis probe curabitur, quæ & humectant & alimenti in corpus distractionem (ἀνάδοσιν Græci dicunt) vimque partium nutricem juvant. Ad quorum omnium facultatem apprime confert modica corporis exercitatio, ut quæ sanguinem ex penitissimis visceribus in extimas venas ac summam corporis molem quoquoversus effert sine valida ejus dissipatione, unde efficitur ut habitus facilius capax ex oblato cibo novæ materiæ sit. Id siquidem modico labori proprium, immodico negatum est, quoniam hic quantum adjuta anadosi prodest, tantum vicissim nimia nocet dissipatione, quæ gracilibus ex toto contraria est.

Quæ corpus impleant. Exercitatio modica.

Nem-

Nempe his implere habitum, non extenuare propoſitum eſt, idque ſanguinem bonum (ex cujus abundantia omnis conſit corpulentia) in corporis molem trahendo, tum vim firmando nutricem, ſimulque ut quam minimum ejus quod attractum eſt, exhalet proſpiciendo. Quæ omnia ut conſequeretur GALENUS non ſolum modicam exercitationem, ſed & frictiones, perfuſiones, verberationes, picationes, gracilibus particulis adhibebat, felicique eas eventu in ſymmetriam ac naturalem habitum vindicabat. Ad eaſdem res & moderata quies confert, qua durante, ut ſuccorum inſtauratio melior, ita minor quoque corporis diſſlatio eſt. At moderata quies eſto, ne non diſtracto in venas alimento, ejus fruitione corpus frueſtretur. Nam hac ratione multos opinione citius emacruiſſe & experimenta & GALENUS teſtantur. Efficaciſſima gracilibus ex unctione medela eſt. Namque hæc cum molli adhibita frictione multam ſanguinis vim in carnes attrahit, pinguetudineque ſua cutis obſtruit, ſpiramenta iterque claudit, quo id quod eo ſucci pertractum eſt, prompte alioqui diffletur. Ad quam rem picatione quoque non tantum unctione GALENUS utebatur, eoque ſe refert præſidio multos ατροφήντος paucorum ſpatio dierum carnibus impleſſe. Tanto namque picatio ceteris maciei remediis præſtat, quanto fidelius intra habitum id quod affluxit ſanguinis, includit. Sequitur poſthæc balneum a cibo adhibitum, in quo maximum extenuatis repoſitum adjumentum eſt. Primum enim membra quæ ſiccitate rigeſcunt, id emollit, & quæ connivent, recludit: Adhæc calorem toto habitu movet, cujus ope nutrimenti pridem elaborati nec dum tamen in nutritionem interiorum inſumpti, attractio, promptaque aſſimilatio fiunt: Poſtremo omnibus grato perfuſis humore incrementum ſiccitatis tardat. At magna cura opus eſt ne longiore in balneo mora corpus conſumatur. Sed neque hoc ſilentio quoque prætereundum, non eſſe tempeſtivam lavationem, quæ cibum protinus excipit. Nam metus eſt ne hæc iſta nimia maturatio cruditatem obſtructionemque viſceribus ac vaſis conciliet. Permotus eſt hoc incommodo Princeps AVICENNAS, ideoque non ante in balneum deduci macros jubet, quam epulis ad unguem a ventriculo confectis. Sed nec ipſum præteribo GALENUM, qui etſi ad maciei depulſionem tantopere balneas a cibo commendat, periculi tamen nos etiam atque etiam commonefecit, quod exilibus meſenterii ac jecoris vaſis ab obſtructione impendet. Succedit balneo dura alvus, ideo macilentis non leve præſidium, quod ſic totus pene oleti mador in venas abeat, vix tantilla ejus portione cum arida ventris ſaburra ad alvum demiſſa. Medetur inſuper gracilibus modicum hyemis frigus, ut quod diſſipationem corporis cohibet abſque valida ſuccorum ad interna pulſione. Quod quidem beneficium immodico frigori negatum eſt, quoniam gracilibus habitum penitus minuit, conſtrictis intro in corpus ſuccis, ut ne dicam etiam vehementi hujus qualitatis potentia facillime hic interna violari. Sequitur implentium ordine ſomnus, is qui plenus ſit, ac neque nimium longus neque brevis. Pleno namque corpus affatim humectatur, crudis omnibus vi concoctionis in probum ſanguinem converſis. At longo calor inſitus emoritur, cruda accumulantur, impeditaque ſuccorum anadoſi corpus nutritione fruſtratur. Perbrevi concoctio probe fieri cœpta interrumpitur, ſicque humores inſtaurantur ad felicem nutritionem inidonei. Adeo apparet nullum gracilibus conducere ſomnum poſſe, niſi plenum. Porro molle cubile his quoque ſubvenit, emollito ac relaxato inde habitu, ideoque ad multam vim ſanguinis recipiendam adparato. Sicuti contra durum cubile cutem adſtringit, & ſuccos quo minus facile ad carnes ferantur, impedit.

Corpulentia ex multo fit ſanguine. *Gal. 12. Meth.*

Modica quies.

Gal. 6. Epid Commeut.

Unctio.

Picatio *Gal. 5 Sanit.*

Non ſtatim a cibo gracilibus lavandum.

Gal. 14. Meth.

Dura alvus.

Modicum hyemis frigus.

Somnus plenus.

Molle cubile.

dit. Ita enim omnium noſtrum comparatum naturæ eſt, ut ſeſe ad res jucundas ea explicet, quoquoverſus circa ipſas extenſa, rurſuſque refugiat omnia, quæ aliqua contriſtatione moleſta ſunt. Quæ profecto cauſa eſt, quod ex aſperarum rerum contactu corpora denſeſcant: molliantur vero fundanturque ab iis, quarum voluptuoſus gratuſque occurſus eſt. Adnumeratur gracilitatis auxiliis & animi ſecuritas, quatenus in omne corpus naturam longe lateque diducit explicatque. Naturam voco, ſanguinem, calorem, atque ſpiritum, quæ per inamœnas illas ſollicitudines in profundum corporis demerſa ſqualido ibidem calore marceſcunt, totumque ſubinque corpus in ſuæ affectionis conſenſum pertrahunt, ut optime dictum hoc a *Sapiente* ſit: *Animus gaudens ætatem floridam facit*; *Spiritus triſtis exſiccat oſſa*. Sequuntur ordine dulcia & pinguia, quæ quoniam ſubſtantia nobis ſunt perquam ſimilia, ocyſſime pleniſſimeque nutriunt, ac corpus in tumorem attollunt. Quippe omnium eorum quæ nutriunt communis, authore GALENO, dulcedo eſt, ſuntque ob id dulcia naturæ ſemper acceptiſſima, ut contra guſtui inſuavia ac naturæ ingrata, amara, acria, arida atque auſtera. Atque hinc adeo fit, ut dulcia reliquis citius, viſcera obſtruant, & venenis miſta ſumentis exitium accelerent. Siquidem avide hæc a natura propter ſubſtantiæ quandam veluti cognationem expetita, celerrime in venas abripiuntur. Quid, quod humidum id naturale radicitus nobis inhæreſcens, quo ſolidæ partes corporis ſeu baſi ſtabiliuntur, prorſus dulce pingueque apparet, ita profecto ut oleaceæ eorum dejectiones atque urinæ teſtantur, quibus ob hecticas ſeu ardentes febres ſolida liquantur. Ceterum quod cibus & plenus & frequens vehementer nutriat, ex iis eſt, quæ ipſa re patent. Recte tamen CELSUS adjecit, quantus pleniſſimus poteſt concoqui. Nam ſi alioqui copia ſuperat ventriculi vires, jam non implere corpus, ſed ſæpe etiam extenuare aſſolet, dejecta ante concoctionem per alvum eſca, aut ſi hæc forte intus retinetur, generato inde ſanguine ad probam nutricationem inidoneo.

Animi ſecuritas.

Proverb. 17. v. 12. Dulcia & pinguia.

Gal. 4. Sympt.

Dulcia cito obſtruunt.

Cibus plenus & frequens.

De his, quæ extenuant corpus.

EXtenuant corpus aqua calida, ſi quis in eam deſcendit, magiſque ſi ſalſa eſt, in jejunio balneum, inurens ſol, & omnis calor, cura, vigilia, ſomnus, nimium vel brevis vel longus, lectus per æſtatem terra, hyeme durum cubile, curſus, multa ambulatio, omniſque vehemens exercitatio, vomitus, dejectio, acidæ res & auſteræ, & ſemel die aſſumptæ epulæ, & vini non perfrigidi potio jejunio in conſuetudinem adducta.

Aqua calida alias implet corpus, alias extenuat.

¶ Aquæ calidæ contraria inter ſe ſunt officia, & implendi corpus & extenuandi. At non eodem utrumque fit tempore, nec in ſubjecto ſimiliter utrobique affecto. Nam initio corpus implet, pellectis in habitum ſuccis, tum profecto, cum his intima viſcera etiamnum affluunt. At multo poſt eadem lotio corpus quoque extenuat, quatenus plus diſſipat ſuccorum, quam trahit. Neque enim viſcera plus ſanguinis a ſe divelli ſinunt, utpote prioris balnei tractu vacuata, ac proin ipſa quoque ſuccorum egentia ſuam inopiam ſtrenuiſſime tutantur, quo fit, ut cum nihil ex his venit, & lavatione tamen non abſtinetur, habitus certe univerſus

risque etiam celebrium Medicorum frequens, quam sanos pariter atque ægros sæpe cum opus non est purgationibus excarnificant, quique eo pervenerunt stoliditatis, ut non animadvertant quo magis sic perpurgare corpus studeant, eo minus pro sententia rem sibi omnem cedere. Nonnulli, inquit GALENUS, sumpto pharmaco in præsens gaudent si copiosius desederint: Verum quanto magis sunt vacuati, tanto his venter sequentibus diebus magis adstringitur. Nempe id incommodi ut idem author in iis effugeret quibus siccitatis occasione alvus nihil reddit, non validis catharticis, sed solo per inferiora infuso oleo alvum citabat. Eo enim (inquit) siccum excrementum madescit, & transitus efficitur lubricus, & intestinorum tunicæ emolliuntur. Ergo, ut CELSI quoque consilium non tantum GALENI sequamur, contractam alvum recte laxabimus primum cibis ac poculis ad hoc idoneis, his quæ simul & alant & ventrem molliant, cujus generis habentur pinguia jusculà, atque olera, decoctum cicerum rubrorum, jus carnis, præsertim gallinaceæ aut vervecinæ, quæ alias salsa esse alias recens potest, ac modo quidem mellis, modo saccaris particeps. His accedunt, lac cum integrum, tum secreto caseo serosum, perlocatus ptisanæ cremor cum oleo & melle, primum brassicæ decoctum adjecto oleo vel butyro vinumque dulce & crassum, in summa omnia (ut CELSUS alibi docet) *tepida*, *dulcia*, *pinguia*, *elixa*, *jurulenta*, *salsa*, *diluta*. GALENUS præstantissimum ἐκκοπρωτικὸν parabat, ex beta, lente cum sale & garo. Ista vero omnia ut ventrem permoveant, paulo liberalius sumenda sunt, futura alioquin inefficacia, sic ut pleraque ad libram unam, alia ad sesquilibram, multa binis etiam libris sumere oporteat. Quod si per hæc parum perficitur, tum utique (judice CELSO) veniendum ad Aloen est, quæ ut vires supra hepar non exerit, ita inter cetera purgantia sola est innocentissima. Quum enim alia catharctica stomachum semper plus minus labefactent, Aloe adeo id non facit ut hunc etiam (authore GALENO) corroboret. Ejusque rei causa CELSUS alibi præcepit *purgantibus omnibus Aloen perpetuo miscendam esse*. Jam vero si hic nihil quidem ex toto trahere corpore propositum est, at ventrem duntaxat aliqua ex causa tardiusculum provocare, quid optatius quam iis id compleri catharcticis, quorum vis non nisi ventrem attingit, aut si quid porro tendit vasa tantum mesenterio intexta vellicat. Ceterum noviisse hoc loco commodum est, pro vario ventris affectu Aloe utendum esse alias lota, alias illota. Hæc namque purgat magis, sed roborat ventriculum minus, illa contra. Quin etiam majore sæpe cum fructu sumetur medicamen Dialoes, id est, ex aloe compositum, Græci ἱερὸν πικρὰν vocant, cujus author ipse sit GALENUS. Iterum moneo hanc in sanis dejectionem non ita statam esse oportere, quin sæpe ea quoque fiat utilis quæ asperioribus medicamentis tentatur. Nam, ut CELSUS proxime scripsit, & corporum & temporum ratio eam facere necessariam potest. Etenim si cacochymia succos venarum contaminavit, quæ non victu curari, non exercitatione, non balneis, nedum inedia commode potest, quis quæso adeo præfractus, aut denique ita stulte meticulosus, ut id non audeat purgante medicamento tentare, quod aliis fieri posse remediis negatum est? Neque enim vehementi malo succurrere nisi æque vehemens auxilium potest. Quid sanguinisve redundantis luxuriem extenuare incisa vena licebit: ejus vero corruptelam pharmaco corrigere purgante non licebit. Quasi vero HIPPOCRATES, ejusque fidus interpres GALENUS vernalibus horis sanos quoque non modo sanguinis onere incisa vena levare, sed perpurgare etiam dubitarint, quos propter multitudinem fusorum humo-

Gal. 5. sanit. Alvum siccatam quomodo Gal. solverit.

Cels. lib. 2. cap. 3. Aloes eximiæ dotes.

Aloe purgantibus omnibus miscenda.

Aloe lota plus roborat, sed purgat minus, illota contra.

Medicamen Dialoes.

Gal. 6. sanit. Alvi ductio pharmaco petita nonnunquam sanis necessaria.

rum

rum anniverſarii catharri, arthritides, hæmorrhoides, aut id genus ſimiles morbi exercebant. Atque hæc cum ad præſentis loci illuſtrationem, tum ASCLEPIADIS cauſa loquor, cui nihil ad ſanitatem conducere purgationem placuit. Porro quod poſthæc CELSUS de nimia dejectionis iteratione docet, quia ejus ipſe rationem abunde explicat, altius hic repetere non ſatis cauſæ putamus.

De his quæ calefaciunt, & refrigerant corpus.

CAlefacit autem unctio, aqua ſalſa, magiſque ſi calida eſt, omnia & ſalſa, amara, carnoſa, ſi poſt cibum eſt balneum, vinum auſterum. Refrigerat in jejunio & balneum & ſomnus niſi nimis longus eſt, & omnia acida, aqua quam frigidiſſima, oleum ſi aquæ miſceatur.

¶ Proſequitur jam CELSUS quem prius inſtituerat ordinem cum doceret ſuam cuique naturam cognitam eſſe oportere, ut hanc vel calefacere, ſi nimium friget, vel, ſi immodice calet, refrigerare tentaret. Itaque calefacientium tractationem jam nunc aggreſſus, primo loco unctionem ponit, quæ duobus fere nominibus hanc vim adepta eſt, partim quoniam calente cum oleo quadamque corporis pertractione adminiſtratur, partim quia oblita pinguetudine cute, calorem intus includit, quoque minus ſucci exhalet impedit. Succedit aqua ſalſa, quæ communi omnium ſalſorum lege calefacit, id quod & amaris & acribus juxta commune eſt. Sequuntur carnoſa, quæ profecto non aliio nomine calefaciunt, quam quod præ ceteris eduliis potentiſſime nutriant. Quid enim novum habeatur, calorem nobis inſitum acceſſu nutrimenti augeſcere, quum & ignem magis ardere aggeſtis in eum lignis minime miremur. Nempe recens ſuccus ex pleno cibo, eoque temperato vel paulo quid calidiore genitus ſubſtantiam nativi caloris inſtaurat affuſo ſolidis partibus, in quibus ille totus inexiſtit novo ſanguine, ac ſpiritibus ſubinde vitalibus ex ejuſdem ſinceriore particula recuperatis, ut recte creditum veteribus ſit, ſanguinem eſſe naturæ theſaurum. Neque vero hæc ita accipias licet quaſi ex quovis cibo incrementum accedere calori putandum ſit. Nam is contra a ſucco lactucæ, qui tamen nutriens eſt, manifeſte minuitur. Proin alimentum egregie calfecturum ejus generis eſſe debere perhibemus, quod ſuapte natura calidum eſt unaque multum ſanguinem producit, qualis eſt animantium caro copioſo ſanguine præditorum, hæc enim (teſte GALENO) omnia ſunt calida. Ac tanta profecto carnium in calfaciendo corpore vis eſt, ut ipſum quoque animum in evidentiſſimam pertrahat ſympathiam. Si namque (ut GALENUS author eſt) animi mores temperaturam corporis imitantur, quid adeo mirum ſit homines a crebro carnium eſu, ut corpore magis calidos, ſic animo ferociores reddi. Oſtendit hoc Anthropophagorum ac gentium Lybiæ effera ſervities, quorum venter crudis hominum artubus & obſcænis onagrorum leonumque viſceribus ſaginatur. Sane impulſum hac eſſe cauſa PYTHAGORAM exiſtimo, quod tantopere carnes horruerit. Nimirum facile is tanta fretus ſapientia perſpexit, ex hoc genere victus mortalium animos efferari, ac neſcio quid pecuinæ atrocitatis induere. Itaque ut rude vulgus ab pecudum eſu abſterreret, haud inſcite puto, finxit hominum in beſtias metamorphoſim, poſt fata cujuſque fieri, ejuſque rei cauſa in intactas ac veluti ſacras animantium carnes eſſe volens, ſic apud NASONEM excla-

Calefacientia. Unctio.

Aqua ſalſa. Carnoſa.

Calor acceſſu alimenti augetur.

Sanguis naturæ theſaurus.

Quodnam alimentum calorem auget. *Gal. lib. de mutua conſecutione temp. & animi.*

Carnis uſus corpus calidum, animum ferocem efficit. Pythagoras non temere carnes rejecit.

exclamat: *Heu quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi.* Sequitur nunc adhibitum a cibo balneum, quod cur calfaciat diſputatum ſuperius abunde eſt. Succedit vinum auſterum, quod tamen accipiendum non eſt, pro eo quod recentiores eſſe aſtringens, & Græci συπτικὸν dicunt, hoc enim inter cetera vini genera minus calet. Forte rectius hic auſterum intelleXeris id vini, quod potentes habet vires ab HIPPOCRATEque οἰνώδης, id eſt vinoſum, appellatur, & ὀλιγοφόρῳ opponitur, natumque eſt & caput halitibus ferire, & corpus univerſum incendere. Quemadmodum ſane auſteri nomine vulgo id ſignificatur, quod rigidum, immite, atque aſperum eſt. Hujuſmodi vina potiſſimum colore rubra, ſubſtantia craſſiuſcula ſunt, quale e Gaſconum patria ad nos importatur, quod Rhenano albo minus urinam cit, & corpus totum magis inflammat. En calefacientium quidem ratio expoſita eſt. Nunc de his dicam quæ corpus refrigerant. Incipiam a balneo, quod in jejunio ſit adhibitum. Id præterquam quod propter inanitatem venarum nullo nutritionis fructu ſolida afficit, ita ad inſuper ſucci diſſipat quod ſubter cutem carnibus inhæreſcens, nondum his ſat probe coaluerat, ſicque humoribus undique conſumptis æque frigus corpori dominatur, ac ſi quis inciſa vena factus exanguis ſit. Refrigerat præterea jejunos & ſomnus, quatenus alimento probe jampridem confecto atque partibus unito, calor per quietem intus coercitus omniaque ibidem vacua offendens naturalem ſolidorum madorem, non tantum venarum reſiduum ſanguinem atterit conſumitque, ſed & idem hinc ſubinde calor intermoritur privatus ſcilicet idoneo tum fomite, tum ſubjecto. Sanguis enim hunc reficit, ſolida continent. Optarim hic aliquanto fuiſſe oculatiores σχολιογράφους atque excudendorum voluminum caſtigatores, quos mendum orationis propoſitæ ſubterfugit. Scilicet in omnibus quæ videre licuit exemplaribus pro eo quod ſcribi de ſomno oportuit, ſi nimis longus eſt, ſupponitur, converſa in disjunctivam, conditionali. Quis enim neſcit abs quovis immoderato ſomno ſive is famelicum ſive ſaturum tenet, corpus ſemper refrigeſcere. Confirmat eam rem HIPPOCRATES, ſic inquiens: *Gravis vigilia alimenta cruda reddit. At ea quæ in contrarium fit mutatio corpus diſſolvit.* Idemque *Author* ibidem ſic ait: Somni, *jejunium extenuant, humidum quod ineſt vacuantes.* Paria poteſt in jejunio & brevis ſomnus, ſed minus quam longus efficaciter, proin ille a CELSO præteritus, hic evidentioris energiæ cauſa notatus fuit. Ut ne dicam etiam raro jejunis ita vacuum corpus eſſe quin lateat in vaſis neſcio quid nondum percocti humoris, quem perficere brevis ſomnus, ſuper excoquere atque conſumere longus ſolet. Quæ poſthæc jam CELSUS refrigerantia recenſet, pars eorum per ſe clara, pars ſuperioribus in locis enarrata eſt. Unica ſupereſt aqua, quæ ſic, ut CELSUS loquitur, quam frigidiſſima. Hæc talis eſſe reſpective dicitur ad caloris noſtri vires, quas ſi illa robore ſuperat & frigidiſſima eſſe, & corpus refrigerare haud perperam dicetur. De aquæ perfuſione ac piſcina loquor, quæ etſi friget, non ſemper tamen nos totos refrigerat, quin ſæpe etiam ex accidente calefacit, facto caloris propter ejus augmentum ad extrema recurſu, qui fieri recurſus non niſi copioſo calore intus dominante poteſt. Ergo ſenibus, convaleſcentibus, ac longa ægrotatione exhauſtis, idque brumalibus potiſſimum horis, invalidum calorem, occurrens frigida extinguit, tantum abeſt ut intro compreſſum redire iterum in habitum cum auctario faciat. Ideoque in his non catharros ea levare, non tetanos, non podagram poteſt, ſicque hæc ſubinde ut non uſque refri-

Ovid. 7. Met.

Hipp. 3. de vict. acut.

Quæ corpus refrigerent.

Balneum jejunis adhibitum.

Somnus poſt inediam.

Locus mendoſus.

Hipp. 2. vict. ac.

Aqua quare frigidiſſima.

frigerat, ſic iſtorum reſpectu corporum, quia nunquam calefacit merito eſſe quam frigidiſſima dicetur.

De his quæ humidant, & ſiccant.

HUmidum autem corpus efficit labor minor quam ex conſuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio, poſthæc ambulatio & protinus cibus adjectus, ea genera eſcæ, quæ ex locis veniunt frigidis & pluviis & irriguis. Contra ſiccant immodica exercitatio, fames, vigilia, unctio ſine aqua, calor. Sol immodicus, frigida aqua, cibus exercitationi ſtatim ſubjectus, & is ipſe ex ſiccis & æſtuoſis locis veniens.

Locus vitiatus.

¶ Hujus orationis ſeries in exemplaribus ad unum omnibus ita depravata eſt, ut hanc ne ipſe quidem author ſi viveret eſſet agniturus. Sic enim aliorum habent codices.

HUmidum autem corpus efficit labor major quam ex conſuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio, poſthæc ambulatio, & vigilia, per ſe quoque ambulatio multa & vehemens, & matutina exercitatio, & non protinus cibus adjectus, ea genera eſcæ, quæ veniunt ex locis frigidis, & pluviis, & irriguis. Contra ſiccat modica exercitatio, fames, unctio ſine aqua, calor. Sol modicus, frigida aqua, cibus exercitationi ſtatim ſubjectus, & is ipſa ex ſiccis & æſtuoſis locis veniens.

¶ Sed quam iſte orationis contextus ſit inſulſus & a ſenſu Medico alienum nemo adeo rudis eſt, quin intelligat. Quo minus Neotericorum incurram reprehenſionem quod locum hunc ita pro lubito digeſſerim meo. Nempe hoc duntaxat ordine Medicus eſt, ac CELSO dignus, POLYBIQUE verbis mutuatus videtur conformis. Porro de eorum quæ humectant aut ſiccant natura, pluribus agere non ſatis cautæ putamus, quatenus iiſdem fere rebus aliquis humectatur quibus impletur, ac ſicceſcit quibus extenuatur. De his tamen nonnulla dicenda ſunt. Matutina exercitatio, ubi vehementior eſt, ob id ſiccare creditur, quod corpus (modo id jejunio vacuum ſit) plus juſto diſſipet. Nam cum fructum nutritionis, attractis per motionem in habitum ſuccis, membra ſentire debeant, non ſolum eo ipſa fruſtrantur, ſed proprium etiam humorem una cum affluente ſanguine amittunt. Poſthæc ſiccat & cibus longiore poſt exercitationem tempore ſumptus. Etenim hac interpoſita mora, concidunt oſcula venarum propter motionis vim ante hiantia, ideoque nec ita propere nec æque ubertim, ut alias eſcam trahunt. Nempe hoc inſtituto PAULUS quoque ÆGINETA, iis quos extenuare ſtudet *balneo jam egreſſis non protinus cibos offert, ſed aliquanto poſt tempore*. Ceterum quod unctio ſine aqua exſiccet, comparative ſcriptum eſt, ad eam quæ cum ea fit. Sicut enim nulla non unctio quæ communi cum oleo adminiſtratur humectat, ita ea id demum facit efficaciſſime, quæ adhibitam prius aquam intra habi-

Polyb. lib. de vict. Idiot.

Exercitatio matutina ſiccat.

Ægin. lib. 1. cap. 57.

tum

crudas frigidaſque ſordes magis coire quam in reliquis concoctionum officinis. Ergo ut vomitus nunquam non ſublevat ventriculum pituita gravem, ita tum præcipue juvat, cum tempus hybernum ſuperantis materiæ luxuriem fovet. Tum enim & cœlum frigore, & cibus luxu magnam ventriculo ad cruditates feneſtram patefaciunt. Atque hac re (ut author eſt GALENUS) permoti veteres vomitum a cibo alii bis, alii ſemel duntaxat in ſingulos menſes per hyemem cieri jubebant, quo pituita videlicet omnis ex ventre pelleretur. Ea enim paulo longius intus morata computreſcit, ventriculi tunicas erodit, & caput vitiatis halitibus tentat. Neque vero his repugnant HIPPOCRATES, *æſtate ſupra, hyeme infra purgandum* docens. Hoc enim Aphoriſmo eum humorem notavit, qui ex omni undequaque corpore in aliquam ventris regionem defluit, qui vero ibidem genitus inſedit, non item. Quippe hujus derivatio pro communi vacuationis lege per os ſeu proximiorem locum molienda eſt. Græci iſtud παροχέασθαι appellant. Ejuſque rei teſtis HIPPOCRATES ſic loquitur: *Supra ſeptum tranſverſum dolores purgationis egentes per ſuperna purgandum eſſe ſignificant, qui vero infra ſunt, per inferna.* Hæc ille: At vero influentis in ventrem humoris impetus, quacunque ultro pro more ſuo effertur, eo ſequendus eſt juxta illud HIPPOCRATIS: *Quo natura inclinat, eo ducere convenit.* Ergo ut æſtate bilis & hyeme pituita magis toto corpore luxuriant, ita hic dejectio, illic vomitus (ſi quidem humor ad ventrem e venis aut ultro repat, aut medicina ducatur) promptiora ſunt. Bilis enim pro ſua levitate facile ſurſum evolat, ut pituita contra pondere laborans ſuo ad ima ſidit. Tametſi hæc iſta motionis lex ſæpe fallat, ac neque ſemper bilis ſurſum vergat, neque deorſum pituita. Nam Eudemo Philoſopho (ut refert GALENUS) ſupra pituita, infra bilis. Paulo Rhetori contraria via exuberabant. Propterea ne qua reſtet erroris in purgando occaſio, præſtare arbitror humoris vacuandi impetum non tam ratione inveſtigaſſe, quam ipſo didiciſſe experimento. Atque hæc quidem temporibus atque humoribus in vomendo obſervatio debetur. Corporum vero non parva quoque habenda ratio eſt. Neque enim omnibus juxta aut utilis eſt aut proclivis vomitus. Conducibilem CELSUS ait plenis ac biliosis quod ut probe intelligatur, paulo latiorem exigit explicationem. Plenos itaque AUTHOR intelligit carnoſos, ut alias ſignificavit ſic inquiens: *Gracilibus magis ſanguis, plenioribus magis caro abundat.* Nimirum corpulentia carnoſa (eſt enim & altera adipoſa) a calido humidoque contrahitur. Ideoque in primo ortu calor thoracem dilatavit, humor multa carne intexuit, ut hoc nomine commodus faciliſque vomitus fiat. Siquidem id plenis natura ineſt, quod HIPPOCRATES alias in difficulter vomentibus arte quærebat pluſcula, *eos quiete & copioſiore cibo ante vomitum humectans.* At vero hujus præſidii neceſſitas tum multo maxima eſt, cum quid ſtomachum gravat, ſeu pravus aliquis humor, ſeu corrutpum aut corruptioni proximum alimentum hanc partem obſederit. Proin recte CELSUS tum demum his eſſe vomendum dixit, cum ſeſe nimium replerunt aut parum concoxerunt, ſimul indicans & facilitatem vomitionis & opportunitatem. Videtur his refragari HIPPOCRATES ſic inquiens: *Ægre vomentes, & modice carnoſos inferne purgato, devitans æſtatem.* Cujus Aphoriſmi interpretationi, neque GALENUS neque ejus commentatores fecerunt ſatis. Ille cur æſtas hic obſervari debeat, duntaxat expoſuit, cur mediocriter carnoſis vomitus noceat, diſſimulavit. Hi viliſſimorum mancipiorum inſtar ab domini veſtigiis ne latum quidem (ut ajunt) culmum diſcedere auſi tranſeunter ejus ſcripta tanquam canis Nilum delibant, neque ponere quod ab eo authore præ-

Cur hyeme vomendum. *Gal.* 5. De uſu partium.

Frequens antiquis per hyemem vomitus. *Hip. lib.* 4. *Aph.* 4.

Hip. lib. 4. *Aph.* 18.

Humoris fluentis impetus ſequendus.

Quibus vomitus utilis. *Celſ. lib.* 2. *cap.* 10.

Corpulentia duplex.

Hip. lib. 4. *Aph.* 13.

Quando convenientior vomitus.

Hip. lib. 4. *Aph.* 7.

Locus difficilis ejuſque explicatio.

teritum, neque amplificare, quod nimis contractum eſt, ſuſtinent. Ergo μέσως δὲ σάκκους (ſic enim HIPPOCRATES loquitur) καὶ δυσκμίας, id eſt utcunque carnoſos unaque difficulter vomentes intelligemus ipſos apprime pituitoſos, ac dein aliqua ex parte melancholicos. Pituitoſi enim propter humiditatem temperamenti carnis quoque bonam portionem non tantum adipis habent, tametſi ea caro neque adeo firma, neque adeo multa ut ſimpliciter carnoſis ſit, ac proin his facilis, illis vomitus difficilis jure cenſetur. Pituitoſos intelligo non φλεγματίας τὰ ἄνω, ſeu ſtomacho tantummodo tales, ſed toto corpore. Nam prioribus quoniam pituita circa ſtomachum multa redundat, per os ſeu locum viciniorem rectius purgatio quæritur. Nempe eo nomine hyeme quoque utiliter vomi ſupra demonſtravimus. Aliis vero καθόλου pituitoſis cum propter ſtomachi firmitudinem thoraciſque anguſtiam, tum quia nulla humoris ſuperne vacuandis neceſſitas eſt (totius enim corporis inutilis pituita rectius infra purgatur) vomitus omnis inidoneus eſt. Jam vero melancholicorum nonnullis (naturæ frigiditate efficacia ſiccitatem ſuperante) habitus utcunque attollitur, ſic ut in ſpeciem carnoſi viderentur, niſi lividus eos color, nigrumque capillitium ac tenues venæ proderent. Et ii quoque reliquorum melancholirum exemplo difficulter vomunt, tum quod humoris acidi occaſione firmus his ſtomachus ſit, eoque minus ad vomendum pronus, tum quod melancholia omnis ſuapte impetu ad inferna potius ſidat, ut ne dicam etiam cunctos uno ordine melancholicos preſſiore pectore eſſe, ideoque de ruptione alicujus in eo vaſis ubi vomunt periclitari. Superſunt modo bilioſi, qui cur non ægre vomant, proxime dicetur ubi de gracilibus agemus. Bilioſos intelligas oportet, non ſolum toto corpore, ſed etiam Τὰ ἄνω duntaxat πικροχόλους, qualem Paulum Rhetorem fuiſſe ſupra retulimus, ob pravam ſcilicet meatus biliarii in ventriculum implantationem plurimum indies bilis ſupra per os effundentem, cetera tamen pituitoſum. Hic niſi vomitu amarum excrementum ante extudiſſet quam cibum caperet nullum concoctionis fructum ſentiebat. Cum horum πικροχολῶν, tum reliquorum omnium ſymptomata, ſeu notas quaſdam quibus ii noſcantur, CELSUS in præſentia proponit. Ac primum quidem ructus amari, una cum præcordiorum dolore (καρδιωγμὸν Græce dicitur) gravitateque excrementi bilioſi ibidem redundantis acrimoniam ſequuntur. Iiſdem de cauſis pectus æſtuat, & frequens tenuiſque ſaliva & nauſea eſt, quæ duo jamjam in foribus eſſe vomitum denunciant, præſertim oborto jam capitis dolore ac vertigine, agitatoque labro inferiore. Ceterum ut ſemper qualiſcunque nauſea vomitum antecedit, ita non uſque ſequitur vomitus nauſeam. Quoties enim præ tenuitate altius immerſi ac veluti imbibiti humores ventriculi tunicis ſunt, aut alioqui propter lentorem tenacius affixi, nauſea inanis, irrita, ſeu quæ abſque vomitione fit, movetur, & ipſa quoque ſub hac authoris comprehenſa regula. Aurium verò ſonitus & obortæ oculis lachrymæ fiunt, ſubvolante e ſtomacho ſurſum verſus bilioſo halitu, qui acris admodum mordaxque cum ſit, haud aliter quam fumus ab igne redditus aut acris vapor ab inſpecta cæpa reſiliens oculos pungit, roditque ut hinc exprimi lachrymas nihil adeo mirum ſit. Idem quem diximus halitus per aures ſubinde foras elapſus auditus organon obiter verberat, tinnitumque facit non diſſimilem ei quem edunt pulſata templorum æra. At os amareſcit ob continuitatem ſubſtantiæ faucibus cum ventriculi interna tunica communis, ejuſque rei cauſa haud raro compertum eſt, contenta in ventriculo multa bile vel dulciſſima quæque maxime amara eſſe vi-

Frigidis pariter & humidis vomitus inutilis.

Melancholici ægre vomunt.

Signa pichrolorum.

Signa vomitionis mox futuræ præſagæ.

Nauſea inanis unde fiat.

Aurium ſonitus Lachrymæ

Oris amaritudo.

videri. Atque hactenus de bilioſorum ſymptomatis, ſatis ſuperque: quorum præcipuam partem HIPPOCRATES hoc Aphoriſmo complexus eſt: *Non febricitanti cibi faſtidium, cordis dolor, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo, purgatione per ſuperna opus eſſe ſignificant.* Sequitur mutatus aer, qui tum demum vomitionem non inutilem facit, quum ad contrarie temperaturæ loca fit tranſitus. Aliud enim hic cœlum, alius cibus, aliaque ſæpe vivendi norma, omnes corporis actiones innovat, ex eaque re orta in venis turbatio ac neſcio quid inſoliti tumultus, interveniente naturæ opera, inutiles, ſi qui ſunt humores a bonis ſequeſtrat, quos humores ſubinde vomitus (tum quia ſubſunt hi, tum quia permoti fluxui auſcultant) ſummo cum valetudinis commodo exhaurit. Juvat vomitus & hos inſuper, quibus i' pluſculis diebus præter morem intermiſſus eſt. Tum enim præcordia dolor exercere conſuevit, ſuperfluis in ventriculo retentis eumque tum qualitate ſeu ſtimulo, tum copia ſeu gravi pondere moleſtantibus. Huc enim vaſorum illuviem natura pro conſuetudine pellit, aut certe ventriculus intra ſe cumulatius gignit purgari vomitione ſuetus. Hactenus quibus corporibus vomitus idoneus ſit propoſuimus, proximum eſt quibus incommodet, id quoque jungere. Exiſtit hoc loco quæſtio ſubdifficilis, manifeſtaque inter HIPPOCRATEM atque CELSUM pugna, quæ ut incolumi utriuſque viri authoritate dirimatur, non inutile fuerit, paulo altius rem omnem inſpicere. Vomitus omnis depravata ventriculi expulſio eſt ingentique fit fibrarum ejus tranſverſarum connixu, ut quæ ſtringendo ſurſum verſus materiam per os extundunt, ideoque hic expulſionis modus quia naturæ repugnat, nunquam fieri niſi ventriculo male affecto poteſt. Quomodo enemata (referente GALENO) aliquando per os rejecta ſunt ac per lethales volvulos ipſum etiam oletum. Ut enim ventriculi tunica interna rectis fibris toti gulæ atque ori contiguis cibos trahit, ſic externa tranſverſis contexta fibris, quemadmodum deglutitioni quoque inſervit, ita vomitum ſola perficit, nullis ſubſtantibus quæ in os trahant fibris. Ideoque facilius eſt devorare aliquid quam revomere. Quæ omnia ſi ita habent, quis dubitet vomitum non poſſe citari abſque valida non ventriculi ſolum, ſed & pectoris ſediumque quæ juxta ſunt concuſſione, eaque de cauſa ſtomacho invalidis ac pectore gracilibus ſummopere (ut CELSO viſum eſt) adverſari, ſeu his alicujus vaſis diruptionem, illis imbecillitatis incrementum minitantem. Non reclamat his HIPPOCRATES, ſic inquiens: *Graciles & ad vomendum faciles ſuperne purgare convenit.* Nam is author *bilioſos* hoc loco inaudit, non item eos qui vel aliqua occaſione extabuere, vel a prima origine temperamentum frigidum ſiccumque ſortiti ſunt. Ambobus enim his pectus macrum preſſumque eſt, ut periculum ſit non modo difficile vomitum fore, ſed etiam aliquod ſanguineorum vaſorum diruptum iri. Eos enim ut hoc Aphoriſmo excluderet HIPPOCRATES illam adjecit ad graciles appendicem: Et facile vomentes. Tales vero ſunt ante omnes bilioſi, præcipueque quos πιγκοχόλους πὰ ἄνω appellamus, conſumpti vero ac melancholici, minime. Ideoque HIPPOCRATES duos alios Aphoriſmos eodem pene orationis contextu recte junxit. Ex his alter ſic habet: *Obnoxios pthiſi ſupra ne purgato.* Alter iſte eſt: *Melancholicos infra vehementius purgabis.* Nempe in his materia ad inferna magis ſidit, quare eo etiam arte ducenda eſt. Adhæc temperamenti vitio gracile pectus rigidum arctumque natura ab initio finxit, adeo ut hos vomere cogere plane abſurdum ſit. At vero bilis propter lenitatem minimo negotio per os extunditur, unde fit, ut perquam erudite alibi CELSUS ita ſcripſerit: *Vomitus ut in ſecunda quoque valetudine ſæpe neceſ-*

Hip. lib. 4. Aph. 17.

Vomitus cœlum mutanti utilis.

Vomitus ſalutaris iis qui hunc præter morem neglexerunt.

Vomitus quibus noxius.

Vomitus quid, & quomodo fiat.

Enemata per os reddita, itemque alvi fæx.

Hip. lib. 4. Aph. 8. 9.

Celſ. lib. 2. cap. 13.

neceſſarius bilioſis eſt, ſic etiam in his morbis, quos bilis concitavit. Ineptiunt hic plerique Neotericorum, cum inter natura graciles & eos qui vi morbi ſunt tales diſcernunt, illis vomitum utilem, his inutilem decernentes. Næ illi me hercle parum intelligunt, quam nihil interſit ad vomitus difficultatem naturave quis gracilis factus ſit, an morbo, modo ſemel gracilis ſit. Eadem eſt inquit GALENUS providentia acquiſiti affectus, & naturalis intemperiei. Itaque ſi propter ingeniti frigoris ſiccitatiſque exuperantiam thorax ab ipſo ortu naturæ emacruit, aut tum quoque bonus, poſt tamen tabido affectu conſumptus eſt, quæ (te quæſo) res vomitum hic inidoneum, illic idoneum fecerit, ſubſtantibus utrobique cauſis, quæ vomitionis adverſantur, iiſdem. Sed hoc eſt iſtorum acumen qui hodie inter ſcriptores palmam affectant, quique nulla neceſſitate ambages ſecuti emendicatis hinc illinc abſque ſtudio atque arte ſcriptis magno conatu magnas nugas dicunt. Sed his valere juſſis, ad rem redeamus. Peracta vomitione recte quies imperatur, cujus beneficio componantur turbati in corpore ſucci, afflictæque inter ejiciendum particulæ ab egeſtiſque oblæſæ materiis refocillentur. Neque vero luxuriæ cauſa vomere quotidianum habere convenit. Hoc namque robur ventriculi ſolvit corpuſque plus juſto exinanit ut nil mirum ſit, eum qui ſic continuat, neque valere, neque ſeneſcere admodum poſſe.

Poſt vomitum quid agendum.

QUi vomere poſt cibum volet, ſi ex facili facit, aquam tantum tepidam ante debet aſsumere; ſi difficilius, aquæ vel ſalis, vel mellis paulum adjicere. At qui mane vomiturus eſt, ante bibere mulſum, vel hyſſopum aut eſse radiculam debet, deinde aquam tepidam, ut ſupra ſcriptum eſt, bibere. Cetera quæ antiqui Medici præceperunt ſtomachum omnia infeſtant.

Triplex vomitivorum differentia. Blanda emetica.

¶ Medicamenta ἐμετικα, id eſt, vomitum cientia, pro actionis robore atque infirmitate in triplici ſunt differentia. Quædam enim adeo blande leviterque ſolvunt ut ventriculum ac loca quæ juxta ſunt, quam minimum laceſſant, cujus generis aqua tepida eſt, per ſe potui data, aut ſi quis ob vacuandæ materiæ lentorem ægrius vomat, quæ particeps ſit modici ſalis ſeu mellis, ut tanto nimirum efficacius affixas ventriculo ſordes detergat. Ad hunc ordinem ſpectant hordei decoctum, ficus recentes, oleum crudum extremis digitis aut penna in gulæ caput demiſſum, ipſumque hauſtum hydræleum. At ſecundæ claſſis emetica aliquanto his ſunt potentiora, quapropter junioribus mediocria nominantur, ut quæ modum quendam in ſolvendo obtinent, neque ita ſunt invalida, ut ſuperius comprehenſa, neque rurſus ita violenta, ut quæ poſtremo mox ordine ſequentur. Ejus generis habentur radicula, atriplex, ſive ſemina horum ſumes, ſive radices. Semen anethi, naſturtii, erucæ, melonum, radix betonicæ, & cucumeris ſativi. Tertio ordini adſcribuntur uterque helleborus, nux vomica, ſuccus corticis ſambucini, radix cucumeris agreſtis, & hujuſmodi, quæ ſimul omnia actionis ſuæ vehementia ſtomachum ſubvertunt. Proinde rectius CELSUS emeticorum quæ ſanis uſui eſſe poſſunt, duplicem ordinem proponit: Primoque ea collocat, quæ & mitia ſunt, & facile vomentibus præbentur, qualis aqua tepida eſt tum ſyncera, tum mellis ſaliſve pauxilli particeps. Secundum autem ordinem

Mediocria.

Violenta.

Emeticorum juxta Celſum duplex ordo. Primus.

Secundus.

ea

ea tenent quæ potius mane vomituris conceduntur, ut radicula oxymelite ſumpta, mulſum, decoctum hyſſopi, & id genus alia permulta quorum facultate humores tenacius ventriculo affixi diſſecantur abſterguntur-que, ut epota paulo poſt tepida, minore negotio exigantur. Id ſe comperiſſe in quodam ÆGINETA narrat, qui cum indies inappetentia ac nauſea laboraret ructumque inſuper acido atque præcordiorum inflatione (quia pituita in ventre coierat) aſſidue torqueretur, *ſumpta* (inquit) *ex aceto mulſo radicula incredibilem vim ejus humoris evomuit, atque ita protinus ſanitatem recuperavit*. Porro quotquot præter hæc ſunt emetica priſcis illis Medicinæ Authoribus uſurpata (in quorum claſſe primas fere tenebat Helleborus) omnia ſanis fugienda, ægris non niſi per morborum maximas neceſſitates & in aliorum defectu remediorum præbenda ſunt. Etſi enim magnas ea ſæpe vires oſtendant in morbis longis ac febre carentibus (ſicut in Epilepſia atque inſania helleborus) ſuſpectus tamen uſus iſtorum omnium eſſe debet. Quemadmodum optime alias CELSUS dixit: *Iſta non ſemper ægrotis prodeſſe, ſemper ſanis nocere.*

Paul. Ægin. Lib. 1. Hiſtoria cujuſdam vomentis pituitam.

Violenta antiquorum emetica ſanis fugienda, ægris raro ſumenda ſunt.

Celſ. lib. 2. cap. 13.

POſt vomitum (ſi ſtomachus infirmus eſt) paulum cibi, ſed hujus idonei guſtandum, & aquæ frigidæ Cyathi tres bibendi ſunt. Si autem vomitus fauces exaſperavit, qui vomuit, ſi mane id fecit ambulare debet, tum ungi, deinde cœnare. Si poſt cœnam, poſtero die lavari, & in balneo ſudare, hinc proximus cibus mediocris utilior eſt, iſque eſſe debet cum pane heſterno, vino auſtero meraco, & carne aſſa, cibiſque omnibus quam ſicciſſimis. Qui vomere bis in menſe vult, melius conſulet, ſi biduo continuarit, quam ſi poſt quintum decimum diem vomuerit, niſi hæc mora pectori gravitatem faciet.

¶ Vomitus omnis ſive is ſumpto pharmaco moveatur, ſive ſponte naturæ erumpat ſtomachum ſemper plus minus convellit. Quare hoc finito ſtudendum roborando ventriculo eſt. Itaque ſumpto prius modico cibo (multus enim imbecillam facultatem ſuperat) haurire gelidum fontem ad tres uſque Cyathos expedit. Unde laxatum ventriculi os roboretur. Cyathus juxta PALAEMONEM duodecima Sextarii pars eſt. Ipſe ſic ſcribit: *Sextarii Cyathus pars eſt, quæ eſt uncia libræ*. Sextarius autem qui octodecim unciarum capax eſt (etſi Romanis Authore GALENO, viginti contineat) duas Cotylas ſeu Heminas facit, quemadmodum idem innuit PALAEMON hoc metro: *At Cotyle Cyathos bis ternos una receptat*. Ex quo ſequitur, ut tres Cyathi quia non niſi dimidiam implent Cotylen, in totum pendeant uncias menſurales quatuor & ſemis quod eſt Acetabuli duplum. Sed definitis his, agendum de aſperitate faucium eſt. Ea inter vomendum contrahitur ab acore pituitoſi excrementi fauces atque omnem gulam ſupra infraque in ipſo tranſitu percellentis ulcerantiſque, quæ quidem affectio etſi a bilioſo quoque vomitu poteſt excitari, nequaquam tamen hujus occaſione in præſens fieri putanda eſt. Nam CELSUS de vomitu hic agit, qui ventriculo proprius eſt, quique genitam in eo pituitam (naturale ſibi excrementum) non bilem ex alto corpore huc confluentem extundit. Huic ſententiæ medicamenta ſubſcribunt, quæ initio hujus de vomitu ſermonis ad expeditiorem materiæ purgationem author propoſuit, ut ſunt hyſſopus, radicula, mulſum & id genus calida reme-

Vomitus ſtomacho moleſtus.

Palæmon. Lib. de pond. & menſ.

Cyathus, Sextarius.

Cotyle.

Fauces cur vomendo exaſperentur.

remedia alia, tum incidentia tum abſtergentia. Sed & jam nunc finito vomitu meracum, carnem aſſam, ciboſque omnes quam ſicciſſimos imperat, quæ tamen omnia poſt flavæ bilis effuſionem maxime fuerint aliena. Agedum igitur cauſam ſcrutemur, cur poſt hujuſmodi vomitionem præſcripta remedia conferant. Pituita omnis quæ quidem cocta ſubdulciſque eſt, nequaquam exaſperare loca quæ contingit, ſolet, ſed contra potius quæ ulcerata ſunt, linire, lævigare, ac lento gratoque humore imbuere. Quum vero eadem hæc parum probe cocta acida ſalſave reddita eſt, tum certe gulam tranſiens facile exaſperat. Ergo quæ hanc vomitio induxit aſperitatem, quoniam cruditatis ſoboles eſt, quid novi ſi ea poſtulet auxilia quæ concoctionem adjuvant, qualia ſunt tum ambulatio, tum ante cœnam (ſi quis mane vomuit) unctio, aut ſi veſpere id a cœna fecit, poſtridiana lavatio ſudorque in balneo. Duo hæc poſtrema cautius ſemper adminiſtranda ſunt, ne hinc quæ primis venis cruda inhæreſcunt, liquentur, priuſque in omnem corporis habitum ferantur, quam facta ſunt per maturam concoctionem utilia. Itaque longe majore fiducia calentibus undis corpus perluetur evictis vaſorum cruditatibus: id quod mane iis eveniſſe credibile eſt, qui heſternæ cœnæ vomitu ſublevati tota poſt nocte probe dormierunt. Minus periculi per cruditates in ambulatione aut unctione eſt. Nam hæc calorem inſitum moderatius excitant abſque vehementi ſuccorum turbatione & in habitum raptu, quæ profecto cauſa eſt, cur hæc vel non interveniente ſomni beneficio veſperi ante cœnam ab eo recte tententur, qui mane vomuit. Ut enim in hoc forte homine imperfectior etiamnum fuerit concoctio, quam in alio qui per noctem dormivit, ita rurſus rapiendorum in corpus crudorum minor ſubeſt occaſio. Nimirum certa res eſt calentiore balneo validius ſuccos permoveri, quam aut ambulatione aut unctione. Jam vero quod ad cibum a vomitu porrigendum attinet, ſcire licet mediocrem illum eſſe oportere, nam multo langueſcens cruditate calor opprimitur, per pauco deficit. At heſternus cibus, caro aſſa, vinum auſterum & meracum ejuſque ordinis alia conducunt, quoniam ventriculi robur firmant (δρομαχὰ hæc Græci dicunt) frigiditatem minuunt, & excrementitium ejus humorem abſumunt, his enim ille incommodis per crudas vomitiones urgetur. Sequitur poſthæc de menſtrui vomitus iteratione integer HIPPOCRATIS Aphoriſmus, cujus interpretationem ſi quis requirit, ex GALENI in hunc locum commentario, ſi volet, petat. Illiberale enim eſſe arbitramur commentarios ſcribere more complurium Neotericorum, quos non pudet veterum monumenta bona tot inconditis paginis ad nauſeam uſque male retexere, adeoque miſere ſe ſtudere alieno potius fuco, quam propriis dotibus ſpecioſos videri.

Pituita dulcis lenit, acida aut ſalſa exaſperat.

Gula per acidum vomitum exaſperata quid agendum.

Cibus a vomitu quis utilis.

De Dejectionibus.

DEjectio autem a medicamento quoque petenda eſt ubi venter ſuppreſſus parum reddit, ex eoque inflammationes, caligines, capitis dolores aliaque ſuperioris partis mala increſcunt. Quid enim inter hæc adjuvare poſſunt, quies & inedia, quæ per illam maxime eveniunt. Qui ejicere volet primum cibis viniſque utetur his quæ hoc præſtant, dehinc, ſi parum illa proficient, aloen ſumat. Sed purgationes quoque ut interdum neceſsariæ ſunt, ſic ubi frequentes

ſunt,

ſunt, periculum afferunt. Aſsueſcit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, cum omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas ſit.

¶ Compreſſa diutius alvo dejectio nunquam non neceſſaria eſt, at non ſemper utilis, quæ ſumpto pharmaco quæritur. Hæc enim tum demum permiſſa eſt, cum aut præſentis aut imminentis ſymptomatis exigit neceſſitas. Tantaque ſæpe hujus vacuationis vis eſt, ut non ſanitas tueri, non curari morbus abſque ejus præſidio commode poſſit. Oſtendit hoc naturæ in condendis inteſtinis ſcopus, quando hæc ſeu canales quoſdam ſentinaque ejus ipſa fecit colluviei, quæ a viſceribus totoque venoſo genere huc indies derivatur. Quod quidem facile in ipſis perſpicere ſanis eſt, in quibus bilis utriuſque ſuperflua propriis meatibus tanquam ductibus hac via foras una cum fecibus effluunt. Longeque idem apparet luculentius in ægris, quoties per ſingulas febrium acceſſiones, multoque magis per acutorum morborum criſeis natura antecedentis materiæ ſpurcitiem venis exterminat, inque ventris cavum affatim effundit unde ea mox vomitu dejectioneve exigitur. Et quam igitur præclaro beneficio ASCLEPIADES cum hæc iſta præſidia ſuſtulit ſanos privavit, quorum neglectus excrementa intus fovet, & ſpatio interpoſito graviſſimis valetudinibus initia præbet. Jam vero ſi vel abſque ſuccorum labe venter obriguit, ne tum quidem etiam abſurdum fuerit commodo vel cibo medicamine dejectionem moliri. Quippe concoctionis primæ ſuperflua æquo diutius intus morata penitus areſcunt, inſtarque lapidis durantur tranſeunte paulo minus omni in meſareias chylo. Adde quod ab iis ad hunc modum incluſis putrique calore accenſis acres effumationes ad cerebrum aſpirant, unde protinus & capitis dolores & oculorum caligines, idque genus ſuperioris partis mala poſſunt & fieri & increſcere. Cumque hæc alvi tarditas ὠναδόσιως robur, idque aut ob ineptam inteſtinorum formationem, aut calidam intemperiem hepatis renum ac ſedium quæ juxta ſunt ut plurimum ſequatur, plane incidit, ut & ſic affecta viſcera, & durata alvus mutuas inter ſe operas præbeant ad malum, viſcerum quidem intemperie madorem ventris partim attrahente partim depaſcente. Ipſis autem alvi fecibus memorata loca altiore inteſtinorum tumore prementibus ſuoque veluti fotu magiſque extorrentibus, ut nil mirum ſit quod CELSUS ſcripſit, ſuppreſſa alvo inflammationes increſcere. Sive autem inflammationes ita ut nos intelligas hepatis ſeu renum ardores (φλογόσεις Græci dicunt) ſeu proprie dictas φλεγμονὰς, id eſt, inflammationes, equidem non magni referre arbitror, nam pari ratione utrumlibet affectum adſtricta alvus exaſperat. Quid, inquit CELSUS, notans ASCLEPIADIS opinionem, adjuvare inter hæc poſſunt quies & inedia, quibus nimirum priſca illa ſimplicitas quoslibet extenuare ſe poſſe morbos vane ſperabat, commodeque in hunc uſum inventum a ſe eſſe Diatriton illam gloriabatur. Erat autem ejus dogmatis præcipuus author ASCLEPIADES qui initio morborum tortis vicem exhibebat, inedia, luce, vigilia, ſiti, cubantis vires convellens. Quaſi vero hæc iſta propoſitos affectus haud dicam juvent, ſed non exaſperent quoque: quando deficiente venas nutrimento, totus ab his chylus ad unguem exugitur, ſiccataque excrementa, & propter inediam pauca intus cunctantur, ſanguis omnis qui vaſis ſupereſt, afflictaque intemperie viſcera exuruntur, cæphalalgiæ ac caligines ſubeunte in caput bile invaleſcunt, in ſumma, robur naturæ conſumitur,

Dejecto pharmaco petita quando utilis.

Maxima fuſi ventris commoditas.

Alvo diutius compreſſæ quæ ſuperveniant noxæ.

quo

quo nil prius, nil antiquius cum alias ſemper, tum in viſcerum internorum phlegmonis haberi unquam debet. Sed ASCLIPIADE valere juſſo agendum auxilia ſcrutemur, queis tuto per ſecundam valetudinem alvus ducitur. Primum inquit CELSUS cibis viniſque utendum eſt his quæ hoc præſtent, ἐκκοπρωτικὰ intelligit, ac ventrem mollientia, ea quæ nullum peculiarem humorem venis eximere nata ſunt, eaque duntaxat poſſunt quæ inteſtina ac vias quas vocant communes obſident, educere. Id vero præceptum utinam hodie tam religioſe ab omnibus obſervetur, quam eſt humano generi apprime ſalutare. Quid enim non deſignat perdita impoſtorum medicaſtrorum audacia, quid non & nobilium quorundam (ſi Diis placet) Medicorum cæca confidentia tot tantiſque purgationum machinamentis, non ſine gravi cubantium clade, ſummaque artis medicæ infamia, adeo ut vulgo jam olim dici cœperit : Summam eſſe Medicinam non uti Medicina, & beatum eſse ventrem quem illa nunquam intrarit. De ſanis loquor, quibus citra vitiati humoris redundantiam alvus comprimitur. Hæc namque ſi ſupra modum ſemel inaruit, quid commodius aut denique præſtabilius, quam humidis lubricantibuſque cibis ac poculis, ſqualoris hujus vitium auferre, ac ſic fuſam alvum facere. Nimirum ut facultati inteſtinorum retentrici, ſiccitas vigorem addit, ita expultrici humiditas. Nempe hoc inſtituto, inteſtina quæ feces tot impeditas anfractibus tardatura videbantur, ſagax natura muco pituitoſo intus illevit, ut ejus levitate fluxum oletum promptius ad anum properaret. At Empiricis, quorum omnes ſpes opeſque repoſitæ in lucro medicinæ purgantis ſunt, ſupervacanea eſſe hæc videtur obſervatio, ut qui tum demum mirum quam ſuperbe gloriantur, ſi quam plurimum tum hujus mucoſæ pituitæ, tum tenuis e venis ſaniei detraxerint. Nec vero intelligunt effrenatis illis catharcticis ut alvum quidem egregie ſolvi, ita benignos quoque venarum ſuccos detrahi conſueſſe. Quippe medicamen iis deſtitutum humoribus, quos ad ſe trahere natum eſt, ipſa etiam ſana (ut ait GALENUS) invadit, ſanguinem atque carnes eliquans. Jam ab hac præclara ſcilicet dejectione, omnia tum in corpore magis ſiccantur, tum ſolito pertinacior, ventris aſtrictio ſuccedit. Et ne hoc parum ſit, hanc iidem boni viri ſecundo ducere validioribus medicamentis parant, quaſi per priora parum profectum ſit, ſicque ex ſimplici malo geminum faciunt, &, ut ait FLACCUS, *dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt*. At fortuna tamen nonnunquam bona, immo ingenita naturæ vis tyrannidem hanc omnem edomat, ſic ut ſubinde ſecundæ valetudinis initium, beneficio corporis, non medicinæ fiat. Qua re protinus evenit ut illi tortores ſervaſſe homines, cum non occiderint, videantur. Flagitioſi me hercle, impoſtores, quam nequitia perditi cum non ſuis rebus frugi eſſe, non alienis didicerint, præſtare in animum inducunt, per facinora incognitas artes agitare, quam inglorios aut inopes ſe vivere : Tum dira potius cruditate experimenta per mortes agere quam ſalutis humanæ præſidem artem per miſericordiam didiciſſe. Invalidæ ad hæc ſanguinaria capita ſugillanda litteræ: invalidæ (proh dolor!) ad puniendas leges, quorum ſceleribus jacentem hodie videmus Medicinam, tot nobis ſudoribus, tot pulcherrimi temporis jacturis : tanto vigoris corporei, tanto rei hæreditariæ detrimento quæſitam. Beat illos multorum nece obfirmata temeritas, noſtros dolores, & juſtitia querelæ & vindicis impia manſuetudo acerbiores facit. At valeant iſta nequiſſimorum hominum portenta, quorum error (ſi quidem non potius nefas quam error dicendus eſt) ex cauſæ pendet ignoratione, unde ſiſti ventrem contingit: eſtque hæc inconſiderantia pleriſque

Quibus auxiliis alvus ſanis ducenda.

Error vulgarium Medicorum.

Siccitas vim retentricem firmat, humiditas expultricem.

Noxæ vehementium catharcticorum.

Gal. lib. Quos purgat. oportet.

Deteſtanda Empiricorum nequitia.

verſus concidat, exinaniaturque: Cujus rei graviſſimum teſtem habemus HIPPOCRATEM, qui ſic in Epidemiis loquitur: *Quæ pars calidis undis fovetur, primum tumet, poſt gracileſcit*. Ergo ubi corpus extenuare conſilium eſt, id continenter lavandum tantiſper erit, donec quod prius intumuit, ſubſidat, longeque expeditior hæc fuerit vacuatio, ſi aqua ſit ſalſa, ut quæ in ſiccando eſt multo potentiſſima, adeo ut GALENUS quendam ſibi viſum affirmet, qui falſo innixus judicio hujuſmodi lavationis uſu ita habitum ſui corporis ſiccarat, ut tandem difficillima conſumptus tabe perierit. Poſthæc extenuat & balneum jejunis adminiſtratum, eodem modo, quo ſuperius demonſtravimus inanibus viſceribus per calidas lotiones corpus conſumi. Jam quod inurens ſol habitum minuat, ſiccetque, documento ſunt ii quibus in eo diutius apricatis tota cutis ſubjectaque huic proxima caro areſcit, inſtarque lori dura ac ſtrigoſa redditur, tametſi id ſit non tam caloris quam ſiccitatis illi annexæ opus. Atque hic immodici duntaxat Solis effectus eſt: nam contra qui mediocriter calet, fundit humores, cutem lenit, ac ſubjectam ipſi carnem ſolito reddit molliorem. Ventum eſt ad curas, ſub quarum appellatione omnia perturbati animi pathemata complecti plenioris doctrinæ cauſa non alienum eſt. Singula enim horum ita ut curæ, hominem conficiunt. Ejus generis ſunt, triſtitia, timor, ira, ipſaque quavis Erynnide pejor invidia. Nam recte habet Epigramma: *Livor tabificum malis venenum. Intactis vorat oſſibus medullas. Et totum bibit artubus cruorem*. Et *Julius Cæſar male natos, invidos* notans, *cavendum* dixit *a macilentis*, qualis Brutus erat, qui ipſi tandem lethali vulnere latus hauſit. Sed agedum harum rerum cauſas exponamus. Omnes animi affectus una cum animo ipſo in corde reſidere apud Philoſophos in confeſſo eſt. Animo autem ad affectus commode exſerendos depromendoſque ſpiritus vitalis ut idoneum inſtrumentum inſervit, calore uberrimo ſanguineque puriſſimo tamquam præſidiario milite ſemper inſtructus: eſtque hujus ſpiritus officium præcipuum animo ceu potentiſſimo corporis Monarchæ continenter aſſiſtere, ac modo foras confertim erumpens, modo intro in ſuam veluti arcem ſeſe recipiens omnibus ejuſdem animi paſſionibus famulari. In mœrore, triſtitia, metu, idem ſpiritus ad cor vadit, ubi imbellis animus velut cavea clauſus terrentis rei occurſum effugit, eoque fit, ut timentibus ac mœſtis extrema frigeant. Contra vero in ira ſpiritus cor petens collectis ibidem viribus confertim ſeſe foras ad ſumma corporis effundit, idque eo, ut ait GALENUS, motionis modo, quo calor revocatur iis, qui frigida loti ſunt. Duplex enim cum his, tum iratis motus eſt. Primo enim ſpiritus ad ſedem animi revocatur, averſati rei bilem moventis indignam præſentiam, eodemque temporis articulo extrema palleſcunt. At paulo poſt impellente animum judicio, ſpiritus pene omnis ebullienti ſanguine fervidoque calore tanquam auxiliariis copiis ſtipatus, affatim foras ad cutem emergit, ut id ſcilicet perſequatur quod mens ultione dignum exiſtimat. Jam vero quid de invidia dicam, qua ne Siculis quidem Tyrannis inventum majus tormentum eſt. Hæc alterius virtute ac læto rerum ſucceſſu excitata ſpiritum ad cordis ſpecum adſciſcit, ubi malis incurſibus furiatus animus ſuos ſecum dolores noctes dieſque evolvit, multum in hoc ſpiritus inſumens, neque quicquam ejus in extimum ferri corpus ſinens. Ideoque fit ut ſicut invidorum animus infernali caligine horridus eſt: ita vultus quoque totuſque habitus cadaveroſo pallore fœdetur. Omnibus hiſce animi emotionibus commune eſt, quod interpoſito ſpatio corpus extenuent, tametſi omnes eodem id non faciant modo, nec efficacia pa-

Hip. 6. Epid.

Gal. 1. ad Glauc.

Balneum jejunos emaciat.

Inurens Sol extenuat.

Cura corpus conficit.

Animus ejuſque affectus in corde conſiſtunt.

Spiritus vitalis officium in affectibus animi.

Gal. 9. Sympt.

Per invidiam quid ſpiritus patiatur.

Animi turbati pathemata corpus omnia extenuant.

ri. In timore enim ac mœſtitia (quæ nullo alio inter ſe differunt, quam quod hic lentus, illic celer ſit motus) ſpiritus vitales ad ſuam ſcatebram refluunt, ubi compreſſi marcidoque calore incenſi tabeſcunt, ex quo corpus frigidius tandem ſicciuſque reddi neceſſe eſt, depaſcente nimirum ſqualido febrilique calore (nativus enim tum indies intermoritur) inſitam cordis humiditatem, quod deinceps viſcus ſuæ affectionis conſenſu reliquum corpus afficit. Siquidem mœſtis, authore GALENO, acrimonia potius caloris, quam abundantia ineſt. At vero ira (ſi quidem ea perſeverantior eſt) corpora extenuat diverſa penitus ratione. Nam cum hæc ſit juxta PLATONEM ceu ebullitio quædam ſanguinis circa cor, vehementi corpus inflammando diſſipat. Nempe in hoc pathemate calor neque intus, ut in timore fit, occulitur, neque ibidem emarcet: ſed contra potius juxta fontem caloris primum exardeſcens quam mox ex imis præcordiis foras ubertim erumpit, ſeſeque quoquoverſus in omne corpus diffundit. Ideoque recte GALENUS dixit iraſcentibus caloris abundantiam ineſſe, & ob id nunquam quemquam ex hoc pathemate animam amiſiſſe. Ceterum invidia medullitus cor exedit, ubi malus animus rerum ſe augentium imagines aſſidue verſat, per quas actiones ſpiritus ſqualido incenſus calore, ipſum quoque cor, & poſt hoc univerſum corpus marcidum reddit, ſic ut tandem omnis ipſi color decorque pereat. Qui vero curis altioribuſque mentis cogitationibus conficiuntur in iis ſpiritus e vitæ principio ad mentis arcem correpti multaque ibidem functione accenſi, primo quidem cerebri ſubſtantiam, mox vero cor, ac tandem ipſum quoque corpus reliquum per mutuæ ſympathiæ legem hectico ſqualore obterunt, actioneſque naturæ omnes evertunt. Recte enim GALENUS ſcripſit *συμπάσχειν ἀλλήλοις ἁπάντας τὰς δυνάμεις τὸ ζῶον δυνάμεις*. Poſſet his jure addi res ſoliciti plena timoris amor, quo vix ſcio, an quicquam magis hominem conficiat. Nam ſpiritus vitales variis modis oppugnat exercetque, modo ira excitans, modo vanos timores fingens, interdum invidia, ſæpe odiis immortalibus animum excrucians. Quin etiam ipſam impetens mentem, inſaniæ, dementiæque cauſam præbet. Quid multis? Omnia ſurſum deorſum in corpore agitat, ut nil mirum ſit, tantopere hinc aliquem contabeſcere. Atque hæc de animi emotionibus dixiſſe ſufficiat. Sequuntur in extenuantium ordine, vigiliæ, nec ſine cauſa. Nam vigiles ſenſus quia nunquam eſſe poſſunt otioſi, quieſcente quantumvis corpore, ſpiritus primum animales, atque hinc conſequutione quadam vitales etiam multo uſu obterunt, tabefaciuntque. Adhæc vitalibus ſpiritibus jugiter in cerebrum aſcitis perfectio, tum chyli in ventriculo, tum chymi in hepate ac vaſis labefactatur. Supra namque demonſtratum eſt hunc vitæ ſpiritum ad concoctionis integritatem perquam neceſſarium eſſe. At vero imperfectam concoctionem, nulla ſequitur proba nutritio, ut quæ tota in aſſumpti alimenti aſſimilatione poſita eſt, cumque nihil coaleſcere corporis ſubſtantiæ poſſit, niſi plurima ſubactum victumque alteratione, corpori alendo factum ſit idoneum, quid miri, ſi fruſtratam concoctionem extenuatio membrorum ſequatur. Neque alia ratione, ſomnum quoque, ſi vel nimium brevis eſt, vel longus, corpus emaciat, quam quod concoctioni incommodet, juxta illud HIPPOCRATIS: *Gravis vigilia, potus ciboſque tum crudos tum incoctiores reddit: at ea quæ in contrarium fit tranſmutatio, corpus diſſolvit*, &c. De duro cubili ſuo loco dictum eſt. Eademque ratio habetur de lecto per æſtatem terra, tametſi id cubationis genus tutius fuerit Græcis atque ultimis Italis, quam noſtræ regionis incolis. Quod autem vehemens exercitatio corporis molem atterat, & ſupra abunde moſtratum eſt, & ab HIPPOCRATE in Epidemiis his verbis approbatum: *Extenuatio,*

Triſtitia ac metus quomodo hominem conſumant.

Gal. 1. ad Glauc.

Ira quid & quomodo extenuet.

Gal. 1. ad Glauc.

Invidia cur aliquis macreſcat.

Curæ quomodo corpus tabefaciant.

Amor Vereus extenuat.

Vigiliæ hominem emaciant.

Somnus nimium brevis aut longus extenuat. *Hipp. 2. de vict. acut.*

Vehemens exercitatio, corporis molem atterit. *Hipp. VI. Epid.*

nuatio, curſu, luctatione, multis celeribuſque obambulationibus efficitur. Adhæc cur vomitus & dejectio idem poſſint, ipſa re notum eſt. Ambo enim hæc ex genere ſunt maximarum corporis vacuationum. Adde quod neceſſum plane ſit, digeſtionem alimenti in corpus aſſidua ventris dejectione minui, aſſuefacientibus nobis nutritionis inſtrumenta, quæcunque continent ea ſtatim peſſum impellere. Sic enim neque urina commode fieri, neque ali corpus cibo poteſt. Porro acidæ res atque auſteræ ob id extenuant, quod, ut jam pridem dixi, ad nutriendum ſint ineptæ. Idem poſſunt & rarius aſſumptæ epulæ, ex quibus ſcilicet parcior eſt ſuccorum proventus. Noviſſimum hoc ordine locum habet, vini neque energia, neque facultate perfrigidi potio jejuno in conſuetudinem adducta: Hæc enim corpus cum per halitum, tum per urinas digerit.

CUm vero inter extenuantia poſuerim vomitum & dejectionem, de his quoque propria quædam dicenda ſunt. Ejectum eſſe ab Aſclepiade vomitum in eo volumine, quod de tuenda ſanitate compoſuit, video, neque reprehendo, ſi offenſus eorum eſt conſuetudine, qui quotidie ejiciendo vorandi facultatem moliuntur. Paulo etiam longius proceſſit. Idem purgationes quoque eodem volumine expulit. Et ſunt hæ pernicioſæ, ſi nimis valentibus medicamentis fiunt. Sed hæc tamen ſubmovenda eſſe, non eſt perpetuum, quia corporum temporumque ratio poteſt ea facere neceſſaria, dum & modo, & non niſi cum opus eſt, adhibeantur. Ergo ille quoque ipſe, ſi quid jam corruptum eſset, expelli debere conſeſſus eſt. Ita non ex toto res condemnanda eſt, ſed eſſe ejus etiam plures cauſæ poſſunt, eſtque in ea quædam paulo ſubtilior obſervatio adhibenda.

¶ Optimo jure CELSUS errorem notat ASCLEPIADIS qui vomitionis atque dejectionis uſum ſanis ademerat, non alia forte permotus cauſa, quam quod nonnullis hæc iſta uſurpantibus, gravis quandoque orta noxa ſit. Iſtud vero quam ſit iniquum judicium, nemo non videt, qui venæ quoque ſectionem, exercitium, balneas, unctiones, & id genus ſalutaria utriuſque valetudinis præſidia fuiſſe ſæpe pernicioſa reputat, non quidem ſuapte ipſorum natura, ſed utentium errore. Sane id pro lege putare, quod raro evenit, hominis parum circumſpecti eſt; quæ vero rerum abuſus vitia profert ea ipſis tribuere rebus, etiam imperiti eſt. Neque vero obtinere ASCLEPIADES, ſi viveret, unquam poſſet, quod nulla ſanis incidat, vomendi purgandive corpus neceſſitas, cum tanta ſit temperamentorum vis, tanta eduliorum varietas, tot ab aere, motu, quiete, ſomno, vigilia, ceteriſque id genus rebus alterationes nos indies circumveniant, afficiantque, ut fieri plane non poſſit, quin ſæpe ex aſſidua horum omnium conſuetudine, vitium aliquod in ventre, aut in ipſis venarum ſuccis vel imprudentibus nobis ſuccreſcat, quo ſi quid jam ſemel imbutum faceſſere negotium naturæ cœpit, cur non liceat infra ſuprave excludere? Quaſi vero hanc vacuandi licentiam non ſolum Medicinæ lex rectaque ratio nobis permiſerit, ſed ipſa etiam non monſtravit natura, quæ ſæpius in ipſis quoque ſanis abſque pharmaco noxios humores modo per

Vomitus temere ab Aſclepiade rejectus.

Hip. lib. 4. Aph. 16.

os, modo per alvum ſuapte ſponte ejicit. Neque vero illud HIPPOCRATIS ASCLEPIADI ulla in re patrocinabitur: *Qui integra ſunt corporis valetudine, medicationes ægre moleſteque ferunt.* Sed neque illud quicquam arguerit. *Elleborus ſanas habentibus carnes periculoſus.* Iſte enim Aphoriſmus de iis ſcriptus ſanis eſt, quos nullum urget cacochymiæ vitium. His enim vomitum, aut purgationem commodam eſſe nemo qui ſapit, putat. Quanquam ſi vel maxime vitium valentibus aliquod ſubeſt, ne ob id quidem convenire elleborum cenſemus longe ſinceriore materia medicaminum reperta catharcticorum quæ partim energiæ placiditate, partim compoſitionis felicitate ut majore fructu, ita periculo minore, quod corpore ſupereſt, demunt. Ideoque barbarorum ſcholis *Benedicta* ſunt appellata. Ergo ob id vomitus ſanis prodeſt, quod ventriculo ſordes, tum pituitoſas, tum bilioſas eximat. Cujus vacuationis quantus ſit fructus, ipſum ventriculi munus oſtendit: quod ſi in aliquo ſit diminutum, totius illico corporis nutritionem fruſtrabitur. Scilicet nec hepati nec ſolidis membris proclive eſt χυλῶσιως vitium corrigere, quatenus unaquæque particula concoctionem expedire duntaxat ſuam, non item alterius emendare nata eſt. Jam vero & tota ſæpe corpora non unicum ſemper ventriculum vomitus expurgat, cum aut potentibus emeticis cietur, aut fortuito ab ipſa provocatur natura, ſanguinis totius colluviem (ut per febrium criſes fit) in ventriculi cavum effundente.

Vomitus quare utilis.

Suamquæque particula concoctionem tantum perficere, non alterius emendare potis eſt.

Vomitus totum etiam corpus vacuat.

De Vomitu.

VOmitus utilior eſt hyeme quam æſtate. Nam tum & pituitæ plus, & capitis gravitas major ſubeſt. Inutilis eſt gracilibus, & imbecillum ſtomachum habentibus. Utilis eſt vero plenis & bilioſis omnibus, ſi vel nimium ſe replerunt, vel parum concoxerunt. Nam, ſive plus eſt, quam quod concoqui poſſit, periclitari ne corrumpatur, non oportet. Si vero corruptum eſt, nihil commodius eſt, quam id, qua via primum expelli poteſt, ejicere. Itaque ubi amari ructus cum dolore & gravitate præcordiorum ſunt, ad hunc protinus confugiendum eſt. Item prodeſt ei, cui pectus æſtuat, & frequens ſaliva, vel nauſea eſt; aut cui ſonant aures, aut mandent oculi, aut os amarum eſt. Similiterque ei, qui vel cœlum, vel locum mutat, his, quibus (ſi per plures dies non vomuerunt) dolor præcordia infeſtat. Neque ignoro, inter hæc præcipi quietem, quæ non ſemper contingere poteſt agendi neceſſitatem habentibus, nec in omnibus idem facit. Itaque iſtud luxuriæ cauſa fieri non oportere confiteor. Interdum valetudinis cauſa recte fieri experimentis credo. Commoneo tamen ne quis qui valere & ſeneſcere volet, hoc quotidianum habeat.

Vomitus unde & quæ vacuet. *Gal. 6. Sympt.*

¶ Vomitum educit (authore GALENO) pituitoſa, bilioſa ac ſeroſa excrementa quæ tum in ventriculo genita, tum aliunde in ipſum ſunt derivata. Primo itaque ventriculum, ſecundario ac quadam veluti conſecutione univerſum etiam corpus exinanit. Proprium ventriculi excrementum pituita eſt, partim quia nervacea frigidaque ejus partis ſubſtantia eſt, partim quia omnium prima ſuſtinet rudimenta ciborum, ubi veriſimile eſt

Ventriculi proprium decrementum cur pituitoſum.

cru-

tum includit. Siccantibus adnumeratur, & frigidæ lavatio, tum quia aſtringendo madorem carnis exprimit, tum quia cutem denſando calorem, ſpiritum, ſuccos, neceſſaria naturæ nutrientis adminicula, ab extremis intro violenter in profundum corporis contrudit, ex quo nil mirum eſt habitum emacreſcere. Frigidæ lavatio cur ſiccet.

De his quæ alvum adſtringunt & ſolvunt.

ALvum adſtringit, labor, ſedile, creta figularis corpori illita, cibus imminutus, & is ipſe ſemel die aſſumptus ab eo, qui bis ſolet, exigua potio, neque adhibita, niſi cum cibi quis quantum aſſumpturus eſt, cœpit poſt cibum quies. Contra ſolvit aucta ambulatio atque eſca, poſt motus, qui poſt cibum eſt, ſubinde potiones cibo immixtæ.

¶ Ut corpus (teſte HIPPOCRATE) intus foriſque tranſpirabile perviumque eſt, ita mutuus quoque liquorum eſt ex una corporis regione in aliam per omnia confluxus. Hujus occaſione, omnium ſæpiſſime, alvus ſiſti in recte valentibus ſolet, translato ſcilicet in venas excrementorum ventris humido. Nempe inter naturales potentias retentrix & attractrix ſemper (authore GALENO) robuſtiores ſunt in aridioribus calidioribuſque inſtrumentis ſive naturali qualitate, ſive aſcititia ſint talia. De perfecte ſanis loquor, ac nullo in viſceribus inſignis intemperiei, aut formationis vitio afflictis. Etenim quis neſcit alvos quoque poſſe contrahi alias a vehementi jecinoris aut renum ardore, alias ab inteſtinorum quoque vitio cum naturaliter ea admodum aut ſicca, aut hebetis ſenſus, aut in nimios intorta gyros ſunt, quin etiam idem ſæpe poterit ab ipſius accidere biliarii meatus obſtructione, aut prava in ventriculum inſitione, nec raro etiam ab infirma muſculorum qui in ſepto tranſverſo & abdomine ſunt, actione (nam ii quoque ad celeritatem dejectionis adjuvant) multiſque aliis id genus cauſis, quæ vitioſos corporum ſtatus ſequuntur. At vero recte valentibus ab iis fere cauſis alvus adſtringitur quæ ventris humiditatem partim conſumere partim digerere in venas natæ ſunt. In his principem locum tenet exercitatio per quam accenſis motionis organis chylus in habitum corripitur, & toto undequaque accenſo corpore abſumitur. Ceterum cur ſedile ventrem retineat ſuperioribus locis demonſtratum eſt. Idem facit creta figularis ſeu terra Lemnia, adeo in adſtringendo potens ut ſanguinem undecumque promanantem retineat, & quamvis aliam fluxionem compeſcat, ſive foris illitum ſive intro in corpus ſumptum. Ejuſque facultatis merito alvum comprimit. Iam quod a cibo imminuto tardus venter pigreſcat, ipſa re patet. Vix enim hic ullo pondere excrementum inteſtina premit, quo fit ut hæc ipſa gravi ſaburra ſeu ſtimulo carentia, ſuique veluti muneris oblita lente ad dejectionem levis oneris inſurgant. Quod ſi ita eſt, quid miri, ſi ſimile quoque eveniat a cibo ſemel per diem aſſumpto ab eo qui bis ſolet. Sic enim præter ſolitum, ut HIPPOCRATES loquitur, detumeſcit ſubſiditque ventriculus, tum etiam χρεμάσθαι δοκέει τὰ σπλάγχνα, id eſt, viſcera pendula eſſe videntur correpto ſcilicet in venas omni chylo, ipſiſque ſubinde fecibus minima mole reſiduis ac lapidis inſtar ſiccatis. Quare recte GALENUM monere arbitror, tum demum pauciora quam ex pro-

Hipp. VI. Epid.

Corpus undique tranſpirabile eſt. *Gal. 6. Sympt.*

Alvus unde comprimatur.

Labor.

Sedile.

Creta figularis.

Cibus imminutus.

Cibus non niſi ſemel per diem ſumptus. *Hipp. 3. de vict. acut.*

Gal. 6. Sympt.

portione multitudinis ciborum excrementa dejici, ubi plus ex ipsis transiit in anadosim. Sequitur exigua potio, quæ quia non sat madoris ferculis adjicit, dejectionem tardat, idque multo faciet efficacius, si non sæpius (ut moris est) inter edendum iteretur, sed tota semel a cibo sumatur: Sic enim osculo ventriculi innatans nequaquam epulis tota totis miscetur, ideoque eas humectare quidem potis est. Novissimum eorum quæ alvum sistunt, quies a cibo est, qua fit ut assumpta edulia nequaquam concussa supremo ventri inhæresçant, minusque propere ad imum sidant. Proximus nunc est eorum ordo quæ alvum citant, in quibus est motus post cibum, adeo in hac re potens, ut graves interdum diarrhæas moveat. Porro aucta pariter ambulatio atque cibus, potiones cibo immixtæ, & id genus alia cur alvum subducant, ex eorum patet consideratione, quæ hanc cogunt. Contrariorum enim ut sunt causæ contrariæ, ita doctrinæ ratio eadem est.

Potio exigua.

Quies a cibo.

Alvum solventia.

ILlud quoque scire oportet, quod ventrem vomitus solutum comprimit, compressum solvit. Itemque comprimit is vomitus, qui statim post cibum est, solvit is, qui tarde supervenit.

¶ Vomitus ob id ventrem solutum comprimit, quod materias ad alvum inclinantes inferne sursum avertit. Nempe hujus ἀντισπάσεως causa vomitus ab HIPPOCRATE GALENOque in iis probatur morbis, qui inguina, renes, coxas, ceteraque ventris inferioris loca exercent. Optime enim materia quæque revellitur ubi alia parte prorumpens, alia emittitur. Quod præceptum HIPPOCRATES hoc Aphorismo stabilivit: *Longo alvo profluvio laboranti, sponte vomitus superveniens morbum solvit.* Jam vero quod vicissim compressum ventrem vomitus moveat ex concussione fit intestinorum quorum facultas expultrix ad proprium munus hoc modo excitatur. Ea tamen hæc omnia lege fiunt, quod qui ventrem compressurus vomitus est, protinus a cibo cieri debeat, qui vero laxaturus longo post tempore. Hic enim excrementa ad imum ventris jam ante demersa agitatis vomitione intestinis per sedem seu proximum locum erumpunt, illic vero alimenta priusquam pyloro exciderint, aut intestina majore pondere ad expulsionem sollicitaverint, supra per os egeruntur.

Vomitus cur compressum, ventrem solvat. *Hip. lib. 6. Aph. 15.*

De Ætatum varietate.

QUod ad ætates vero pertinet. Inediam facillime sustinent mediæ ætates, minus juvenes, minime pueri, & senectute confecti. Quo minus fert facile quisque, eo sæpius debet cibum assumere, maximeque eo eget qui increscit. Calida lavatio & pueris & senibus apta est. Vinum dilutius pueris, senibus meracius, neutri ætati quæ inflationes movent. Juvenum minus, quæ asumant, & quomodo curentur, interest.

¶ Fames sic oritur. Quum triplex nostri corporis substantia assidua nativi caloris actione dissipetur, sagax, providaque rerum natura singulis particulis facultatem protinus ab initio contulit, qua defectum alimenti percipere, aliudque ex proximis unaquæque locis attrahere valeant. Ea vero

Fames quomodo excitetur.

vero facultas a penuriæ ſenſu (modo is ſenſus dicendus ſit) oritur, atque naturalis appetentia vocatur, omnibus animantibus atque plantis juxta communis. Jam quia inſenſibilis hæc corporis difflatio (Græci ἄδηλον διαπνοὴν appellant) extremas partes primo exhaurit, (propriores enim cuti per quam exhalatio fit, remotioreſque a ſuccorum officinis ſunt) plane accidit ut hæ quoque primæ egeſtatis ſenſu perſtringantur, quare alimentum e proximis locis trahere properant, ac mox illæ rurſus ex ſibi vicinis, hæque deinceps ex aliis atque aliis, ſicque dum undequaque rapto vivitur, fit ut hoc celeri tractu vaſa ad ventriculum pertinentia tandem exinaniantur, quæ & ipſa tum quoque ejus viſceris tunicas vellicare atque exugere incipiunt. Atque moleſtus hic ſuctionis tractioniſque ſenſus ut primum os ventriculi, partem ſupra omnia ſenſibilem, percelluerit, ipſa ſtatim oritur animalis appetentia, quam inediam ſeu famem appellamus. Declarant hæc longe evidentiſſime quod præcipua omnis appetentiæ cauſa ipſa ſit corporis difflatio, quodque hæc a calore fiat innato, tum quod primariæ cauſæ energiam promoveat corporis ad difflationem aptitudo. Ergo quicumque & multo naturæ calore affluunt, & rara ſunt mollique corporis textura, ocyſſime inedia urgentur pariterque hanc egerrime ferunt. Tales apprime ſunt pueri, juxta illud HIPPOCRATIS. *Qui creſcunt plurimum habent calidi innati, itaque plurimo egent alimento, alioqui corpus conſumitur*. Porro diſcernere inter eos homines oportet, quam citius eſuriunt, & quam ab inedia pejus afficiuntur. Etenim perinde non eſt neque iiſdem ſemper innectitur cauſis cito fameſcere, & cito a fame lædi. Pituitoſi enim celerrime cibum concupiſcunt, quos tamen inedia adeo non offendit, ut magnopere etiam juvet corpore (ut ait GALENUS) ex crudis quos continet ſuccis alto. Rurſus tum ſtomacho tum reliquo corpore bilioſi, haud ita prompte quidem fament, cibo tamen non ſine noxa diu carent. Adhæc ſenes tardius quidem eſuriunt, inediæ tamen impatienter ferunt, quatenus his qui pauculus ſupereſt calor emoritur niſi jugi modicaque alimonia ſeu fomento ſuſtentetur. Juxta illud HIPPOCRATIS: *Senibus parum calidi innati ineſt, & ob id paucis egent fomentis*: Ubi tamen ſubintelligas, ſæpius quoque repetitis. Siquidem ipſorum calor ἀνάλογος eſt cum imbecilla lampadis flamma, quæ protinus interit, oleo aut juſto parcius, aut uberius idque confertim affuſo. In ſumma hos inedia maxime debilitat, qui ob corporeæ texturæ raritatem facile diſſolvuntur, ut pueri, quique temperamenti calidi occaſione prompte inflammantur, ut juvenes, & quam propter naturæ imbecillitatem celeriter deficiunt, ut ſenes. Hæc intuenti omnia qui quæſo obſcurum ſit inediam, ut CELSUS docet, facillime a mediis ſuſtineri ætatibus. Sub mediis ætatibus ipſos comprehendimus adoleſcentes qui jam annum quintum & viceſimum, nondum tricesimum ſextum exceſſerunt. Nempe hi præterquam quod increſcere jampridem deſierunt, inter reliquarum ætatum homines plane ſunt medii. Itaque longiore abſtinentia non ita diſſipantur, ut pueri, neque tantopere incenduntur ſiccanturque quantopere juvenes, neque tam facile elangueſcunt, quam ſenes. Iterum moneo, hæc iſta de inediæ noxa non promptitudine intelligenda eſſe. Quod quidem ſenum ac juvenum cauſa loquor, quos inedia ut peſſime excipit, ſic tarde premit: Tum quoque ne pugnare CELSUS cum HIPPOCRATE videretur, qui ſic ait: Senes facillime jejunium ferunt, ſecundo loco qui ætatem conſiſtentem habent, minus adoleſcentes, omniumque minime pueri. Enimvero ſic fit, ut quo quis duriores minuſque difflabili corporis compage eſt, eo tardius cibum appetat, ideoque

Appetentia animalis.

Inediæ primaria cauſa

Hip. lib. 1. Aph. 14.

Diſcernendum inter eos quos fames citius urget, & quibus pejus nocet.

Inedia pituitoſis proficua & utilis.

Gal. 12. Meth.

Bilioſis fames & tarda & gravis eſt itidem & ſenibus.

Hip. lib. 1. Aph. 14.

Inedia quibus maxime infeſta ſit.

Quinam omnium facillime jejunant

Hip. lib. 1. Aph. 13.

Hippocr. in ſpeciem Celſo contrarius.

quoad inediæ tolerantiam.

que juxta præsentem HIPPOCRATIS Aphorismum *pueri citissime esuriunt, atque his minus cito adolescentes, post quos multo quoque minus juvenes omniumque minime senes*. Maxime tamen secundum hunc CELSI locum inedia offenduntur (cum pueris) senes, atque his minus juvenes, minimeque omnium adolescentes. Sed obstrepent nobis, sat scio, Neoterici, illos dico qui devotis animis quocunque jure, quæcunque injuria in verba GALENI jurarunt novam hanc esse interpretationem clamitantes, & a GALENI commentatione alienam. At hos primum rogo, æqui judices in re controversa uti sint, quod si non impetro utique nihilo minore audacia illorum ego protervis oppedero vocibus, quam ipsi cognitam oppugnant veritatem. Ergo cur GALENI interpretatio in hunc quem proxime retuli Aphorismum minus arrideat, operæ pretium est, compendio ostendere. Quoque id fiat commodius, præstiterit ætatum discrimina seu alicujus hypotheseos loco prius exponere ut quid de quaque earum parte senserit cum CELSUS tum HIPPOCRATES, manifestum sit. Ut mundi annique totius ætates quatuor, sic & hominum sunt. Prima est pueritia ab ipso ortu ad quintum fere & decimum annum porrecta, sub qua multo calido humidoque corpus affluit. Hanc excipit adolescentia, ubi jam pubes vestire inguina, & decorare faciem barba incipit, quam vitæ particulam Græci ἥβην & ἡλικίαν μειρακιώδη CELSUS mediam nominaverunt, estque, GALENO judice, omnium temperatissima. Tertia ætas juventus est, latissime hac illac patens, diciturque Latinis constans, Græcis κατάστημα esse, quoniam sub ea omne incrementum corporis sistitur. Dixi hujus ætatis spacia late porrigi, nam quæ prima ejus pars intra quintum vigesimum annum, & trigesimum quintum includitur, viribus florentissima est, ac Martis Veneriseque Palæstræ aptissima, suntque in ea quos Græci νεανίσκους vocant. Plus hi quam adolescentes caloris, minus humiditatis habent. Secunda pars, quæ fere intra comprehensum terminum prioris, & quadragesimum secundum annum est, viros profert, maturis consiliis, prudentiaque pollentes, Græci ἀνδρίαν, nos ætatem virilem dicimus, estque exuperanter calens & sicca. Finis juventutis omnis παρακμὴν, id est, declinantem ætatem habet, ad quadragesimum nonum annum extensam. In hac bilis atra dominatur, ea quam exuperans calor ex flava retorridam fecit, acciditque hic, tabescente propter defectum humoris calore, corpus refrigescere, siccumque ac penitus senile fieri. Pessimo exemplo, omnes prope dixerim. Neoterici juventutem in complures diversi inter se generis partes distraxerunt, parum memores ejus ARISTOTELICI, τὰ τῷ μείζοντι καὶ ἧττον διαφέροντα ἀλλήλων, εἶδος οὐκ μεταβάλλειν. Nempe scisse hos oportuit ætatum discrimina pro totius temperamenti demutatione non spaciis annorum circumscribi oportere. Quis enim nescit omnem juventutem calere siccamque esse, tametsi prima ejus pars plus nativi caloris minusque siccitatis, noviissima hujus plus minus illius quam media possidet. Quod si primam temperatam dices, adolescentia ea erit non juventus, si postremam frigidam siccamque censebis, ipsa erit malorum plena senectus. Esto annorum curricula ætates, non temperamenta corporum faciant, at cur ipsi quæso senectam itidem in sua non distraxerunt membra, cur non alteri cuivis liceat longe plures quam sex vitæ partes statuere, rerumque multitudine discentem obruere. Quippe est & pueritiæ sua infantia, est & adolescentiæ sua pubertas seu ephebia. Juventa primum νεανίσκους mox viros, postremo declinantes profert. Quin senectus & ipsa quoque in totidem (ut mox audies) diducta partes, ætatum differentias

Humanæ vitæ ætates quatuor. Pueritia.

Adolescentia.

Juventus.

Neotericorum error in destinguendis ætatibus.

in

in totum decem efficiet. Hæc vitæ ſpatiorum circumſcriptio, non ſolum inartificioſa, ſed in ipſum quoque peccans HIPPOCRATEM eſt. Nam ipſe ſic ea diſtraxit. Ῥέοντες ὑφορώτατα ἔτη ἔχειν φέρουσι, δεύτερον δὲ καθεζόμενοι, ἥκιστα μεμφακία πάντων δὲ μάλιστα παιδία. Hunc virum ceu Præceptorum haud pœnitendum cum alius fere ſemper tum hic quoque rectiſſime ſecutus CELSUS, quatuor ætates, hominum non plures numeravit. Supereſt ultimus vitæ terminus ſenectus, recta ad interitum via, propterque intemperiem corporis frigidam ac ſiccam, nec non ingraveſcentem naturæ imbecillitatem multis referta amaritudinibus. Ejus pars quæ circiter annum 50. ultimæ copulatur juventuti virens eſſe dicitur, obeundis etiamnum vitæ muniis par. Græci in hac conſtitutos ὡμογέροντες appellant, duratque hæc ipſis fere vis ad annum ſexageſimum, cum jam deficere homines incipiunt, & corporis pariter atque animi officia concidere vitæ omnis cataſtrophe, decrepitos ſenioque confectos continet, Græci hos πεμπέλους vocant. Incipit ab anno ſeptuageſimo, duratque uſque ultimum vitæ diem. Et ſic quidem poſitis ætatum diſcriminibus, proximus eſt ad rem propoſitam redire. Primum itaque non video cur HIPPOCRATES, ut GALENUS vult, ſub appellatione περὶ γερόντων magis ὡμογέροντας, id eſt, virentes ſenes, quam ἰσχατογήρως ſeu decrepitos inaudierit. Neque enim ſimile veri eſt tanti nominis Authorem, vel tam male fuiſſe ſedulum, ut diſcrimina, ita neceſſaria præterierit, vel adeo denique ſui oblitum moris ut particulam orationis aliquam non adjecerit, qua ſenectutis pars certa notaretur, quod quidem cum alias toties, tum evidentiſſime eo Aphoriſmo obſervavit, qui ſic habet, Βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτησιν ἢ πεπαίνονται, ideſt, Raucitates & deſtillationes, in valde ſenibus ad maturationem non perveniunt. Jam vero fac intellexerit HIPPOCRATES primos duntaxat ſenes, at quid porro cauſæ GALENUS juventibus prætexat, cur hos clariſſima voce HIPPOCRATES declararit facilius adoleſcentibus jejunium ferre. Quo errore vix ſcio an quicquam in Medicina magis pudendum, aut indignius HIPPOCRATE ſit. Etenim certa res eſt, conſiſtentes ſeu juvenes, ut ſunt immodice calidi ſiccique, tardiſſime quidem famere: famem vero difficillime, hoceſt, maxima cum offenſa pati. Et quis vero jam non videt quam parum circumſpecte ne dicam vere in hunc Aphoriſmum illud dixerit GALENUS. Spectatur ejuſmodi ferendæ inediæ facilitas in non appetendo, nihilque inde noxæ ſentiendo. Ex contrariis æſtimatur difficultas. Perſtat igitur inconcuſſa cum CELSI tum HIPPOCRATIS quam nos primi de fame dedimus interpretatio. Neque vero ſuperflua eſt hæc iſta HIPPOCRATIS tolerandæ inediæ obſervatio, quæ ob id ab eodem Authore mandata literis eſt, ut conſtet cibandi tempora pro corporis neceſſitate, non ſemper famis promptitudine legi oportere. Quemadmodum enim cibo indigentibus, nunquam non cibus eſt utilis, ſic aliis hunc non aventibus dari, appetentibus negari ſæpe expedit. Nam ſi ex cruditate adoleſcenti pituitoſo morbus eſt, etſi deſideratus, inutilis tamen datus cibus eſt. Si bilioſo juveni ex labore ac vigilia febris eſt, ut certa ἀορεξία, ſic certum per ἀσιτίαν periculum eſt. Hæc eum accurate & ſcire & diſcernere oportet, quiſquis erudite de fame diſſerere volet. Porro generale omnibus præceptum CELSUS proponit, ut inediam quo minus inorexie fert quiſque, eo ſæpius cibum aſſumat. Id vero ſanis pariter atque ægris juxta commune eſt. Nam tanta hujus rei vis eſt, ut interdum etiam in medio febris impetu, etiam intempeſta nocte cibum extor-

Hipp. lib. 1. Aph. 13.

Senectus.

Parum firma Galeni in libri 1. Aph. 13. interpretatio

Lib. 2. Aph. 40.

Maximi uſus eſt. Hippocratis libro primo. Aphoriſmus 13.

Exhibendi cibi generale præceptum.

queat, idque exitii metu, quod in propinquo eſſet, ni protinus ægrotis alimento ſubventum ſit, videlicet duobus ex malis, quod magis urget, ad id dirigi curantis conſilium debet. Tum quoniam cubantis vires ſervare, nihil aliud quam ipſam ſervare vitam eſt, ſequitur ut nullo non tempore is qui deficit, ſit ſuſtinendus. Ceterum ætate increſcentibus liberalior cibus apprime utilis eſt, quia copioſo hi calore affluunt, rariore corporis ſunt textura, & non ſolum nutritionis ut ceteræ ætates, ſed & auctionis egent. Quibus nominibus calidæ quoque lotiones his ſunt conducibiles, ut quæ humectato affatim corpore, præproperæ ſiccitatis periculum arcent. Nec inutiles quoque hæ ſenibus creduntur, tametſi alia ratione iis conſerant quam increſcentibus. Senes enim quoniam exuperanter ſicci frigidique ſunt, calida lotio ſeu analepticum ac correctorium præſidium exigunt. Contrariis namque omnis cum alteratio tum ſanatio perficitur. At increſcentibus eadem hæc ut conſervativa temperamenti convenit. Conſervatio namque ſimilibus qualitate ac tota ſubſtantia auxiliis completur. Unicam hic demas poſtremam ſenectam, cui lavacra minus ſint idonea. Decrepitorum nempe corpora non ſolum parum colligunt fumidi excrementi (cui exigendo dulces undæ potiſſimum inſerviunt) ſed vires etiam poſſident infirmiores, quam ut balnei laxantis vim ſint ferundo. Quapropter TELEPHUS ille Grammaticus ingraveſcente jam ad centeſimum uſque annum ætate, non niſi bis hyeme, quater æſtate, ac ter vere, autumnoque in menſes ſingulos lavabat, ceteris mortalibus ea tempeſtate indies lavare ſuetis. Atque his ita definitis, ad vinum accedamus, quod CELSUS inutile eſſe pueris ſcribit, niſi ſufficienti dilutum aqua ſit. Græcis ὑδατῶδες appellant. Ea opinio maximis innixa rationibus eſt. Ut enim meracum immodice tum conſumit tum inflammat tenellum pueri corpus, ita dilutum contra hujus omnis expers incommodi efficaciter humectat. Sane conſtat PLATONEM adeo in pueris vinum horruiſſe, ut ejus uſum ex toto ipſis circumciderit. Nempe ſi potens hic Bacchi liquor ipſi etiam virili animo ſeu improbus quidam Tyrannus imperat, quid non de pueris futurum ſperes, quorum tenella mens fragili illigata corpuſculo rebus quam minimis violatur. Idque ſane Grammatici illius Romani puer evidenti teſtatus exemplo eſt, quem puerum GALENUS narrat, ſolus domi abſente præceptore cum eſſet, vehementius ſitiſſe, cumque deficiente aqua vinum pervetus a Grammatico repoſitum liberalius hauſiſſet, vigilem illico permanſiſſe ac dein febricitaſſe, moxque oborto delirio periiſſe. Ut vinum dilutum pueris, ita meracum utilius longævis eſt. Eſſe vero hoc ipſum oportet colore fulvum ſubſtantiaque tenue, ex quo triplex hic fructus ſenibus obvenit, felicior nutritio, membrorum omnium calfactio, ac ſeroſi excrementi per urinas expurgatio. Jam quod adſtringens vinum eſt, quodque vehementer craſſum, tum quod nigrum pariter ac dulce eſt, jecinori, lieni, & renibus obſtructionem inferunt, eaque de cauſa ſi liberalius ſumuntur hydropem atque calculum generant, ut hoc nomine ſenibus quoque futura pernicioſa ſint, quos ſenes nullum juvare aliud vinum poteſt, quam quod ſupra meracitatem ſit etiam diureticum. Neque vero his ipſis tantum, ſed & pueris vina nocent, quæ craſſa ſunt, dulcia, nec per ætatem ſat defæcata: Nimirum & flatus iſta movent, & exiles vaſorum meatus facile obſtruunt. Quod jam omnium poſtremo CELSUS docet, minus juvenum intereſſe, quæ aſſumant, & quomodo curentur, ii facile concedent, quibus obſcurum non eſt naturam multo robore fultam nihil propemodum

Increſcentes liberalius nutriendi.

Calida lotio cur pueris & longævis utilis.

Gal. 5. ſanit.

Vinum dilutum pueris aptius eſt.

Plato vino pueros ex toto abſtinendos cenſuit.

Gal. 2. Locorum aff.

Meracum ſenibus ac commodum eſt.

Quale vinum jecur, lienem, & renes obſtruat.

Senibus nullum vinum confert, quod non ſit diureticum.

Natura potens magnos caſus ſuperat, invalida parvis ſuccumbit.

non

non posse, imbecillam parvis etiam ærumnis succumbere. Illa pollent magis adolescentes, ac juvenes, hac fluctuant ipsi senes. Pueris etsi natura per se non est invalida, quia tamen raro fluxoque comprehensa subjecto est, nihilo magis quam ea quæ senes regit, erroribus par est sustinendis.

QUibus juvenibus fluxit alvus, plerumque in senectute contrahitur, quibus in adolescentia fuit astricta, sæpe in senectute solvitur. Melior est autem in juvene fusior, in sene astrictior.

¶ Integer hic est HIPPOCRATIS Aphorismus quem quia prolixo doctoque commentario GALENUS illustravit, non satis causæ putamus secundo exponere, ac multorum exemplo nulla necessitate ambages sequi. Quare ad ea quæ sequuntur, transeundum.

De varietate temporum.

TEmpus quoque anni considerare oportet, Hyeme plus esse convenit, minus sed meracius bibere, multo pane uti, carne potius elixa, modice oleribus, semel die cibum capere, nisi si minus venter astrictus est. Si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid & ipsum siccum sine carne sine potione sumere. Eo tempore anni calidis omnibus potius utendum est, vel calorem moventibus. Venus tum non æque pernicioſa est.

¶ Spatia omnis temporis pro syderum exortu & occasu Græci metiuntur. Veri enim initium Sol Arietem attingens, finem ortæ Vergiliæ faciunt. Æstas hic incipiens apparente Arcturo finitur. Sequiturque ordine Autumnus, & post hunc anni senectus hyems, ille Vergiliarum occasu, hæc inde orsa Æquinoctio verno terminantur. Atque hæc temporum anni apud HIPPOCRATEM, DIOCLEM, atque GALENUM circumscriptio est. At vero Arabs AVICENNAS in definiendis temporibus non astra, sed præsentem intuetur aeris tempestatem, idque tempus Æstatem reputat quod exuperanter calidum siccumque est; id Hyemem, in quo his contraria dominantur; id Autumnum, quod siccum & in altera qualitatum oppositione inconstans est; id denique Ver, quod inter cetera maxime attemperatum est. Sane hæc ista AVICENNÆ computatio, etsi parum est astronomica, non videtur tamen usquequaque rejicienda esse, nam omnibus ex æquo gentibus inservit, cum illa contra quæ apud HIPPOCRATEM atque DIOCLEM est, non nisi Græcis atque eorum synæcis esse usui possit. Etenim frigidis regionibus hyemes productiores, æstates contractiores sunt, calidis contra. Quinetiam ipse GALENUS profitetur anni tempora ab aeris notari tempestatibus, non item a vocum nomenclatura. Juxtaque hanc rationem, non hyemem nobis occidentes facient Vergiliæ, sed cœlum perseveranti humiditate ac frigore asperum. Tum igitur, ut CELSUS præcipit, plurimum esse convenit, quoniam innatus calor, ab ambientis qualitate in viscera fugatus, ibique multa sanguinis ac spirituum copia stipatus augescit. Comprobavit enim id HIPPOCRATES hoc Aphorismo: *Ventres hyeme ac vere natu-*

Anni tempora quomodo Græci distinguant.

Avicennasaliter atque Græci anni tempora notavit.

Anni tempora non voces, sed cœli tempestas facit.

Hyeme plurimum esse confert.

Hip. lib. 1. Aph. 15.

ra calidiſſimi ſomnique longiſſimi ſunt, quare per hæc tempora cibi copioſius ſumendi. Neque vero ſolius caloris ergo plus edendum hyeme eſt, ſed etiam muniendorum viſcerum cauſa adverſus ſævientis brumæ injurias. Calidis enim multiſque epulis intus incluſis, ventriculus hepar lienis ceteraque corporis penetralia in tuto ſunt. Quod nec HIPPOCRATES in *Epidemiis* ſilentio præterit, ſic inquiens: *Cibus ac ſomnus viſceribus conferunt*. Sed & POLYBUS hyeme utendum ſcadet copioſo ſiccoque alimento. Sic enim inquit: *Præfrigido hoc tempore optima valetudine uteris minuſque rigebis*. Quæ profecto cauſa eſt, quod non ſolum plus eſſe, ſed & meracius bibere conveniat. Id enim nihilo ſegnius atque cibus ab externo frigore viſcera tutatur. Jam quia corpus id temporis partim ambientis vi, partim voracitate hominum multa pituita oneratur, pocula parciora ac multus panis utiliora ſunt, illa enim minus adjiciunt humoris, hic potenter ſiccat & valentis nutrimenti eſt. Quoniam ad hunc locum perventum eſt, non abs re fuerit panis omnes differentias enumerare, ut conſtet, qui maxime ſalubris, qui noxius ſit. Ergo is paratur ex his frumentis quæ panificia vocant, triticum dico, milium, hordeum, ſiliginem & hujuſmodi. Siliginem voco non puriſſimam illam farinæ particulam, quæ demptis furfuribus ſupereſt, ſed id frumenti genus quod vulgo *Robus*, Gallice *du Seigle* nominatur. Optimus panis ex tritico eſt, poſt hunc ex ſiligine, uterque alias ex tota farina, quanta eſt pinſitur, eſtque omnibus pene familiis maxime frequens. Græcis ἄυτὶ, πύρος, & συγκὸ ἰσος appellatus. Poſt hunc ſequitur alius, cui bona furfuris pars non omnis detracta eſt, vulgo ſimilaceus ac ſemidalis dicitur. Accedit tertium genus, quod ex ſola ſiligine conficitur ſecreto per cribum furfure, unde & ſiligineus, & vulgo candidus appellatur. Noviſſimum locum is panis tenet, qui ex puro propemodum furfure pinſitur, detracta farinæ paulominus omni ſiligine, eſtque omnium viliſſimus, dictuſque ob id furfuraceus ac cibarius. Atque hæc genera panum apud nos hodie omnia ſunt in uſu, quibus GALENUS quintum genus adjicit, quod ejus ætate ex polline frumenti tenuiſſimo ad molæ parietem adhæreſcente indeque multis cum ſordibus deterſo confiebat. His omnibus ita definitis, ſaluberrimum panem eſſe perhibemus, qui ex optimi tritici tota farina confectus, juſtamque fermenti ac ſalis portionem adeptus, ac probe ſubactus moderato clibani aut furni calore percoquitur. Hic enim, non ita imbeciliter nutrire ut furfuraceus, neque ita ægre ad alvum ſidere, ut ſimilaceus, neque adeo vehementer obſtruere ut candidus ſolet. Poſtremum hunc non ſolum propria ſubſtantia, verum etiam apparatus obſtruentem facit. Nempe piſtores ἄζυμον inflatum ac guſtui (ſi Diis placet) ſuaviorem reddere ſtudentes loco fermenti, ac ſalis peſſimo exemplo plurimum cereviſiariæ fæcis maſſæ affundunt. Adde quod idem panis parum probe ſit piſtus, ex quo vis ejus obſtruens augetur. Quicunque enim panis (ut ait GALENUS) neque fermenti neque ſalis juſtam portionem accepit atque minus accurate coctus eſt, craſſum efficit & glutinoſum ſuccum, qui obſtructiones in jecinore, liene, ac renibus parere ſolet. Atque hæc de panum differentia ac viribus dixiſſe abunde ſit. Quod autem poſthæc CELSUS de carnis elixæ per hyemem uſu præcipit, id eo loco diſputabitur ubi de æſtate agetur. Ventum eſt ad olera, quæ ſi ex frigidis, mollientibuſque herbis, ut violis, ſpinachia, mercuriale, atriplice & ſimilibus conſiunt, parcius hyeme guſtanda ſunt. At vero non inidonea primo cibo cenſentur, quæcunque in horto naſcentia boni odoris veſcaque ſunt, quale eſt cherefolium, hyſſopus, betonica, apium, enfraſia, menta,

Hipp. VI. Epid.

Polyb. de vict. Idiotarum.

Hyeme meracius ac parcius bibendum.

Panis multus per hyemem utilis.

Ex quibus conficiatur panis.

Panis ex quo frumenti genere probatiſſimus.

Panis primum genus.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Panis ſaluberrimus quis.

Panis candidus vitioſus.

Olera qualia hyeme ſalubria ſint.

menta, petroſelinum, & ſi quæ his alia non imparia ſunt, utique ſi ſatis quoque acceſſerit momentum. Tum enim non ſolum ſeroſos humores per urinas pellunt, ſed & lentam ventris pituitam, quæ id temporis maxime cumulatur, diſſecant, detergentque. Porro quod ſemel duntaxat hyeme cibari expediat, & difflationis facit exiguitas, & caloris nativi integritas. Recte tamen CELSUS addit, niſi ſi minus aſtrictius venter eſt. Præſtat enim cibo ſæpius dato viribus ſubvenire crebra dejectione periclitantibus. Ceterum qui verſus Septentriones incolunt & Orientem Solem forte hanc per hyemem veſcendi normam haud temere reſpuerint, tum quia pro ingeniti caloris copia voraciores aliis nationibus ſunt, tum quia exinanita ſemel eorum viſcera frigentis auræ intemperie facile violantur. Prandendum igitur his quoque erit, idque ſiccum plane, ut CELSUS præcipit, ac ſine multa potione, ad minuendum ſcilicet pituitæ proventum. Qua itidem de cauſa, tum quoque uti conveniet omnibus calidis, ut vino meraco, thermis, exercitatione, acribus medicamentis, & hujuſmodi generibus aliis, quorum vis calfaciens partim propria in ſubſtantia vehitur, ut meraci, partim tota perpeſſo aliquid ab iis corpori debetur, ut exercitionis, frictionis, quæ ob id CELSUS calorem moventia nominavit. Venus id eo per hyemem ſatis commoda eſt, quod corpus ſiccet, calfaciatque, idque poſtremum non vacuati ſeminis facit occaſione (ſic enim refrigeraret) ſed propter contentionem illam quam Venus ciet omnium corporis artuum: quod quidem & effuſi per id tempus ſudores & invaleſcens ſpiritus teſtantur. Ut recte dixerit in *Epidemiis* HIPPOCRATES, Venerem affectibus omnibus pituitoſis opitulari. Tametſi ſæviente ſupra modum bruma aut natura ex morbo plus juſto debili recte GALENUS Venerem damnet, ut quæ tum corpus facere magis frigidum atque imbecille poſſit, non poſſit vegetum.

Hyeme rarius edendum.

Hyeme calidis cibis ac poculis utendum.

Venus per hyemum non omnino inutilis.

Hipp. VI. Epid. Venus affectibus pituitoſis utilis.

AT vere paulum cibo demendum, adjiciendumque potioni, ſed dilutius tamen bibendum eſt, magis carne utendum, magis oleribus, tranſeundum paulatim ad aſſa ab elixis. Venus eo tempore anni tutiſſima eſt.

¶ Ver quoniam inter cetera anni tempora optime attemperatum eſt; rerum omnium in victu mediocritatem quantum in ſe eſt, poſtulat, proin cibo hyberno qui plenus admodum erat, demendum, ac potioni quæ pauca, adjiciendum eſt. Dixi, quantum in ſe eſt, corporum quorundam cauſa, quibus id temporis frugalior victus ratio conducibilis eſt, ad arcendum plethoræ diſcrimen, quod fuſio humorum qui per hyemen uberius cumulati quaſi concreverant, minatur. Ejuſque rei cauſa nonnulli non ſolum parcius eſſe, ſed etiam medicamento perpurgari, aut inciſa vena ſanguinis plenitate levari primo vere debent, ne ſcilicet cum hoc præcipitat, aut certe æſtas viget, febris, hæmorragia, puſtulæ, catharrus, pleuritis, angina, peripneumiona, aut alterius mementaneæ partis alia inflammatio valetudinem turbet. Tum enim (ut alibi CELSUS teſtatur) quæcunque humoris motu novantur maxime in metu eſſe conſuerunt. Quæ profecto res fidem facit, non pie ſolum, ut ſemper, verumetiam medice vernali tempore inſtitutum ab Eccleſiæ Rectoribus jejunium fuiſſe, quo tempore (ſi unquam alias) moderata abſtinentia pleriſque omnibus conducit. Venturarum enim id ſæpe remedium ægritudinum eſt. Tametſi non deeſſe ſcio, quibus ea victus ratio viſa ſit inutilis. Atque HIPPOCRATEM (ſi Diis placet)

Ver totius victus poſtulat mediocritatem.

Vere nonnullis parcius victitandum eſt.

Vere ſæpe utiliter ſanguis mittitur aut purgatur.

Celſ. lib. 2. cap. 1.

Jejunium vernum medice quoque non tantum pie inſtitutum.

Error Fuſchii, præſcriptione cibi Vernalis.

teſtem

teſtem adducunt, qui ventres dixit hyeme ac vere magis calere, ideoque plenius eſitandum id temporis eſſe. Quaſi vero parum probe, id quoque nos intelligamus, nec ita, ut res eſt, putemus. Tale veri convenire jejunium, quale neque nimietate calorem afflictet, neque paucitate ſuperfluis impar ſit tollendis, ac proin ſuum quemque naturæ æquum cenſorem hic eſſe oportere, ne hac ſcilicet periclitante unquam quicquam jejunetur. Id namque non modo corpori inimicum, ſed ipſi etiam ingratum Deo eſt. Jam vero ſi corpus per æſtatem tot modis diffluens inedia peſſime tum accenditur, tum diſſipatur: ſi per Autumnum ſuccorum corruptelæ, ac peſtilentibus morbis ſit oportunum: ſi denique hyeme rigentis brumæ intemperantia intus foriſque cito violatur. Horumque malorum auctarium inanitio imbecillitaſque naturæ eſt, quod tandem tempore jejunare fas erit, ſi non verno, quum ſupra comprehenſa deſunt incommoda, ac tanta ab hac evacuatione expectantur commoda. *Advenante* (inquit ÆGINETA) *vere, hic quidem vomitionibus, alius alvi ductionibus, alius ſanguine miſſo vacuetur.* Quid, tantane admittemus etiam ſani remedia, inediam vero reformidabimus, quæ his omnibus, ut minus vehemens ita magis tutum auxilium eſt. Nec vero illud nos movet ſub inedia, ut nullum periculum, ita levius præſidium eſſe, nec poſſe vehementi malo, niſi æque vehemens auxilium ſuccurrere. Quam vero iis qui etiamnum valent tam repentina, tamque effuſa vacuatione ſemper adeo ſit opus, ac non ſæpius jejunio, exercitiis, balneis, & hujuſmodi, quæ paulatim ac placide, quod naturæ ſupereſt demant. Ipſum vero jejunium, aut quia non æque omnibus propter vitæ intemperantiam acceptum eſt, aut propter ſummam plethoræ ſyndromen parum efficax, nonnunquam miſſo per venam ſanguine, pharmacove dato GALENUS penſavit ſæpiſſime (ubi copia humorum præcipiti vacabat diſcrimine) ſolum imperavit. Non attinebit ulteriore diſputatione hujus loci probationem ſcrutari, ſi ipſum ſemel GALENUM luculentiſſimis verbis ita diſſerentem audierimus. *Medio autem adhuc Vere, magiſque ſi Æſtatis initium in propinquo eſt, & pauca eſſe, & ex magno intervallo convenit. Siquidem videntur homines hac tempeſtate non longe a plethorica affectione abeſſe propter fuſionem humorum, qui proxima hyeme collecti ac denſati fuerant.* Hæc ille. At hos tandem refractarios mittamus, quorum voces inſcitiæ comes error extuderit an invidia, incertum eſt. Porro quod CELSUS adjiciendum eſſe potioni docet, id hyemis reſpectu intelligas oportet. At dilutius bibendum recte præcipit. Nam tum ut corpus attemperatius eſt, ita omni qualitatum exuperantia offenditur. Quemadmodum enim reliqua anni tempora, propter eminentem intemperiem contrarium victum exigunt, ita Ver contra ſuæ temperiei ſimilem, proin tum neque aquam bibere, ut æſtate, neque meracum, ut hyeme, ſed vinum dilutum oportet. Caro autem aſſumenda eſt, propter nativi caloris, quod tum viget, robur, & ſucci qui ex hac provenit bonitatem. Illud jure aliquis mirabitur, ecquid CELSUS carnem, in qua plus valentis alimenti, quam in ullo alio eſt, Veri potius accommodarit, quam hyemi. Neque enim piſcium (ut quidam autumant reſpectu, ſed hyemis loquitur.) Nam ſi non hyemis, cujus tandem rei intuitu, magis oleribus, magis potione, magiſque ea diluta utendum ſcriberet. Ergo hic aut aliquis latet error aut carnem animalium cicurum & recentium quæ natura humidior eſt, CELSUS cogitavit. Nempe quæ ferarum eſt, quæque ſalibus durata, quoniam potenter ſiccat, & concoctioni rebellior eſt, hyemi profecto convenientior cenſetur. Ventum eſt ad Venerem, quæ ſi unquam alias certe ver-

Ægin. Lib. 1. cap. 53.

Gal. Comm. in lib. 1. Aph. 17.

Vere dilutius bibendum.

Spinoſus locus de eſu carnis per horas vernales.

Venus durante vere ſalubberrima eſt.

nan-

nantibus naturæ rebus, longe eſt ſaluberrima. Tum namque uberior ſeminis proventus eſt, & corpus multo nativi caloris robore pollet, & ipſum denique tempus moderatum, placidumque eſt ſic ut corpus venereis caloribus relaxatum neque ſubito frigore excipiat, ut hyems, neque plus juſto diſſipet, ut æſtas, neque vero debilitet, ut Autumnus. Sane hujus temporis commoditatem natura quoque brutorum oſtendit, quæ verno tempore, magis tum coitum appetere, tum fœta eſſe conſueverunt.

Bruta tempore Veris coitum magis appetunt & magis fœta ſunt.

De diæta ciborum potionumque.

ÆState vero & potione, & cibo corpus ſæpius eget. Ideo prandere quoque commodum eſt. Eo tempore aptiſſima ſunt & caro & olus, potio quam dilutiſſima, ut & ſitim tollat, nec corpus incendat. Frigida lavatio, caro aſſa, frigidi cibi, vel qui refrigerent. Ut ſæpius autem cibo utendum, ſic exiguo eſt.

¶ Æſtatis temperatura calida admodum eſt & ſicca, quare hac tempeſtate ab ambiente & corpus valide reſolvitur, & innatus calor foras diſperſus labefactatur. Quoniam autem multæ difflationis cauſa copioſo quidem nutrimento corpus eget; infirmus vero calor, non niſi pauca conficit, neceſſum eſt, ut cibus & ſæpe & exiguis portionibus aſſumatur. Quæ cauſa eſt, quare non ſolum prandere, ut CELSUS monet, ſed forte etiam jentare conveniat. Haud enim aliter quam bilioſam naturam inedia peſſime afficit. Ita eadem ipſa quoque id anni tempus maxime reſpuit quod humorem adjicit bilioſum. Ac ſic de æſtivi cibi quantitate ſentiendum eſt. Qualitas autem ad frigidum & humidum inclinare debet, quo corporis retundat ab aere contractam intemperiem. Cujus rei cauſa potio quam dilutiſſima, tum quoque commodior eſt, ut quæ ſitim pellit, & corporis ardores mitigat. Durum videatur quod de carnis multo eſu ſcribitur, nam ſuperioribus locis demonſtratum eſt carnoſa ante omnia pene ciborum genera, ut plus alere, ita magis quoque calfacere. Forte offerenda caro eſt amplioris nutritionis gratia, cujus maxima per æſtatem neceſſitas eſt, ac ſi quod ſit nimiæ calfactionis a carne periculum id frigidis oleribus, id dilutiſſima potione minuatur. Aut hoc ſenſu locus hic intelligendus, aut mendo obnoxius eſt, quod quidem ita eſſe, non levis eo conjectura eſt, quod uno loco bis carnis Author meminerit. Olerum per æſtatem maxima vis eſt, ſive ea ex frigidis mollientibus, ſive ex acribus diureticis parabuntur: Hæc enim ſuperfluam bilem per urinas exigunt, illa hujus acrimoniam refrigerio minuunt, alvum movent, & corpus humectant. Per hoc tempus frigidæ quoque lavatio multis nominibus confert, nam infracto calore extranea, nativi integritatem tutatur: adhæc corporis difflationem, quæ tum effuſiſſima eſt, cohibet, pulſis intro ſuccis, cuteque foris denſata, ut ne dicam quoque nullam corpori vim a frigidis undis inferi carnibus, undequaque omnibus per ambientem calfactis ac ſic crudam, frigidam, ne interna violet, prius edomantibus. Ventum eſt ad carnem aſſam, quæ an per æſtatem præſtet elixæ in controverſiam veniſſe apud multos video, habetque ſuos utraque opinio haud ſpernendos Authores. Ex his multi ſic ſentiunt, ut ſimilia ſemper ſimilibus conſervantur, ita corpora quæ rebus incoquuntur humidis fidelius nativam cuſtodire

Æſtate corpus calorque diſſolvitur.

Æſtate ſæpius at parcius edendum.

Qualitas cibi per æſtatem frigida & humida.

Potio dilutiſſima.

Locus ſub. difficilis.

Olera per æſtatem convenientiſſima.

Caro aſſa debeat necne elixæ per Æſtatem præferri.

dire humiditatem, ac proin aſſas carnes, dum æſtas eſt, elixis ſeu humentioribus poſthabendas eſſe. Nituntur hi authoritate duorum Medicinæ columinum HIPPOCRATIS atque GALENI, quorum uterque uno ore aſſa hyemi, elixa æſtati obſonia dicavit. Refragantur iſtis ARISTOTELES ac CELSUS, hic Romanorum Medicorum, ille Græciæ Philoſophorum facile princeps. Eorum hæc fuit ſententia. Quoniam aſſatarum carnium ſuperficies omnis ab objectis prunis denſatur factaque per uſtionem eſchara clauditur, ob id naturalem, his ſuccum intus includi, neque per duratos violentiore igne muſculos tranſmitti poſſe, eoque protinus fieri, ut multo elixis ſint humidiores, quibus omnis pene humor in aqua perit, aſciſciturque novus, qui ignavus plane nec coctæ ſubſtantiæ proprius eſt. Utrius vero partis ſententia probabilior ſit, nec facile, nec tutum dicere eſt. Cui enim unquam dubia fuit iſtorum virorum authoritas, cui rurſus non perſpecta tot hodie rabularum prona ad cavillandum malevolentia. Libuerit tamen vel candidi lectoris gratia meam hic opinionem interponere, idque juris mihi poſcere, quod omnibus dari æquum eſt. Scrutandæ ſine ambitione veritatis ſtudio, recta dicenti fidem, erranti veniam deberi. Ergo totus & mente & animo in majeſtatem CELSI, atque ARISTOTELIS intentus, non video neque cur hos damnem, neque quid roboris opinioni adferam HIPPOCRATIS, atque GALENI, quibus argumentorum penuria undique laborantibus unica hæc ſupereſt, ad evadendum via, ut ſi forte carnes elixas, ac jurulentas pro eodem habuerint. Jurulentas noſtri paſſim nominant, quæ pingui obrutæ jure ſupra prunas, diu multumque infervent, Elixas vero, quæ ſumuntur ſine jure, ſine pinguendine penitus ut coctæ in aqua ſunt ſinceræ, decocto in offas prima menſa inſumpto. Jurulentæ humidiores, elixæ ſicciores ſunt, illæ plus, hæ minus alunt. Iſta autem carnium diſcrimina apud CELSUM quoque lib. 1. cap. 18. invenio in hunc modum ſcripta. Tum res eadem magis alit jurulenta, quam aſſa, magis aſſa quam elixa. Et quidem poteſt iſtorum virorum ætate, carnis jurulentæ Græcis, elixæ Romanis uſus fuiſſe. Sed hic prætextu forte non omnibus fecerit ſatis, qui de hac re controverſiam movent. Itaque contra CELSI adverſarios prima hæc conſtituatur machina, cujus vel ipſe fabricator GALENUS eſt. Nullum eorum corporum quæ elixantur proprium humorem retinere poſſe. Quod ſi verum eſt, ſequitur imbecillas humectandi vires elixis carnibus naturaliter eſſe. Iſta vero omnia ſic accidunt. Quoniam aqua ſubjectis ignibus fervens in omnem ſeſe carnis partem tranſmittit, protinus rarefacit, reſolvitque nativam ejus humiditatem. Subit vero in vacuata carnis ſpatia novus mador ab ipſa qua cum decoquitur aqua aſcitus, qui quidem diluere utcunque ſolida poteſt, at vera implere humiditate non poteſt. Ceterum aſſæ carnes nequaquam his ſubjacent incommodis: Nam arcte fideliterque propriæ ſubſtantiæ madorem ſervant, aſtricta per uſtulationem ſuperficie, quo fit ut cum intro ſumuntur ab his plenius quam elixis corpus madeſcat. Quid enim efficacius, quid felicius, ſiccitate attrita ſolida humectet, quam quod nutriendo id facit. Nimirum ſi humiditas illa naturalis ſolidis partibus ceu ros quidam circumfuſus admodum æſtate perit, hanc vero corpori iterum inſerere ſine nutrimento non eſt, quis dubitet per hæc tempora, iis potiſſimum opus eſſe cibis qui abſque vehemente calore vehementes ad ſolida genuino humore reficienda vires poſſident. Humectat corpus frigidæ poculum, humectat unctio, humectant & potabilium aquarum balneæ, at non perinde feliciter, ut ova aut gallinaceorum teſticuli. Illa ignavum

vum partibus humorem affundunt, quo utcunque cavent, ne propere corpus ſicceſcat, hæc cum id præſtent quoque, tum ejus inſuper quod ſiccitate obtritum eſt, ſubſtantiam eximie reſarciunt. Hanc opem æſtivis menſibus maxime requirimus, quum corpus non tantum areſcit, ſed immodice etiam diſſipatur. Jam vero quanto præſtabilius eſt ſiccitatem tardari reſtituto humido, quam hoc vix adaucto, ne nimium ejus in poſterum pereat, duntaxat caveri, tanto utique operabiliorem carnium aſſarum humiditatem, ea quæ ab elixis venit, credendum eſt. Quippe ſuus elixis pene omnis humor periit in coctam una cum ipſis aquam depoſitus. Cujus pars ſuperficiei aquæ ſuperinnatat, offis & oleribus parandis dicata, pars in totam decoctæ aquæ ſubſtantiam extenſa eſt, cujus occaſione jus carnis elixæ tantopere nutriens eſt. At hic iſte humor in aſſis ſervatur. Ideoque medici ex eo analepticum auxilium convaleſcentibus parare volentes, carnem ab igne etiamnum calentem cultello profundis ictibus inſecant, ac mox late circumdatis, ſi opus eſt ferramentis preſſant, inter quæ protinus roſcidus ille liquor ubertim emanat ſalutiferum extenuatis futurum remedium. Neque vero his repugnat, quod in Anaſarca, aſſatis, in febribus acutis magis elixis utamur. Non enim in his tam nutritionem quam morboſæ qualitatis alterationem ſpectamus, adeoque ſine aliquo naturæ rictu ſub uſu alimenti maximam medicamenti potentiam experimur. Non ita obnixe pugnandum contrariis in homine ſano eſt, cui ut æſtas functiones nondum vehementer debilitavit, ita calfactionis ſiccationiſque, ſi quod initium aſſa dederint, id frigidæ aquæ potu, id frigidis oleribus adimitur. Ipſa vero in anaſarca aſſis utimur ſeu minus quam elixa ignavi aquoſique humoris adeptis, qui humor in hoc genere morbi affluentiſſimus eſt. Repetam id quod ante argumentis & ratione & ſenſu ſtabilitis oſtendi, cum ad hujus rei faciendam fidem, tum ad totius diſputationis concluſionem. Elixas carnes aſcititio humore plus humectare, aſſas ingenito, his majores vires ad nutritionem, illis ad alterationem obtigiſſe.

Analepticon ex aſſis carnibus remedium.

Objectio.

Solutio.

Autumnalis dieta.

PEr Autumnum propter cœli varietatem periculum maximum eſt. Itaque neque ſine veſte, neque ſine calceamentis prodire oportet, præcipueque diebus frigidioribus, neque ſub divo nocte dormire, aut certe bene operiri. Cibo vero jam paulo pleniore uti licet, minus, ſed meracius bibere. Poma nocere quidam putant, quæ immodice toto die plerumque ſic aſſumuntur, ne quid ex denſiore cibo remittatur. Ita non hæc, ſed conſummatio omnium nocet. Ex quibus in nullo tamen minus quam in his noxæ eſt. Sed his uti non ſæpius quam alio cibo convenit. Denique aliquid denſiori cibo cum hic accedit, neceſsarium eſt demi.

§ Autumnus natura ſiccus eſt, ac in caliditate, & frigiditate varius. Nempe unus ſæpe dies calet, alter friget, interdum eadem quoque die meridies æſtuoſus, aurora, nox, Veſpera frigore aſperrima ſunt. Inordinata hæc tempeſtatum varietas Autumnum maxime formidabilem facit. Nam modo calorem perpeſſi humores modo frigus parvo ſubinde momento vitiantur, ex quo Epidimiæ graſſari in populum ſolent. Omnibus enim id

Autumni temperatura.

Autumnum quid reddat periculoſum.

id periculi juxta commune eſt, quatenus uno omnes cœlo rigimur. Proin recte obſervavit HIPPOCRATES. *Ubi eodem die modo calor, modo frigus urget Autumnales morbos in propinquo eſſe.* Aliud per hæc tempora incommodum eſt, quod CELSUS ſecundo libro adnotavit, cum corpus & præterita æſtate, & ſubinde meridianis Autumni caloribus relaxatum, ſubito frigore excipitur, eaque de cauſa cum HIPPOCRATE noſtroque hoc Authore Autumnum perhibemus periculoſum ac morbis exitioſis obnoxium. Is enim fere diuturnis malis fatigatos interimit, alioſque novis morbis ac diuturnis implicat, ſic ut tracta ſæpe univerſa hyeme vix ultimo tandem vere ſaneſcant, quod cum aliis in morbis fortuitum, tum fere perpetuum Autumnali quartanæ eſt. Ergo ut inæqualis hæc aeris noxia levior fiat, CELSUS cavet, ne quis ſine veſte, ſine calceamentis prodeat, aut noctu ſub Jove quieſcat. Adjicitur Autumnalis auræ periculo multus pomorum uſus, quæ Græci ὀπώρας & καρπὸς ὡραίους, nos fructus fugaces ſeu temporarios appellamus. Hos intemperantius ediſſe, gravis interdum valetudinis initium facit. Id quod in ſe ipſe comperiſſe GALENUS ſcribit: qui cum nondum puberem ætatem egreſſus horæis fructibus inter ſuos æquales præter modum veſceretur, & quotannis fere ob id febricula aliqua conflictaretur, non ante ſe rectius valuiſſe refert, quam defuncto patre jam tum per ætatem plus ſapiens ſolitam victus rationem mutaſſet. Illud tamen imprimis noviſſe oportet, non ita poma (ut ÆGINETA exiſtimat) perpetuo nocere, quin ſæpius ſint quoque extra noxiam. Sunt enim ex his permulta ſaporis guſtuſque nomine naturæ gratiſſima, facillimeque horum ſuccus (ſuſtantia enim tota fere alvo ſubtus exit) a ventriculo ac venis concoquitur. Unicum id incommodum eſt, quod eorum qui per ſe ſæpe innoxius ſuccus eſt, interdum vel propter nimium luxum, vel ei cui non expedit ventriculo ingeſtus, nocens reddatur. Sanguinem enim aquoſum, tenuemque, ut ipſe eſt, facit, qui ſanguis quia cito alteratur, citæ quoque corruptioni opportunus eſt, ideoque ardentiori exceptus ventriculo bileſcit, frigido coaceſcit. Æque profecto ut lac in calido ſiccoque ventre bilioſum, in pituitoſo acidum redditur, non quia tale ante ſumptionem fuit, ſed quia abs quavis vehementiore qualitate promptiſſime demutatur, adeo ut hac de cauſa GALENUS omnes uno ordine fructus Autumnales habuerit, ſucci pravitatem ipſis tribuens. Tametſi quæ poma impenſe ſunt acida ut frigidos oblædere ſemper, ita nunquam calidis nocere deprehenſum eſt. Hic enim ſapor caloris vires ſpernit, imo ſuperat quoque, & ob id ſole aut febri exæſtuantibus ardores minuit, ac ſitim levat. Quæ vero poma ἄποια quæque mitia, aut inter hæc media ſunt, omnia narratis incommodis ſubjacent. Nam quod ab his nutrimentum corpori accedit, cum ſit humectum, atque ſubtile, prompte in calido ventriculo vitiatur, concurrentibus ambabus corruptelæ omnis cauſis, calore ſcilicet, & humiditate, unaque etiam ἐξ ἐπιμέτρου accedente totius ſubſtantiæ ad patiendum proclivitate. Sic enim humida calore incenſa celerius putreſcunt. Ideoque recte GALENUS dixit horæos fructus, ſi in ventre corrumpuntur, ſimiles fieri lethalibus venenis. Poma igitur nocentia, non ſua natura, ſed hominum abuſus facit, qui hæc reclamante corporis natura ingerunt, aut ea etiam aſſentiente toto die ſic aſſumunt, ut ni ex denſiore cibo remittatur. Vix enim omnibus his ſuperandis abunde eſſe natura poteſt. Sed & ſolidus cibus quia tarde vincitur, pomorum autem ſuccus hoc longe promptius, protinus fit, ut vel immoderatius, vel præpoſtero quoque ordine ſumpta, ex facili ambo ſimul corrumpantur, nihilo ſane minus, quam ſi quis intemperantius lac

cum

Hip. lib. 2. Aph. 4.

Autumnus periculoſus.

Fructus fugaces, ſeu temporarii.

Poma ex ſeſe non ſemper nocent.

Poma unde fiant noxia veſcentibus.

Poma acida frigido corpori noxia, calido ſemper utilia.

Poma nocentia abuſus facit.

cum ſuilla, aut piſces (ut Germanorum mos eſt) cum bubula eadem ſumere menſa ſuſtineat. Ergo ſic victantibus poma non per ſe, ſed (ut diſerte CELSUS ſcripſit) conſummatio omnium nocet, ferculorum ſcilicet ac fructuum. Hæc iſta intuenti, manifeſtum eſt, ſic veſci pomis quemque oportere, ne ad hæc ſæpius quam ad alium cibum feratur, tum ne dum iis veſci in animo eſt ſolitam alterius cibi portionem retineat. Huc addas, quod proximo ante hoc capite CELSUS admonuit, poma melius ſemper primo cibo aſſumi: Nam poſt ſumpta coaceſcunt, flatus movent & cibos corrumpunt. Tametſi non ignoramus, ſi quæ valde aſtringentia ſunt, ea modice guſtata remotis menſis utilia eſſe ad cogendum roborandumque ventriculi oſculum. Atque hæc de pomis ſufficiant. Reliquum eſt, quæ cibi menſura Autumno conveniat proponere. Hæc duabus fere de cauſis plenior eſſe debet, primo quod calor proxima æſtate affatim diſperſus, remittente ſe jam aeris fervore, paulatim ad interna repere, atque ibidem ſumere vires incipit, ideoque cibum magis tum exigit, tum coquit. Secunda cauſa eaque præcipua eſt, incipiens quædam humorum corruptela ab tempeſtatum inæqualitate genita, quæ niſi novo ſæpus chymo contemperetur, protinus in evidentiſſimum putredinis vitium excreſcit. Recte eamque GALENUS ſic affectis humoribus alternatim modo labem purgatione demit, modo novum ac probum nutrimentum affundit, eſtque hæc ab eo curandi ratio ἐπίκρασις appellata. Nec pugnat illud HIPPOCRATIS: *Impura corpora, quo magis nutries, eo magis lædes*. Nam iſtud proditum eſt de exacta cacochymia, quæ purgationem, non attemperationem poſtulat. Minus hic, ſed meracius bibendum eſt, comparatione æſtatis, quia minus Autumnus corpora tum calefacit, tum ſiccat.

Pomis quomodo veſcendum.

Autumno cibus plenior convenit, & quibus de cauſis.

ἐπίκρασις. *Hip. lib. 2. Aph. 10.*

Autumno & minus & meracius bibendum eſt.

NEque æſtate, neque Autumno utilis Venus eſt. Tolerabilior tamen per Autumnum, Æſtate vero in totum, ſi fieri poteſt, abſtinendum.

¶ Venus id temporis, & ſalubris & tuta maxime cenſetur, quum propter caloris integritatem vires optime conſtant, ac ſemen abundat, eaque cœli temperies eſt, quæ laxatis hac contentione corporibus nullum vel diſſipationis, aut refrictionis periculum minetur. Ergo per æſtatem tribus de cauſis Venus nocet, nam tum & imbecillus calor eſt, & vehementius corpora diffluunt, ac tertio parciſſimus genituræ proventus eſt. Et quis jam igitur dubitet, concubitu, cum æſtas eſt, in totum, ſi fieri poteſt, abſtinendum. Idem concubitus Autumno, etſi non perinde gravis, ſemper tamen inutilis eſt, tum quia aer corpus arefecit, tum quia calorem ingenitum nubium inconſtantia debilitavit.

Venus quando potiſſime utilis.

Verum Per Æſtatem nocentiſſima eſt.

Venus Autumno, non uſquequaque conveniens.

CAPUT IV.

De his qui aliqua parte corporis laborant, ac primum de his quibus caput infirmum eſt.

PRoximum eſt, ut de his dicam qui partes aliquas corporis imbecillas habent. Cui caput infirmum eſt, is ſi bene concoxerit, leviter perfricare id mane manibus ſuis debet, nunquam id ſi fieri poteſt, veſte velare, aut ad cutem tonderi, utileque lunam vitare, maximeque ante ipſum Lunæ, Soliſque concurſum, ſed nuſquam poſt cibum progredi. Si cui capilli ſunt, eos quotidie pectere, multum ambulare, ſed ſi licet ſub tecto, neque in Sole, ubique autem vitare Solis ardorem, maximeque poſt cibum & vinum, potius ungi quam lavari, nunquam ad flammam ungi, interdum ad prunam. Si in balneum venit, ſub veſte primum paulum in tepidario inſudare, ibi ungi, tum tranſire in calidarium, ubi ſudabit, in ſolium non deſcendere, ſed multa calida aqua per caput ſe totum perfundere, tum tepida uti, deinde frigida, diutiuſque ea caput quam ceteras partes perfundere, deinde id aliquandiu perfricare, noviſſime detergere & ungere.

Partium imbecillarum prophylaxis.

¶ Hactenus CELSUS eas affectiones poſuit, quæ in totis conſiſtere videntur corporibus, ſeu illæ intemperiei ſeu indecentis habitus vitia eſſent. Nunc vero prophylaxin aggreditur, quæ cuique privatim membro, ſi id imbecillum eſt, debetur. Ex membris alias unicum, alias plura ſimul imbecilla ſunt. Difficilis noxa eſt, ubi partes alicui trium vitæ principiorum famulantes intemperatæ ſunt. Difficilior, ubi ipſa principia contrario inter ſe temperamento diſſident, veluti cum caput friget, hepar calet. Nihilo hoc levius malum eſt, ſi non bene ventriculo cum hepate ac renibus convenit. Poſtrema hæc ad calores, ille ad contraria proclivis eſt. Aliorum frigidus venter bile affligitur, aliorum calidus pituita. Qui ſic afficiuntur homines, maxime, Authore GALENO, valetudinarii ſunt, adeo ut ſi vel ipſum his præfeceris ÆSCULAPIUM, noxam tamen vix ulla arte ſtudioque effugiant, neque admodum eſſe vitales poſſint, aut certe, ſi forte ſenectam attingant, perpetua invalitudine fluctuent. Nimirum ſic fere accidit, ut quæ uni parti conveniens medela eſt, ea protinus alteri pernicies ſit, ut neſcias alterutri ſuccurrere, niſi alteram lædas. Nam quæ jecinoris ardores abolent, ea frigidum ventrem in ipſo tranſitu violant, quæque rurſus huic medentur ea jecinoris intemperantiam exaugent. Eadem incommoda ſunt, ſi acris ex calido capite ſanies in ventrem defluat, aut ex hoc rurſum craſſus cruduſque halitus in illud tendat. Inde enim in capite ſuperflua coeunt, in ventriculo concoctio ſubvertitur, utrobique pars vehementer debilitatur. Nempe hepate (ſi voles) immodice calido, ventriculo autem frigente, neutrobique fieri optata concoctio poteſt. Ventriculo enim ante tempus alimentum eripitur. Hepar imperfectum id ac probo faciundo ſanguini ineptum at-

Pugnantia inter ſe principum partium temperamenta valetudini incommoda.

Gal. 6. ſanit. Quinam maxime valetudinarii, ac minime vitales ſint.

Excrementorum ex una parte in aliam defluxus periculoſus.

attrahit. Inde adeo longo jam uſu compertum eſt, per hepatis ac renum ardores aſſidua cruditate ventrem urgeri. Ita profecto ut mutua in his viſceribus pernicies ſit, quæ eſſe inter ſe oportuit beneficio mutuo devincta. Ergo ſic affectarum particularum procurationem CELSUS aggreſſus, a capite incipit, cujus male affecti curatio periculorum ac tædii plena numerari inter difficillimas poteſt. Capiti enim imbecilla vis obtigit, cum ad cavendum excrementi proventum, tum ad proprios affectus diſcutiendos, quatenus per ſe ſuffrigidum, ac longius ab caloris inſiti fonte remotum eſt. Quippe ejus rei incommodum præſentiens parens Natura, plurimos maximoſque canales cerebro contulit, quibus id indies expurgaretur, nares dico, palatum, aures, calvæ commiſſuras, ipſoſque aliqua ex parte oculos. Adjicitur affectionum periculo ipſe capitis ſitus. Nam id quia in alto corpore poſitum eſt, ſubjecta loca, ſuperfluorum, quæ multa naturarliter colligit, defluxu prompte afflictat. Inde adeo, ut ARISTOTELES hominem eſſe quaſi ſubverſam arborem dixerit, parte corporis omnium humectiſſima ſupra cervices impoſita, ideoque hominem præ ceteris animantibus maxime deſtillationibus urgeri. Scilicet ipſe Deus cum prona (ut ait NASO) ſpectant animantia cetera terram: *Os homini ſublime dedit*. Sane hujuſce deſtillationis tanta vis eſt, ut nunquam non difficiles, ſæpe exitioſos quoque morbos inferat. Leviſſimum malum eſt, ubi in narium ac palati ſpatia fluxio decumbens emunctione ſpuitioneve extunditur. Hoc minus leve, ſi oculos, ſi aures, aut dentes tentat. Grave admodum eſt, ubi gulam ac ventriculum impetit. Graviſſimum, ſi larinx hanc aſperaque arteria ac pulmones excipiunt. Tum enim ſi ignavum eſt, quod influit, vocem violat, ſi acre, præter hoc exulcerat quoque non tantum has partes, verum ipſos etiam pulmones, adeo ut hinc ſæpe gravis oriatur tabes, ea quæ hominem ſpacio conſumit. Si vero in ventrem deſtillans humor illabitur, appetentiam alias diminuit, alias depravat, ac ſemper quæcumque aſſumpta ſunt alimenta corrumpit, ſæpeque ſi acris eſt, ventriculi tunicas erodit, ac diarrhæas movet. Quin etiam longe inferius ſidens jejunum inteſtinum, atque colon afflictat, ipſaſque interdum meſareias convellit. Hæc mala omnia nemo rectius caverit, quam qui caput ceu fontem unde iſta ſcaturiunt, ita communit, firmatque, ut excrementa neque gigniat, neque jam genita in commemorata ſedes exoneret. Ergo capitis imbecillitas hæc, ut a multis cauſis, etiam contrariis pendet, ita unam veluti proximam nunquam non ſequitur, quæ eſt proprii caloris imbecillitas. Quippe calor innatus virtutum functionumque Author eſt, quæ impediri abs quavis intemperie poſſunt. Itaque ſolius imbecillitatis CELSUS meminit ſine cauſæ alicujus adjectione. Nam ea qualiſcunque demum fuerit, contrariis abolenda eſt, quemadmodum ipſemet Author ſuperius ſatis inſinuavit, quando calidos dixit refrigerari, calfieri frigidos oportere. Tum quarto poſt hoc volumine luculenter docet, permagni referre, quæ cauſa dolorem moverit, neque perinde eſſe, initium morbi calor attulerit, an frigus, aliaque auxilia urgente calore, alia frigore dominante neceſſaria eſſe, videlicet præſentes morbos ſanare nemo poteſt, qui unde hi ſint, ignoret. Proin idem Author alias monuit, ubi cauſa quoque mali incognita eſt videre oportere, refrigerantia magis, an calefacientia leniant, & his uti quæ exprimentum approbarit. At vero hic quæ CELSUS proponit, auxilia, hæc imbecillo capiti eque convenientia ſunt, quia ingenitum ipſi calorem concoctionis authorem tutantur; quemadmodum paulo poſt a

Capitis affectus, cur difficiles.

Ovid. I. Metamorph. Deſtillationis pericula.

Capitis imbecillitatis unica eſt propinqua cauſa.

noſtro CELSO docebitur, concoctionem omnibus vitiis ſuccurrere, aliis autem calorem, aliis frigus. Sed illud quoque ante omnia ſcire convenit, non de iis hominibus Authorem hoc loco agere, quos jam nunc capitis mala premunt (horum enim curatio ad Therapeuticen attinet ſanitatis tuendæ profeſſionem excedens) ſed quibus abſque morbo caput imbecillitate vel fortuita, vel naturali urgetur, ſic ut hinc facillime id ægrotet. Ergo ejus incommodi præcautio ipſius roboratio capitis eſt. Ac roboratur quidem id iis cauſarum ſalubrium generibus, quæ quoquomodo calori ejus, tum tutando, tum augendo inſerviunt. Illa vero hoc deinceps ordine ſequuntur. Ac primum quidem perfricari leviter caput non inutile eſt, ex quo inſitus ipſi calor excitatur, rarefactaque cute, ſi quæ ſubtus hac latent ſuperflua tranſpirant. At vero id fieri non niſi perfecta concoctione oportet, ne cruditas moveatur, quæ caput emiſſis ſurſum vaporibus affligat. Adhæc caput quoque ſi fieri poteſt, nunquam veſte velandum eſt. Nam ſic cuivis aſſuefactum aeri, contra omnes ejus injurias duratur. Etſi id tentare ſæviente bruma parum tutum eſt, ac pernicioſum quoque, ſi aliquo jam morbo caput ægrum eſt. Tum enim undecunque laboratur imbecillitate, morbo, frigore. Atque hæc animadverſio per graviores etiam æſtus neceſſaria eſt. Per velationem intelligas oportet, curioſam capitis cuſtodiam multis operimentis indulgentius quæſitam. Nam pileolo id leviter integere non alienum eſt. Jam vero neque ad cutim tonderi caput expedit, ne capillitii munimine deſtitutum ad propulſandas cœli injurias, fiat invalidum, tametſi æque propemodum inutile eſt, idipſum ingenti pilorum ſylva fovere, unde ſuperfluorum intercipiatur exhalatio. Utile perpetuo eſt Lunam vitare, ut quæ vim nacta eſt humores commovendi, atque his loca quæ irradiat, implendi. Quippe hæc ante ceteros planetas humido potiſſimum elemento dominatur. Nam interpoſitis temporibus mare modo inflat, modo contrahit, tum menſes in mulieribus commovet, oſſium medullas quibuſdam in beſtiis adauget, cruentoque madore aſpergit, nonnullis turbato cerebro inſanias affert, quos ob id Lunaticos appellamus. Adeo apparet recte id ceciniſſe *LUCANUM*: *Luna ſuis vicibus Thetin, terrenaque miſcet*. Ergo ut hæc præ ceteris mundi elementis aquam magis permovet, ita in hoc noſtro corpuſculo ceu quodam μικροκόσμῳ eam partem gravius infeſtat, quæ reliquis humidior ſimul & frigidior eſt, ipſum videlicet cerebrum, quod ſi per ſe inſuper imbecillum eſt, protinus per aſpirantem Lunam multo humido eoque perturgente oppletur, id quod eorum quoque exempla docent, quibus ſub hac quieſcentibus caput gravatur, & interdum cruor e naribus manat. Porro nuſquam poſt cibum progredi, ſed quieſcere oportet, ne quis inutilis vapor ex permoto ventriculo ſurſum aſpiret. Jam capillos etiam non alia de cauſa indies pexos eſſe convenit, quam qua caput perfricandum propoſuimus. Præter hæc confert multa quoque ambulatio, tum quia id exercitii genus ſuccos minus turbat, tum quia ſuperfluorum corporis impetum ad inferiora magis avertit, nequicquam mentis arcem ſollicitans. Supra enim ex GALENO demonſtravimus, ſupernæ partis affectus, inferiorum exercitatione juvari. Fieri vero iſta ambulatio ſub tecto debet, ubi aer & quietior & temperatior eſt, moderatius æſtate calens, atque hyeme frigens. Sol quoniam caput tum incendit, tum excipiendis ſuccorum halitibus exponit, curioſe vitandus eſt. Ἔγκαυσις enim omnis imbecillo capiti ſiquid aliud nocentiſſima eſt, idque poſt cibum præcipue ac vinum, quæ promptiſſime id temporis eo ſub-

Quæ caput firment.

Friction lenis.

Caput imbecillum per hyemem minime detegendum.

Caput debile nunquam ad cutem radendum, ut nec onerandum nimia coma.

Luna capiti infirmo vitanda.

Luna humido elemento dominatur.

Dormientibus ſub Luna caput grave fit, & ſanguis e naribus ſtillat.

Sol infirmo capiti inimicus.

ſubvolant. Modo oſtenſum eſt, ſuccorum corporis commotionem infirmo capiti adverſari, ex quo conficitur, unctionem potiorem balneo hic eſſe oportere, ut quæ hæc minus ſuccos exagitat, nec perinde caput vaporibus laceſſit. Eadem cauſa eſt, quare nunquam ad flammam ungi, raro ad prunam expediat. Tepeſcens enim aer ad hæc omnia commodior eſt, quia minus inflammat. Nec vero alio ſpectat, quod corpus ubi ad balneas ventum eſt, nequaquam ſolio committere tutum ſit, ſed totum poſt modicos ſudores poſtque unctionem per caput expediat multa calida aqua duntaxat perfundi, ut ſic excrementa tranſpirent, turbatis quam minimum ſuccis. Poſt calidæ affuſæ uſum CELSUS primum tepida, mox frigida aqua per totum corpus irrigat, quo recluſa ſpiracula deferveſcente capitis ardore paulatim coeant, idque ne ſubſequens frigida violenter intro ruens cerebrum violet. At hac caput diutius ceteris partibus diluendum eſt, ut inſitus ipſi calor ab extraneo frigore intro fugatus vires ex ſtipatione colligat, multoque tandem copioſior ad cutim ex alto recurrat, quod ut quidem citius eveniat, caput poſt affuſam frigidam aliquandiu perfricabitur. His ita adminiſtratis, caput detergitur, ne qui toti undique comæ inhæreſcit mador cerebrum frigore tandem afflictet. Noviſſime autem eadem pars inungitur, quo fidelius caloris per frigidam aucti ſubſtantia intra habitum incluſa teneatur.

Capite imbecillo unctio balneis anteferenda eſt.

Solum infirmo capiti noxium.

Caput debile primum tepida, dein frigida aqua lavandum.

CApiti nihil æque prodeſt, atque aqua frigida. Itaque is cui hoc infirmum eſt, per Æſtatem id bene largo canali quotidie debet aliquandiu ſubjicere. Semper autem etiamſi ſine balneo unctus eſt, neque totum corpus refrigerare ſuſtinet, caput tamen aqua frigida perfundere. Sed cum ceteras partes attingi nolit, demittere id ne ad cervices aqua deſcendat, eamque, ne quid oculis aliiſve partibus noceat, defluentem ſubinde manibus ad os regerere. Huic modicus cibus neceſſarius eſt, quem facile concoquat, iſque ſi jejunio caput lædit, aſſumendus etiam medio die eſt; ſi non lædit, ſemel potius bibere huic aſſidue vinum dilutum leve, quam aquam magis expedit, ut cum caput gravius eſſe cœperit, ſit quo confugiat, eique ex toto, neque vinum, neque aqua ſemper utilia ſunt, medicamentum utrumque eſt, cum invicem aſsumitur. Scribere, legere, voce contendere, huic opus non eſt, utique poſt cœnam, poſt quam nec cogitatio quidem ei ſatis tuta eſt, maxime tamen vomitus alienus eſt.

¶ Aqua frigida ob id capiti imbecilo prodeſt, quod nativi caloris, quem prius intro pepulit, reverberationem incrementumque efficiat. Inde enim ſolidis ejus particulis, quibus idem ipſe calor inexiſtit, operationum robur acquiritur. Cererum (uti ſuperius admonui) ſtudioſe cavendum eſt, ne frigida partis virtutem ſua vi ſuperet. Sic enim longe hæc fit debilior ad ſummam frigiditatis intemperiem redacta. Itaque hoc incommodo ut caveatur, præſtiterit non niſi æſtate caput infirmum frigida lavari. Id enim aeris calore ita præmunitum, facilius elementi gelidi vim refrænat. Confertque hæc iſta perfuſio (ne quis

Frigida infuſa cur infirmo capiti utilis.

Frigida tam frigido, quam calido, capitis vitio opitulatur.

hunc locum aliqua ex parte claudicare exiſtimet) tam frigido quam calido capitis affectui. Siquidem huic aſcititium calorem extinguit, illi naturalem cogendo adauget, in utroque partem infirmam roborat, & adverſus cœli intemperiem omnem communit. Nuſquam igitur hoc negligendum auxilium eſt, adeo ut ſi quis unctus duntaxat balneo abſtinet, etſi corpus nolit, caput tamen frigidis undis irrigare debeat. Jam quod ad cibum attinet, modice is raroque (ſi res patitur) guſtandus eſt, ita enim concoquitur exactius, & caput minus effumatione laceſſit. Dixi ſi res ita patitur, affecti ventriculi cauſa, qui ſi forte nimio jejunio bileſcat, protinus cibus ipſo etiam meridie ſumendus eſt. Levius enim hic conceſſi alimenti quam negati periculum eſt. Nempe Authore GALENO conſtat ventriculum quavis ex cauſa debilem totius venoſi generis excipere immundiciem, quæ ſi hinc facile in caput evaporat, non adeo mirum eſt, maxima inter has partes intercedente ſympathia. Potus vinum dilutum eſto ac tenue (Græci ὑδαρῶδες id appellant) ne ſcilicet caput halitu feriat. Aptiſſimum puto, fuerit quod GALENUS 5. loc. affect. proponit, tenue, album, & modice adſtringens, quale noſtrum forte Rhenanum eſt, utique ſi non excoctum ardentiore Sole eſt. Id enim ventriculum firmat, & caput minime lædit. Nihilo hoc incommodior, imo longe forſan præſtantior ſincera eſſet aqua, niſi hæc melius in ea reſervaretur tempora, quibus caput jam ægrotare manifeſte cœpit: Nimirum ut ſit quo afflictis in rebus confugiatur. Siquidem frigidæ vires infrequens uſus auget, propterea quod inſueta omnia, ut vehementius naturam afficiunt, ita quas ea contraxit noxas magis efficaciter tollant. Porro vinum meracum ac potens, quod HIPPOCRATES δινῶδες, HOMERUS ἄἰθοπα οἶνον vocat, prorſus inutile eſt, nam capiti, hoc, ſi quod aliud, apprime grave moleſtumque eſt. Quod ſcriptio, lectio, cogitatio, & ſi quæ ſimilis eſt negotioſa animi, aut corporis actio poſt cibum noceant, ex ſpirituum concoctioni deſtinatorum ad mentis arcem raptu contingit, cui incommodo, tum quoque non ægre congreditur crudi alimenti evaporatio. Cur item vociferatio a cibo officiat in promptu cauſa eſt. Nam agitatis præcordiis concoctio ventriculi, quæ ſummum optat quietem labefactatur, unde ſtatim ipſum caput vaporibus laceſſitur. At vomitus nocet, tum propter capitis agitationem, tum ſympathiæ cauſa quæ huic cum ventriculo grandium nervorum interventu, longe maxima eſt.

Capit infirmo cibus parce raroque offerendus.

Gal. 6. Sanit. Ventriculus imbecillus totius corporis ſuperflua recipit.

Quale vinum capiti imbecillo idoneum

Aquæ potus capiti infirmo utilis.

Vinum potens languido cerebro inimicum.

Omnis negotioſa capiti infirmo inutilis, idque a cibo potiſſimum.

Vomitus debile caput offendit.

CAPUT V.

De his qui lippitudine, gravedine, diſtillatione, tonſilliſque laborant.

NEque vero his ſolis quos capitis imbecillitas torquet, uſus aquæ frigidæ prodeſt, ſed iis etiam, quos aſſiduæ lippitudines, gravedines, deſtillationes, tonſillæque male habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum eſt, ſed os quoque multa frigida aqua fovendum eſt, præcipueque omnibus quibus hoc utile

le auxilium eſt, eo utendum eſt, ubi gravius cœlum Auſtri reddiderunt. Cumque omnibus inutilis ſit poſt cibum, aut contentio, aut cogitatio animi, tum his præcipue, qui vel capitis vel arteriæ dolores habere conſueverunt, vel quoslibet alios oris affectus. Vitari etiam gravedines deſtillationeſque poſſunt, ſi quam minime eum qui his opportunus eſt, aerem vel loca aquaſque mutet, ſi caput in ſe protegit, ne incendatur, neve ſubitum ex repentino nubilo frigus id moveat, ſi poſt concoctionem jejunus caput radit, ſi poſt cibum neque legit, neque ſcribit.

Lippitudo Græcis Ὀφθαλμία dicta, inflammatio eſt tunicæ oculorum adnatæ, ab influxu multi ſanguinis, vel humorum acrium, flatulentorumve excitata. Deſtillatio Græce κάταῤῥους, ſeu καταγμος appellata, fit, ubi humor fauces ac palatum impetit. Tametſi vulgo cuivis rheumati commune ſit catharri nomen, ubi ſi extima membra, ſi aſperam arteriam ac pulmones invadat, ex illo enim motionis torpor ac paralyſis, ex hoc & raucitas (Græce Βράγχος) & tuſſis exulceratoque ſubinde pulmone tabes fiunt. Tonſillæ autem tumore παρισθμία ἀντιάδες vocantur, ſuntque inflammationes glandium, quæ in fine oris utrinque linguæ adjacent, factæ ab alicujus a cerebro materiæ defluentis incurſu. At gravedo (non multum diſtans a deſtillatione malum) Græce κόριζα appellata, fit, quando crudus humor in nares deſtillat. Qui ad hæc flaxionum vitia proclives ſunt, omnes ex æquo (ut CELSUS Author eſt, effuſa in caput frigida juvantur, idque nulla alia de cauſa, quam quod hanc partem, ut ſupra comprehenſum eſt) ea roboret, communiatque quo minus excrementi vel in ſeſe gignat, vel aliunde recipiat. Nempe ejus imbecillitas unica omnium horum anſa malorum eſt. Itaque intus quoque in ore non tantum extrinſecus id tentandum auxilium eſt, fovendumque multa frigida palatum, ut ſupra roborationis beneficium aſtrictis undique meatibus, neque caput ad mittendum excrementum, neque comprehenſa loca ad excipiendum prona ſint, eritque illud majore cura faciundum, ubi grave cœlum Auſtri reddiderunt. Tum enim ambientis qualitate caput excrementis maxime conflictatur, juxta illud HIPPOCRATIS: *Auſter auditum hebetat, caliginem oculis obducit, caput gravat*. Quomodo GALENUS quoque Romanos catharris opportunos eſſe ſcripſit, propter aeris qui ibidem ſpirat miſtam caloribus humiditatem. Porro quod omnis meditatio animi & corporis catharroſis protinus a cibo adverſetur, ſupra comprehenſum eſt. Jam non hos modo frigida affuſa juvat, ſed eos etiam quibus dolere vel caput vel arteriæ ſolent. Siquidem hæc iſta mala ſi adſunt, exaſperant, ſi conquievere, denuo ſuſcitant emiſſi in caput vapores: Utique ſi craſſi hi crudique ſunt, quales venter, tum ubertim ejaculatur, cum quis ejus concoctionem intempeſtivo vel animi cogitatu, vel corporis motu interturbat. Per capitis & arteriæ dolores intelligas oportet Cephalæam & Hemicraniam, qui affectus ægre admodum ſolvuntur, ſæpe aſſidue cruciant, interdum intermittunt quoque, ſed protinus ſtrepitu, vini potu, ſplendore luminis, motu, odoramentis, aliiſve rebus caput opplentibus recrudeſcunt, quæ omnia Cephalææ, cum promptiora tum graviora ſunt. Porro catharros declinandi ratio, ex tertio hujus libri capite diſcenda eſt. Nam cum hos calida cauſa nonnunquam moveat excrementa capitis ſolvens, fundenſque, nemo dubitet quin caput expediat a

Lippitudo. Ὀφθαλμια.

Deſtillatio. Καταῤῥους.

Raucitas Βραγχος.

Tonſillæ.

Gravedo. κόρυζα.

Capiti deſtillationibus obnoxio infuſa frigida utilis.

Per capitis imbecillitatem fovendum os aqua frigida.

Hip. lib. 3. Aph. 5.

Romani catharris obnoxii.

Omnis animi aut corporis actio catharroſis a cibo inutilis.

Cephalææ frigide ſubvenit.

Quæ cauſæ catharros

moveant, & quomodo hi arceantur. Capite catharroſo nequaquam aut aquæ aut loca mutanda ſunt.

Sole, ne accendatur, protegere, cumque eadem mala frigus quoque invehat, humores ſtringens, ac veluti manibus exprimens, res ipſa vetat, ne corpus poſt repentinum nubilum frigoribus objectetur. Ubi enim ſic tempeſtates variant, periculum capiti infirmo maximum eſt, ac proin nec loca quidem aut aquas mutare tutum eſt, utique ſi contraria inter ſe qualitate atque indole diſſident. Etenim cavendum, ne aut id quod frigore obſtupuit, calore fundatur, aut quod hoc fluxum eſt, illo exprimatur. Jam quod nec ſaturo caput radi, imo nec ſeria legere, aut ſcribere, tutum ſit, ſupra demonſtratum eſt.

CAPUT VI.

Ad ſolutam alvum remedia.

QUem vero frequenter citata alvus exercet, huic opus eſt pila, ſimilibuſque ſuperiores partes exercere, dum jejunus eſt ambulare, vitare Solis nimium ardorem, continua balnea ungi citra ſudorem, non uti cibis variis, minimeque jurulentis aut leguminibus, oleribuſve his quæ deſcendunt, omnia denique fugere quæ tarde conquoquuntur: Venatio, durique piſces, & ex domeſticis animalibus aſſa caro maxime juvant. Nunquam vinum ſalſum bibere expedit, ne tenue quidem aut dulce, ſed auſterum, & plenius neque idipſum pervetus. Si mulſo uti volet, id ex decocto melle faciendum eſt. Si frigidæ potiones ventrem ejus non turbant, his utendum potiſſimum eſt. Si quid offenſæ in cœna ſenſit, vomere debet, idque poſtero quoque die facere, tertio modici ponderis panem ex vino eſſe, adjecta uva vel olea, vel ex defruto, ſimilibuſque aliis, deinde ad conſuetudinem redire. Semper autem poſt cibum conquiescere, ac neque intendere animum, neque ambulatione, quamvis levi, dimoveri.

Remedia lubrici ventris. Pilæ luſus.

Matutina ambulatio.

Celſ. lib. 4. cap. 19.

Sol ardens.

Continua balnea fuſæ alvo inimica.

¶ Sunt hæc, quæ CELSUS proponit, lubrici ventris remedia. Ac primum quidem pilæ luſus eſt, omneque id exercitii genus, quod ſuperiores partes magis ceteris movet. Per hæc enim humoris ad fluxum proni impetus in contrariam regionem avertitur, ipſum ſcilicet corporis habitum. Idemque præſtat ambulatio, ſed quæ jejuno fiat ſtomacho. Nam ſi cibum hæc excipit, non modo non comprimit alvum, ſed etiam præcipitat. Scilicet per motionem peſſum impulſæ epulæ pyloro promptius elabuntur. Nemo exiſtimet duo hæc quæ retulimus auxilia, profluenti jam nunc ventri conducere. Nam quia materias fluentes magis concitant, ob id etiam obſunt. Neque enim CELSUS hoc loco præcipit, quomodo mederi malo, ſed quomodo occurrere oporteat. Eodemque Authore diſci poteſt, in hoc affectu corporis jam urgente, neque ambulatione, neque frictione opus eſſe, vehiculo ſediſſe, aut equo, præſtare. Porro vitandus vehemens omnis inſolatus eſt, quoniam denſato habitu materias liquidas in viſcera ventremque compellit. Modicus autem Sol non aſtringit, ſed potius laxat habitum, ſuccoſque ab imis præcordiis ad carnes ſine vi evo-

evocat. Nocent insuper continua balnea, non alio sane nomine, quam quod corpus copioso humore imbuant, nutantesque in fluorem materias calore fundant permoveantque. Scilicet ejus rei causa in quovis morbi genere, quem fluxio excitat, recte balneis abstinetur. Verumtamen quoties fluxio non est, sed timetur, rarius tentata hæc profuisse deprehensum est, quoties absque momentanea corporis madefactione, atque turbatione (rarenter cum adhibeantur) humores versus extremas partes quadam ἀντισπάσει via, ex imo corpore alliciunt. Sic ut hujus remedii salubritatem commendet rarior usus. Jam quod unctio lenis ceu quæ fit citra sudorem, non inutilis sit, respectu ejus scribitur unctionis, quæ ad sudoris eruptionem usque administratur, hæc enim quia succos turbat, nocentissima, illa quia placida est, tuta censetur. Quod autem ciborum varietas vomitum & dejectionem tum requirat, tum facilem efficiat supra eo loco retulimus quo ciborum ratio exposita est. Tum etiam quod idem efficiant & jurulenta, & ea olera quæ celeriter descendunt. Omnia enim hæc molliendo, alvum citant. At quæ tarde concoquuntur idcirco aliena sunt, quod ventriculus hæc nequaquam vincere potis, pro superfluis habeat, protinusque ceu pondus inutile in alvum excutiat. Venationem seu carnem ferinam siccitas utilem facit. Hac enim qualitate tenendi vis omnis firmatur, ut contra humiditate solvitur. Si piscibus quoque vesci animus est, duri sint oportet, idque tum apparatu, ut assi, tum propria natura, qualis anguilla est, qualis salmo & hujusmodi. Neque alia de causa, assata quoque domesticorum animalium caro accommodatior est, quam quia siccior est. Domestica CELSUS recte dixit, nam quæ ferarum caro est, satis superque per se sicca est, neque assationis admodum egens. Vinum bibere convenit neque salsum, neque dulce: hoc namque humectando lubricitandoque ventrem provocat, illud radendo. Fugiendum etiam id quod tenue est, nam protinus diffluit, parvasque siccandi vires habet. Utilius propter astrictionem austerum est, quod & plenius aliquanto bibere convenit, ut totis undequaque ferculis immistum nullam non partem intestinorum attingat. Idipsum austerum nequaquam pervetus esse debet, nam id jam tum plane dulcescit. Si postulante re aliqua, mulso utendum est (nam mulsum omne, ventrem movet) paratum id esto ex decocto melle. Istud enim (Authore GALENO) ut magis nutrit, sic & minus alvum subducit. Frigidæ potiones quoniam astringunt, juvant. Plerisque tamen alvum magis impellunt, quos homines, tertio capite libri hujus notavimus. Siquid cœna ventriculum lacessivit, protinus vomendum est, idque ne male gratas epulas ventriculus in alvum ejectet, ideoque hujus rei principia maturo vomitu præoccupare, non alienum est. Post vomitum etiam postridie repetitum reficiendus roborandusque ventriculus, est, quod cibis exequemur, partim moderate adstringentibus, partim temperatis, unaque concoctu facilibus. Confert igitur modicum panem ex vino aut defruto esse, quæ ut non gravant ventriculum, sic probe reficiunt; tum his adjicere vel uvam, vel oleam oportet, quæ stomachum vomitione laxatum firment. His enim fructibus præsertim immaturioribus haud parva astringendi vis obtigit. Porro altioribus animi a cibo intentionibus multus spirituum vitalium ad cerebrum accessus, huic rei ventriculi cruditas; cruditati gravamen; gravamini celeris assumptorum omnium dejectio, succedunt. A cibo item quies necessaria est, adeo ut ne levissima quidem ambulatio tuta sit. Nam alimentum alioqui ventri fluenti grave, dimoto corpore, non potest non ad alvum

Unctio lenis lubrico ventri utilior est.

Cibus varius aut dure concoctionis, ad hæc jurulenta & olera alvo fluidæ inimica.

Caro ferarum ventri fluenti utilis, itemque pisces duri.

Assa caro ciurum animalium nimiis dejectionibus idonea.

Vinum quale fugiendum.

Quale expetendum.

Mulsum.

Frigida potio alvo ad fluorem proclivi utilis.

Vomitus a cœna conducibus.

A vomitu firmandus cibo ventriculus.

Quies a cibo fuso ventri utilis.

vum ſubſidere. Quies vero in conſuetudinem ferendi oneris inteſtina deducit.

CAPUT VII.

Remedia ad Coli dolorem.

ET ſi laxius inteſtinum dolere conſuevit, quod κῶλον nominant; cum id nihil niſi genus inflationis ſit, id agendum eſt, ut concoquat aliquis, ut lectione & aliis generibus exerceatur. Utatur balneo calido, cibis quoque & potionibus calidis, denique omni modo frigus evitet, item dulcia omnia, leguminaque, & quicquid inflare conſuevit.

De quo doloris colici genere Celſus agat.

¶ Non de eo colici doloris genere CELSUS hic agit, quem laxioris inteſtini inflammatio, aut facta ab acribus excrementis eroſio movet, ſed qui cauſam ſequitur frigidam, ſive crudus aliquis vapor inteſtini membranas diſtenderit, ſive etiam præfrigidus humor, qualis ante omnia vitrea pituita eſt, ſua qualitate violentia perſtrinxerit. Scilicet inæqualis intemperies noviſſimam hanc doloris ſpeciem Authore GALENO efficit, quem idem in ſe ipſe acutiſſimum expertum narrat, Colo vitrea pituita obſeſſo. Neque vero eſt quod magnopere quis miretur tam atroces dolores inteſtinis accidere poſſe: Nam horum tunicæ quia ex villis nervaceis conſtant, exactiſſimum tactus ſortitæ ſunt ſenſum, qui ſenſus ſub hoc morbo adeo ſæpe graviter afficitur, ut multos coegerit doloris immanitate victos, vitæ ſuæ durius conſulere. Coli dolorem hunc fere invehunt, frigora, aſſidua ventris cruditas, edulia poculaque tum frigida tum flatulenta, ipſaque ſubinde Coli inteſtini naturalis, aut fortuita frigiditas. Ad huius ergo ſymptomatis προφύλαξιν quidnam conducibilius ſit, quam per claram lectionem aliaſque exercitationes tum ventriculi tum reliqui corporis totius concoctionem moliri? Quid denique optatius, quam Coli intemperiem calidis, & balneis & eduliis potionibuſque infringere, ipſumque corpus, frigidi aeris inclementiæ ſubtrahere. tum ea fugere genera ciborum, quæ dolorem, ſi is non eſt, excitare, ſi eſt, intendere conſuerunt, cujus ordinis omnia habentur dulcia, eo quod ſua natura cum ſunt multum aerea ac ſpirituoſa inflationes movent? Pariaque his ſunt ad inflandum omnia pene legumina, in quibus facile princeps eſt faba. Cetera quibus inflandi vis ineſt, uſu obſervanda ſunt, utpote omnia jurulenta, omnia pinguia, muſtum, & id vinum cui nihil ætatis acceſſit, tum recens craſſaque cereviſia, ficus virides, uvæ recentes, omniſque caſeus, lac, rapæ, bulbi, & ejus farinæ ſexcenta alia.

Galenus de inæquali intemperie.

Idem 2. loc. aff.

Inteſtinis quare dolor adeo gravis accidat.

Quæ cauſæ doloris colici.

Auxilia, quibus Coli doloribus occurritur.

Dul cia Coli doloribus inimica.

Inflantia Colo dolenti inimica.

CA-

CAPUT VIII.

Quæ agenda ſint ſtomacho laborantibus.

SI quis vero ſtomacho laborat, legere clare debet, poſt lectionem ambulare, tum pila, vel armis aliove quo genere, quo ſuperior pars movetur exerceri, non aquam, ſed vinum calidum bibere jejunus, tum cibum bis die aſſumere, ſic tamen, ut facile concoquat, uti vino tenui & auſtero, & poſt cibum frigidis potionibus potius.

¶ Stomachus (ſub quo nomine CELSUS nuſquam fere non ventriculum ſignificat) aut propriæ intemperiei, aut materiæ in ſe confluentis vitio imbecillus eſt. Intemperies, ſi naturalis eſt, difficulter eruitur. Quis enim facile mutet naturam? ſi vero aſcititia eſt, minimo ſæpe negotio tolli poteſt. Moleſtius eſt, ubi alienorum humorum appulſu ſtomachus vitioſus eſt, longeque peſſimum, ſi in calidum ventrem tenuis pituita irruit, vel in frigidum bilis. Ac ſupereſt adhuc aliud ſtomachi malum alias a CELSO deſcriptum, quo id viſcus reſolvitur, cibique, ut idem Author ait, tenax non eſt, ſoletque ſub hoc deſinere ali corpus ac ſic tabe conſumi. Fere vero hic incidit, ut alimenta minus accurate concoquantur, quin ſtomacho potius innatent, nauſæamque, vomitum, ructus, inflationes ventris, aut ſonitus moveant, tum alvus quoque ut plurimum ſiſtatur propter ſuperioris partis laxitatem ne quicquam compreſſis ad alvum epulis. Hoc affectus genus nunc CELSUS explicat, aliorum προφυλαξιν, quæ evidentem nudamque fere intemperiem ſequuntur, proxima abhinc ſententia expoſiturus. Itaque ejus qui nunc præ manibus habetur affectus periculum omne in ſtomachi laxitate vertitur, cui fere humiditas comes jungitur, mirifice ad quævis laxanda membra potens qualitas. Hanc præter nulla ferme hic alia intemperies eximie dominatur. Tametſi promptius hic ſit frigiditatis quam caloris periculum. Quo minus putandum eſt CELSUM de laborante bilioſo ſtomacho hic agere, cui nimirum alta lectio, pila, multoque magis arma & vinum aliena ſunt. Ergo duorum generum hoc capite remedia proponuntur, quorum uſu comprehenſis malis ſubvenitur. Primum quod ſtomachum quoquomodo firmat, ſive ingenitum ejus calorem excitando, ſeu tunicas ejus comprimendo. Secundum genus eſt, quod excrementitios ventriculi humores conſumit. Clara igitur lectio utilis habetur, quod motis thoracis ſeptique tranſverſi muſculis, loci proximitate ventriculum quoque permoveat, ex quo inſitus ipſi calor augeſcit, ſuperfluæque humiditatis vitium corrigitur. Poſt lectionem ordine eſtectuque ſecunda ambulatio eſt, cujus rei cauſa eo loco enarrata eſt, quo propoſuimus ſuperiorum partium affectus, infernorum exercitatione juvari. Poſt hæc non male conveniunt & pila, & validorum armorum meditatio, aliudve. Quod genus exercitationis, qua ſuperior corporis regio magis dimoveatur, id enim (ut alibi CELSUS Author eſt) in omnibus ſtomachi vitiis aptiſſimum eſt. Jam vero quoniam ſemper fere aliqua hic urget cruditas, fugere convenit ea omnia quæ concoctionem tardant. Ideoque frigidæ potio jejunis prorſus inutilis eſt, ut quæ ſtomachum crudo frigore

Stomachi imbecillitas unde contrahatur.

Stomachi reſolutio. *Celſ. lib. 2. c. 5.*

Stomacho imbecillo idonea auxilia.

Clara lectio.

Pila & armorum meditatio.

Celſ. lib. 4. c. 5.

Frigida potio jejuno imbecilloque ſtomacho inutilis.

re plus offendat, quam aſtrictione juvet. Ex quo colligi poteſt, mane potui vinum & facultate & energia calidum rectius dari, quod ſtomachum ſuo calore partim aſcititio comprimit, partim naturali refocillat, & utrolibet intemperiem ejus, cum frigidam tum humidam delet. Ceterum bis cibum capere expedit eo quod infirma ventriculis vis jugi ſuſtentatione indigeat. Tum nec eo luxu ponendus cibus eſt, ut onere huic viſceri moleſtus ſit. Potui vinum tenue præſtandum & auſterum. Illud enim infirmum ventriculum minimum laceſſit, hoc aſtrictione roborat. Cujus rei fructus ut ſit cumulatior non dubitavit CELSUS poſt ultimum cibum, frigidum quoque poculum præbere.

Ventriculus imbecillus ſæpius reficiendus.

STomachum autem infirmum indicant, pallor, macies, præcordiorum dolor, nauſea, & nolentium vomitus. In jejuno dolor capitis: quæ in quo non ſunt, is firmi ſtomachi eſt. Neque credendum utique noſtris eſt, qui cum in adverſa valetudine vinum aut frigidam aquam concupierunt deliciarum patrocinium in accuſationem non merentis ſtomachi habent. At qui tarde concoquunt, & quorum ideo præcordia inflantur, quive propter ardorem aliquem noctu ſitire conſueverunt, antequam conquieſcant, duos treſve Cyathos per tenuem fiſtulam bibant. Prodeſt etiam adverſus tardam concoctionem clare legere, deinde ambulare, tum vel ungi, vel lavari, aſſidue vinum frigidum bibere, & poſt cibum magnam potionem, ſed, ut ſupra dixi, per ſyphonem, deinde omnes potiones aqua frigida intercludere. Cui vero cibus aceſcit, is ante eum bibere aquam egelidam debet, & vomere. At is cui ex hoc frequens dejectio incidit, quoties alvus ei conſtiterit, frigida potione potiſſimum utatur.

¶ Exequitur CELSUS ea nunc Stomachi vitia, quæ evidens aliqua caloris aut frigoris intemperies invexit. Orſuſque a notis eſt, quibus cognoſci utrumlibet genus poſſit. Hæ vero quas retuli notæ, quia ſeorſim unaquæque per ſe poſitæ, pleriſque aliis quoque morbis nonnullis communes ſunt, copulatim accipi omnes debent, æque profecto, ut neque ſola tuſſis pleuritidem facit, neque pungens lateris dolor, neque febris continua, neque ſpiritus difficilis, ſed omnia hæc ſimul coeuntia. Et quis igitur non ſuſpiciat ſummum noſtri Authoris in docendo artificium, quis non pulcherrimis fœcundam rebus brevitatem exoſculetur, qua is nobis ſimul bilioſi pituitoſique ventriculi notas expreſſit. Scilicet iſte mos cum priſcis viris omnibus, tum noſtro CELSO ſervatus ſemper fuit, omnia breviſſimis ſententiis ceu quibuſdam aphoriſmis memoriæ prodere, quæ ſedula poſt animadverſione limitari, ac veluti ſubtilius excoli a viris Medicinæ gnaris poſſint. Igitur pallorem (ut ab hoc primo ordiar) improba fecit ἀιμάτωσις, quæ a chylo parum recte cocto cepiſſe initium poteſt. Sæpe enim ante propoſitum eſt, unius viſceris in concoquendo vitium, alterius integritate non caſtigari. Eædem cauſæ & maciem poterunt conciliare, quoniam fruſtrata concoctione, nulla fit bona nutritio, ad hujus enim integritatem illa viam ſternit, quatenus nihil aſſimilari ſolidis poteſt, niſi ante probe alteratum confectumque ſit, ſic ut tota nutritio nihil aliud quam ipſa ſit aſſimilatio. Præcordiorum do-

Stomachi infirmi notæ Pallor.

Macies.

Præcordiorum dolor.

lor

lor contenta intus excrementa ſequi poteſt. Nec diſſimilibus cauſis nauſea ſuccedit vomituſque nolentium, ſeu ſponte naturæ erumpens. Capitis in jejuno dolor, bilioſos potiſſimum exercet, evaporante ad cerebrum bilioſa ſanie, quæ per inediam ad ventrem confluxit. Poteſt idem dolor & pituitoſis accidere, qui tamen non ita ut prior pungens eſt, ſed gravans potius, ac plerumque etiam diſtendens. Atque his ſignis infirmi ventriculi, veluti in conſpectum quendam adductis CELSUS prophylactica ejus auxilia nunc exequitur, ſtatuitque duplicem infirmatis differentiam. Prima intemperiem calidam, altera frigidam ſequitur. In hac præcordia (ne quid ſpinoſior orationis contextus improvidum fallat) inflantur. In illa autem propter ventriculi ardorem multa per noctem ſit ſitis. In ambobus vitiis (ut curioſe locum inſpicienti patet) ſumptas dapes recenti fonte includere permiſſum eſt. In frigido quidem, quoniam compreſſis ventriculi tunicis, ſimul cibus ab his arctius comprehenditur, ſimul nativus viſceris calor intus coercitus vires ad concoquendum aſſumit. At vero bilioſo ſtomacho, ut omnia hæc eveniunt bona, ſic illud quoque velut ἐξ ἐπιμέτρου accedit, quod ſqualidus ille calor qui velut ignis quidam ventriculum extorret, frigidæ potentia extinguatur. Proinde ſic affecto ſtomacho utile eſt tum ungi, tum aſſidue lavari, ſimul vinum actu frigidum ac poteſtate imbecillum bibere, atque a cibo magnam potionem per ſyphonem haurire, protinuſque tum epulas, omneſque potiones aqua frigida intercludere. Scilicet omnia hæc bilioſo ventriculo eximie ſubveniunt. At frigido idoneum eſt alta voce legere, multumque ambulare, ungi vero parum utile eſt, lavari etiam noxium. Quis enim neſcit cruditati balneas adverſari? In utriſque, ut proxime dixi, conveniens eſt ultimo cibo, aquæ frigidæ poculum. Huic unicum impedimentum eſt venter, cum facile, tum periculoſe profluens, qui ſi jam nunc urget, aut denique futurus timetur, utique frigido omni potu ſuperſedendum a cibo eſt, quod cur ita præcipiatur, eo loco ſupra docuimus, quo frigidæ bibendæ ratio expoſita eſt. Eo fluore venter immodice calens raro tentatur, utpote omnibus ab ejus fervore exuſtis epulis, ac ſic minus ad fluendum propenſis. Sæpiſſime is fluor urget, ubi cibus intus coacuit, qui prompte aut vomitu, aut dejectione elabitur, tum quia humectus etiamnum eſt, cruduſque, ac nequicquam calore adæquatus, tum quia & pondere ventriculo gravis eſt, & imbecilliter ab eodem continetur. Ejuſque rei cauſa CELSUS tum præcipue vomitum citat, tum cibus contracto acore vitioſus eſt. Ex qua concoctionis imperfectione, ſi frequens dejectio eſt, abſtinendum frigida a cibo eſt, ut quæ ventrem magis fluidum reddere poteſt, non poteſt firmum. Ergo hoc conſtante nuſquam perperam frigidum a cibo bibitur. Adeo apparet hoc CELSI præceptum calido frigidoque ſtomacho juxta commune eſſe. Si quis noſtra ætate diverſum ſentiet, equidem non mirabor, cum ejus notæ refractarios complures extitiſſe, vivente etiam CELSO, conſtet, qui aquam in adverſa valetudine toties potui dari putabant deliciarum cauſa, non eam merentis exigentiſque ſtomachi. Scilicet quiſnam iſtorum vulgarium Medicorum factum non ilico calumnietur, ſi ſanior aliquis ac doctrinæ CELSIANÆ ſtudioſior, homini ex ſtomachi cruditate febricitanti, ſumptis idoneis epulis tres frigidæ Cyathos propinet? Quis, inquam, non protinus deliciarum ægroti patrocinium in accuſationem habeat, atque condemnet, non autem ſtomachum excuſet aquam recte ſalubriterque poſtulantem? Perſtringit hac Author ſententia eorum Medicorum perverſa judicia, qui & aquam & vinum ab ægrotis fere

Nauſea. Vomitus ſpontaneus. Capitis in jejuno dolor.

Quomodo ſtomachi infirmitas caſtiganda.

Bilioſo ſtomacho quid utile.

Stomachi frigidi præſidia

Stomacho infirmo quid frigidæ hauſtum impediat. *Cap.* 3.

fere expeti arbitrabantur, dictitante sic potius luxuria, quam exigente stomacho. Etenim vinum ardentibus febribus, aquam cruditatibus adversari vulgatum tritumque est. At vero quo rerum statu fieri hæc istis affectibus possint innoxia, id hercle sciisse non omnibus juxta proclive est. Nempe vinum nonnullis acute etiam febricitantibus HIPPOCRATES indulsit. Tum aqua quibus ea judicabatur adversa, sæpe inopinatam attulit salutem.

Hippocrates acute febricitantibus vinum quandoque indulsit.

CAPUT IX.

Quid observandum dolore nervorum laborantibus.

SI cui vero dolere nervi solent, quod in podagra chiragrave esse consuevit, huic quantum fieri potest exercendum, id est, quod affectum est, obiiciendumque labori & frigori, nisi cum dolor increvit. Sub dio quies optima est. Venus semper inimica est. Concoctio, sicut in omnibus corporis affectibus, necessaria est. Cruditas enim id maxime lædit, & quoties offensum corpus est, vitiosa pars maxime sentit.

¶ Arthritis prout varias obsidet corporis partes, alia aliaque sortitur nomina. Ac Podagra quidem est, si pedum articuli; Chiragra, si manuum; quemadmodum & Ischias, si coxarum laborant. Arthritis dicitur ubi tota æqualiter corpora enervantur. Oritur hoc malum ab articulorum imbecillitate, sive ea sit naturalis, sive ascititia. Illa a parentum semine, hæc victus errore contrahitur. Estque hæc imbecillitas antecedens quædam morbi causa, quæ articulis dolore etiamnum vacantibus perpetuo manet. Ergo hanc correcturus, infirma membra exercere debet, sic ut mutuo articulorum attritu insitus ipsis calor excitetur, simul ut durities quædam his contrahatur, ad sustinendas rerum foris occursantium injurias. Exercitatio pro viribus corporis convenit cuique sua. Ita profecto ut CELSUS præcepit, exercendum membrum esse, quantum fieri potest. Nimirum senibus quia parum virium supereſt, non nisi levissimæ dimotiones conveniunt. Juvenes contra utpote majore robore naturæ fulti, partem sic affectam laboribus tuto durant. Recte enim a GALENO scriptum est, Exercitari imbecillis partibus unico seni non licere, reliquos homines eo id confidentius posse facere, quo longius ab hujus absunt ætate. Porro frigus ob id utile censetur quod calorem articulorum naturalem intro compellens, adaugeat, quodque hoc modo membra communiat adversus cœli injurias. At nihil horum tentare convenit, ubi dolor increvit. Tum enim pars ante debilis, jamque insuper humorum influxu & dolore exercita ad extremum imbecillitatis pervenit, sic ut per ea tempora labor ac frigus magis imbecillam hanc facere possint, non possint robustam. Sub dio quies idonea est quod nocturni æris algore ad eum quem retuli modum, firmentur. Tametsi id forte præceptum Græcis atque Romanis, idque per Æstatem accommodatius videatur, quam populis versus Septentriones incolentibus. Venus (immoderatior scilicet) ante omnia fugienda est, nam optimam sanguinis par-

Arthritis quid, & quæ ejus species.

Quæ causæ morbi articularis, & quæ prophylaxis.

Exercitatio imbecillis articulis utilis.

Gal. 5. sanit.

Frigus Arthriticis conducibile.

Venus podagræ & chiragræ inutilis.

particulam (PYTHAGORAS ἀφρὸν τῆ χρηστοτάτου ἄιματος vocabat) detrahit corpuſque jam ante imbecillum inducta frigiditate, longe facit imbecilliſſimum. Quæ profecto cauſa eſt quod *articulorum vitia*, ut Author eſt HIPPOCRATES, *nequaquam vel caſtratos, vel pueros ante fœminæ conſuetudinem tentent*. Imminenti autem huic malo nulla via melius quam concoctione occurritur, cujus ope fit, ut omnibus inutiles corpori ſuccos converſis quam minimum excrementi in articulis coeat. Ad hos enim utpote natura debiliores non ægre demittitur quicquid collecti in vaſis ſuperflui eſt. Subeſtque huic rei gemina difficultas, tum quod influentes materias articuli prompte admittant, tum quod admiſſas tardiſſime maximoque negotio, rurſus excludant. At vero iis corporibus quæ nullis urgentur ſuperfluis, imbecillæ partes ſemper in tuto ſunt. Quam rem ita eſſe hinc maxime ſciri poteſt, quod non niſi ſtatis quibuſdam temporum intervallis, laborent. Nempe ſi ſola (ut inquit GALENUS) infirmitas id efficeret, perpetuo laboraret imbecilla pars, ſeu cui ægrotationis cauſa nunquam deeſſet. Ergo quibus id malum Vere aut Autumno, temporibus ad hoc maxime propenſis, revertitur, hos ante curioſo victu cavere oportet, ne inutilis materia corpori ſuperſit. *Quidam* (inquit CELSUS) *cum toto anno a vino, mulſo, ac Venere ſibi temperaſſent, ſecuritatem totius vitæ conſecuti ſunt*. Quo minus audire delicatulos iſtos oportet, qui libidine perditi, tum vino, indies dapibuſque graves, doloris remedium a nobis (ſi Diis placet) expoſcunt. Quaſi vero expeditum ſit, malum tollere perſeverante quæ id moveat, foveatque cauſa. Nimirum ſi hos ſemel juvare coneris, nihilo plus profeceris quam ſi des operam ut non obſtructis fontibus flumen exhaurias, ipſis ſcilicet epulonibus antiquum obtinentibus, nec ſolitæ Veneris amplexus, nec patris Bacchi calices poſtergare valentibus. Quid non, inquit GALENUS, turpe ſit propter articularem morbum, hominem ab aliis geſtari, & ſuis ipſius manibus uti non valentem alienis egere, quibus ori cibos admoveat. At hos ventres non ſolum rei turpitudo non movet, ſed nec ipſi etiam flectunt immaniſſimi cruciatus, quibus dies noctesque velut ab improbis tortoribus excarnificati contabeſcunt.

Auxilia adverſus imminentem podagram. Concoctio.

Gal. 6. ſanit.

Celſ. l. 4. c. 24.

Gal. 6. ſanit.

UT concoctio autem omnibus vitiis occurrit, ſic rurſus aliis frigus, aliis calor. Quæ ſequi quiſque pro habitu corporis ſui debet. Frigus inimicum eſt, ſeni, tenui, vulneri, præcordiis, inteſtinis, veſicæ, auribus, coxis, ſcapulis, naturalibus oſſibus, dentibus, nervis, vulvæ, cerebro: idem ſummam cutem facit pallidam, aridam, duram, nigram. Ex hoc horrores, tremoreſque naſcuntur. At prodeſt juvenibus & omnibus plenis, erectiorque mens eſt, & melius concoquitur, ubi frigus quidem eſt, ſed cavetur. Aqua vero frigida infuſa, præterquam capiti, etiam ſtomacho prodeſt. Item articulis doloribuſque qui ſunt ſine ulceribus: Item rubicundis nimis hominibus, ſi dolore vacant.

¶ Functionis omnis corporeæ author, ingenitus calor eſt. Hunc ſumma cura tueri ſemper oportet, ut valetudo tum proſpera ſervetur, tum adverſa pellatur, qualiſcunque hanc demum cauſa crearit. Non ſic calor adventitius aut frigus quibuslibet naturis ac morbis utilia ſunt. Per ſe enim calor non niſi frigidis vitiis, frigus non niſi calidis ſubvenit. Itaque recte CELSUS docuit calorem aliis vitiis ſuccurrere, aliis frigus. Hoc (inquit) inimicum eſt ſeni homini nimirum per ſe impenſe frigido. Item tenui, utpo-

Calor omnis functionis author.

Frigus quibus inimicum.

utpote non ſat multa carne adipeque adverſus ejus qualitatis vim communito. Obeſtque præterea vulneri, quoniam id nudatam muſculorum ſubſtantiam, tum alterando, tum valida ſtrictione dividendo vehementius afficit, nihil alioqui tale effecturum integra exiſtente ſuper muſculos cute. Præterea inimicum eſt inteſtinis, utero, veſicæ, reliquiſque ejus ordinis partibus exanguibus ob ingenitam ipſis frigiditatem, quæ ſimili qualitate cito creſcit in immodicum. Omnia enim paribus ſuæ intemperiei cauſis celerrime afficiuntur. Adhæc frigus cutem facit pallidam & nigram ſeu lividam, compulſis ab ejus occurſu in viſcera ſanguine, ſpiritu atque calore, quæ ſimul omnia extimo corpori ὠχρότητα atque efflioreſcentiam impertiunt. Quemadmodum enim Sol res omnes quas irradiat, multi ſplendoris gratia ſpecioſiores facit, ſic vitalis in nobis calor una cum ſanguine ſpirituque puriſſimo ad exteriora vectus, floridiſſimo colore cutim commendat, ut contra abſentibus his, univerſum corpus pallore quodam veluti cadaveratum, decorem omnem amittit, cujuſmodi faciem in iis conſpicari eſt, quos aut brumalis aura aſperrimo frigore excuſſit, aut longior invaletudo exhauſit. Jam vero non lividam tantum, ſed & aridam cutem frigus efficit, idque partim impedita ſanguinis in habitum commeatione, partim expreſſis, qui ſubtus cutem erant, madoribus. Stringit enim frigus denſatque corpora tanta vi, ut (teſte HIPPOCRATE) & *venas rumpere*, & *tuſſes excitare* ſolitum ſit. Ariditati cutis jungitur durities, idque fit duobus fere modis, alias univerſa ubique cute aſperata, alias duris in ea ortis tuberculis, quæ a frigore quoque excitari poſſe HIPPOCRATES in Epidemiis author eſt: quando nimirum craſſi lentive humores ſubter cutem externo frigore aſtrictam uberius collecti vix tranſpirant, ſed intu coacti in ſcirrhoſa quædam tubera concreſcunt. Proxima nunc eſt de rigore, & poſt hunc de tremore diſputatio. Rigor ſymptoma eſt depravatæ motionis, fitque ab inæquali intemperie calida ſeu frigida, cum materiæ alicujus affluxu, aut ſine hac, violentius partes ſenſibiles percellente. Luculenter autem hoc ipſum in intermittentibus tertianis apparet, tranſeunte per maſculos bile, tum etiam in ocioſis quibuſdam mulieribus, quæ vim pituitæ vitreæ nimia deſidia cumularunt. Idemque ſymptoma eos prehendit, quibus confertim fervens aqua aut præfrigida ſuperinfunditur, adhæc, quibus collectos in habitu putres humores balneæ, Sol, Venus, aut quid his non diſſimile commovit. Atque hæc cauſæ ſi leniores ſunt, horrorem movent, affectum ſola remiſſione a rigore non alio diſſidentem. Tremor ipſe quoque voluntarii motus ſymptoma, ex hujus naſcitur imbecilla virtute, ſic ut ſatis valide neque attollere ea membrum poſſit, neque extentum ſervare. Eſtque hic motus compoſitus ex facultate membrum ſuſtentante & innata ipſi gravitate deorſum id agente. Imbecillitatem hanc (authore GALENO) tria inferunt. Intemperies, quam hic propoſuit author, frigida animi pathos, & grave onus. Intemperies, alias una cum materia obſtruens, alias ſine hac conſtringens claudenſque occultos muſculorum receſſus, impedit, quominus expedite animalis facultas ſpiritu motivo vecta in hos penetret, decentemque motionem cieat. Jam ut intemperies vehemens omnis, ſic frigida quoque nullam non virtutem debilitat, ut nihil mirum ſit ex ea corpus intremiſcere, quod ſymptoma ſenibus ob id familiare eſt, nec non juvenibus vehementer refrigeratis, aut cruditate ex vino, multo cibo, aut deſidia vexatis. Iſta enim omnia virtutem obterunt. At pathos animi præcipue tremorem movet, grandi metu debilem animum exterrente, ut cum quis Imperatorem aut gravem majeſtate Senatum oratione compellaturus, neque mentis officium, neque cor-

Frigoris incommoda.

Frigoris violenta potentia.

Hippocr. lib. 5. Aph. 24. & 6. Epid.

Frigore cutis durescit.

Hip. 6. Epid.

Rigor quid & unde fiat.

Horror.

Tremor quid, & quibus cauſis naſcatur.

Gal. 5. de cauſ. ſympt.

corporis ſentit. Idemque ſymptoma iis etiam frequens eſt, qui per loca eunt altiſſima viarum crepidine ac præcipiti deſpectu terribilia. Reſtat grave onus, quod non ante induere rigorem ſolet, quam bajulantis ſuperet robur. Atque hæc quidem de motus voluntarii ſymptomatis dixiſſe ſufficiat. Nunc ad eos tranſibo, quibus frigus præſidio eſt. Hos eſſe CELSUS juvenes affirmat, ſi pleni ſunt ſeu carnoſi, quibus calorem ingenitum frigus ex accidente ſuſcitat, contruſum ſcilicet ad viſcera, copiaque illic ac viribus auctum ſui. Cujus rei cauſa & erectior (ut CELSUS ait) mens eſt, & melius concoquitur, æque profecto ut per hyemem fieri ſolitum eſt. Scite autem diſerteque admodum CELSUS dixit: ubi frigus quidem eſt, ſed cavetur. Indicans videlicet id quidem juvenibus eſſe non inutile, at cavendam tamen eſſe ejus nimietatem. Quod enim frigus ſemel profuturum corpori eſt, viribus ejus ſuperius ſit, oportet, alioquin calorem extinguit potius quam auget. Quod præceptum omnibus particulis fuerit commune, quæ frigido juvantur. Ex quo incidit ut ſtomacho jejuno crudum ructanti, itemque corpori ſenili, tenui, idque ſæviente bruma potui data, aut infuſa frigida, tum ipſum quoque cœlum inimicum ſit. Quinetiam non capiti ſolum, ſed etiam ventriculo infuſa frigida conducit, modo genuinus horum calor gelidi elementi potentia non violetur. Neque vero facile in adoleſcente carnoſo æſtivis horis violabitur, cujus ventriculo præter has commoditates, dextra hepar, ſiniſtra lienis ſupra cor, ac diaphragma, ante abdomen adſiſtunt, fidiſſimi inſiti in eo caloris cuſtodes. Ceterum magna cura opus eſt, ne frigida ſua qualitate ventriculum aut præcordia affligat, quod fieri admodum proclive eſt, quoties ea aſperrima, ac veluti tota glacialis eſt, quod incommodum diligenter notavit HIPPOCRATES, ſic inquiens: *Frigida veluti nix, & glacies pectori inimica tuſſes movent, venarum ruptiones & deſtillationes efficiunt.* Jam quod frigidæ infuſio articulos juvet, & id quoque ante Celſum prodidit *Hippocrates* in hunc modum: *Articulorum tumores & dolores ſine ulcere, atque etiam podagricos & convulſiones magna ex parte large effuſa levat, & extenuat, ſolvitque dolorem*, quæ res quomodo accidat, ſupra paſſim a nobis demonſtratum abunde eſt. Quod de doloris levamine author ſcribit, id non de arthritide tantum, ſed etiam de quavis alia recenti phlegmone intellexeris. Affluentes enim materias frigida repellit, eoque modo dolorem placat. Poteſt idem & de Eryſipelate dictum putari, itemque de quibuſdam deflagrationibus, quæ particulas diffuſo circum circa ſplendenti fervidoque ſanguine exurunt. Batavi a colore, *Roſam* (ni fallor) id malum; *Hippocrates* ἐπιφλόγισμα appellat. Sic enim in Aphoriſmis loquitur: *Frigido vero in his utendum in quibus ſanguis profluit*, &c. & paulo poſt hæc, καὶ ὁκόσαι φλεγμοναὶ, ἢ ἐπιφλογίσματα ἐς τὸ ἐρυθρὸν καὶ ὑφαιμον ῥέπουσι νεαρῷ αἵματι. Quippe hoc orto affectu infuſa frigida ardorem affictæ partis abolet, pariaque in Eryſipelate præſtat, niſi id tamen ſit ulceratum. *Frigidum* enim, ut parens Medicinæ docuit, *ulceribus mordax eſt.*

Frigus quibus conducat.

Hip. lib. 5. Aph. 24.

Hip. loc. cit. Aph. 25.

Hip. lib. 5. Aph. 23.

Hip. lib. 5. Aph. 20.

CAlor autem adjuvat omnia quæ frigus infeſtat. Item lippientes ſi nec dolor nec lachrymæ ſunt. Nervos quoque qui contrahuntur, præcipueque ea ulcera quæ ex frigore ſunt. Idem corporis colorem bonum facit, urinam movet. Si nimius eſt, corpus effœminat, nervos emollit, ſtomachum ſolvit. Minime vero, aut frigus, aut calor tuta ſunt, ubi ſubita inſuetis ſunt. Nam frigus

lateris dolores aliaque vitia; frigida aqua ſtrumas excitat. Calor concoctionem prohibet, ſomnum aufert, ſudorem digerit, obnoxium morbis peſtilentibus corpus efficit.

Caloris quæ operæ.

¶ Contrariarum cauſarum contrarii (quantum in ipſis eſt) effectus ſunt. Pro quibus frigus inimicum, iis gratus calor eſt. Dixi quantum in ipſis eſt. Nam multis vitiis frigus ſubvenit, quibus calor non obeſt. Propria vero officia caloris ſunt, denſa rarefacere, craſſa attenuare, dura emolire, aſtricta laxare, impactaque tum coquere tum digerere. Quominus mirum ſit ea omnia facere ipſum poſſe, quæ *Celſus* hoc ordine commemorat. Ergo lippientes, hoc eſt Ophthalmia vexatos, calor adjuvat, ſi neque dolor neque lachrymæ ſunt iuclinata, nimirum inflammatione ac diſcuſſa, quæ loco affecto cocta inſedit materia. Per dolorem ac lachrymas, morbi cruditas notatur. Ille enim vigorem nondum expiraſſe ac forte nec fluxionem quoque ceſſaſſe, hæ nihil coctionis in loco factum denunciant. Quippe ſub hoc lachrymarum nomine tenuem illam ſaniem, quæ ab impreſſis ſedi humoribus exudat, author ſignificavit. Aquoſum enim tenueque facile exprimitur, craſſum vero fixius inhæreſcit. Per hæc tempora ſi quis calidum inflammatis oculis admoverit, hoc nomine peccabit, quod non tantum inſidentis loco materiæ ſit exempturus, quantum novæ eodem attracturus, utique ſi nondum miſſus ſanguis, aut ducta alvus eſt. Proin fracta nondum Phlegmones vi, ſed & perſeverante etiamnum fluxione reprimentia aptiora ſunt, neque ante calidum ſive fomentum ſive balneum eſſe utile poteſt, quam inutilis nulla corpori ſuperſit materia, totaque maturuerit inflammatio. Cujus rei nota ut craſſior promanans pituita, ſic deficiens dolor lachrymæque ſunt. Quippe ſimile quid hic accidit, quod in coryza ipſaque etiam pleuritide animadvertere eſt, per quorum morborum initia tenuis humor exit, crudus plane inſtarque lachrymæ tenuis, poſt vero adæquata per concoctionem materia, lævis, albus craſſuſque vacuatur, certiſſimus & concoctionis & futuræ ſalutis index. Cocta hæc in oculis ſordes, *Celſo* pituita vocatur, lachryma non item. Nam alias inter utrumque evidentia diſcrimina poſuit. Jam vero ut calidorum uſurpatio viginti oculorum inflammationi nunquam prodeſt, ita tum demum pernicioſa eſt, cum acris tenuiſque pituitæ curſus in oculos fertur, ſub quo caſu lachryma fervens multaque profluit, caput calet, a temporibus ad oculos dolor pervenit, nocturna vigilia urget. Tum igitur admotis calidis potius concitatur eo pituita, quam minuitur, quin & oculus ex hoc plerumque extra intrave rumpitur, ac votum eſt, ut tantum exulceretur. Non potui mihi temperare, quin locum hunc paulo ſubtilius excuſſerim, cum non deeſſe ſciam quibus is viſus eſt, admodum nodoſus ac tantum non inexplicabilis. Nunc ad ea quæ ordine ſequuntur, veniam. Calor quoniam diſcutit, relaxatque, diſtentione nervorum ἄπασμον Græce dictam juvat, itemque ea ulcera quæ ex frigore. Idem iis qui colorem decoremque amiſerunt εὐχροίαν conciliat. Urinam cit, non quidem foris incidens (nam tum magis ſudorem digerit) ſed intus potius luxurians, quoniam humores tenuat, fluxos mobileſque reddit. Idem ſi nimius eſt, corpus effœminat, quia triplicem corporis noſtri ſubſtantiam diſſolvit, idque adeo ſæpe valide, ut hinc anima deficiat, vireſque ex toto corruant, &, ut ait *Hippocrates*, ταῦτα ὅσοι θάνατος. Stomachum ſolvit, quoniam laxat, nervos emollit, quia fundit. Frigora & calores nihil æque ut ſubita variatio facit pernicioſa. Sic enim frigus pleuritides creat,

Calor lippientibus quando præſidio ſit.

Celſ. lib. 6. cap. 6.

Calor quibus utilis.

Caloris nimii incommoda.

Hip. lib. 5. Aph. 16.

Caloris & frigoris ſubita

quum

quum humores calore ante fusos in latus exprimit. Pariterque strumas excitat, quoties liquata caloribus excrementa & in cutem evocata, adstringit intusque cohibet. Exprimitur enim frigore, quod tenue est, indurescit, in schirrumque degenerat, quod crassum ac dissipationi rebelle est. At calor concoctionem prohibet, quia laxat, id quod de aere magis, quam eduliis intelligendum est: hæc enim nisi immense sint calida, concoctionem etiam juvant, ille nunquam fere non impedit. Adhæc calor somnum aufert, quia consumpto humori succedere siccitatem facit, sudorem digerit, quoniam humores tenuat, permovetque, & habitum rarefacit. Obnoxium corpus pestilentibus morbis efficit, quia putredinem in humoribus ex facili creat.

alternatio quæ mala inferat.

CAPUT X.

Observatio in pestilentia.

EST etiam observatio necessaria, qua quis in pestilentia utatur, adhuc integer cum tamen securus esse non possit. Tum igitur oportet peregrinari, navigare: ubi id non licet, gestari, ambulare, sub divo, ante æstum leniter eodemque modo ungi, & ut supra comprehensum est, vitare fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem, multoque magis se continere si qua gravitas in corpore est, tum neque mane surgendum, neque pedibus nudis ambulandum est: minimeque post cibum aut balneum. Neque jejuno, neque cœnato, vomendum est: neque movenda alvus, atque etiam si per se mota est, comprimenda est. Abstinendum potius, si plenius corpus est. Itemque vitandum balneum, sudor, meridianus somnus, utique si cibus quoque anteceſſit: qui tamen semel die tunc commodius assumitur, insuper etiam modicus, ne cruditatem moveat. Alternis diebus invicem modo aqua modo vinum bibendum est. Quibus servatis, ex reliqua victus consuetudine quam minimum mutari debet. Cum vero hæc in omni pestilentia facienda sunt, tum in ea maxime quam austri excitarint. Atque etiam peregrinantibus eadem necessaria sunt, ubi gravi tempore anni discesserunt ex suis sedibus, vel ubi in graves regiones venerunt. Ac si cetera res aliqua prohibebit, utique abstinere debebit, atque ita ab vino ad aquam, ab hac ad vinum eo qui supra positus est modo, transitus ei esse.

¶ Tota hæc de Peste narratio prophylactica est, cujus comprehendi summa sub tribus præceptis potest, primum caveatur, ne qua virium imbecillitas urgeat, dein ne qua sit humorum ad concipiendam putredinem aptitudo, ac tertio ne noxio recipiendo aeri corpus recluſis nimium poris expositum sit. Nam quoniam hoc mali genus propria quadam antipathia cor spirituſque vitaleis impetit, utique sedulo providendum est, ne his infirmis contagium corpora occupet. Tum quia præcipua morborum occasio succorum est ad hos aptitudo, curandum est, ne quid venis

Ratio arcendæ pestis in duobus consistit.

impuræ ſuperſit materiæ. Poſtremo habenda cura eſt, ne habitus quitotus undique perſpirabilis aeri eſt, ſine modo rareſcat, atque malo (ut dicitur) feneſtram aperiat. Hac regula velut in conſpectum adducta, cognitiſque iis generibus quæ vires labefactare, vitiare ſuccos, aut rarefacere corpora conſuerunt, promptum cuique erit perſpicere, quid ſub peſtifero cœlo ſecundam valetudinem, quid adverſam faciat. Ergo ſæviente hac lue peregrinari oportet atque navigare. Nam cœlum nuſquam perperam mutatur quod morbum creat. Sed & nulla præſentior peſtilentiæ medela fuga eſt. Hujus ubi nulla facultas eſt, ambulatio ſub dio & ante æſtum, utilis eſt. Diſſipatur enim hoc modo ſi quid inutilis materiæ corpori ſupereſt. Tum ungi quoque poſthæc non alienum eſt, nam rarefactus ambulatione habitus pinguedine occluditur, ſic ut non promptus in corpus contaminato aeri ſit introitus. Fatigatio, libido, cruditas, frigus, calor, non alia de cauſa nocent, quam quod ſuccos vitient, & vires nimium convellant. Si grave eſſe corpus cœpit, continendum id altiſſima in quiete eſt, ne male conditos humores, turbatio graviori incommodo perdat. Sed nec mane admodum e lectulo ſurgere tutum eſt, quando nondum Sole perpurgatus aer in noctis ac Maturæ vaporibus peſtilentior eſt. Neque vero nudis pedibus (ut moris erat Romanis) prodire convenit, ne quo frigore poſt calorem corpus repente moveatur, quæ res ad conciliandam peſtem (ut alias propoſuimus) plurimum poteſt, ac veluti viam ſternit, ſoletque tum potiſſimum incidere cum ſumptus cibus calorem intro revocavit, aut balneum corpora rarefecit. Jam neque famelico, neque ſaturo idoneus vomitus aut ducta alvus eſt. Nam cum turbatis tum disjectis ſpiritibus vitalibus itemque ſtomacho relaxato, natura patitur: paſſa (ut modo comprehenſum eſt) protinus malo cedit ac veluti manum dat. Ejuſque rei cauſa ſi venter fuſus eſt, comprimendus eſt. Tametſi illud vacuandi jus ut effrenatis pharmacis antiquorum negatum, ſic noſtris longe clementioribus tributum ſit. Nam ſi venis cacochymia ſubeſt, quid vetat quo minus licenter ſine turba hæc auferatur. Si cibus intus computruit, aut contracto acore vitioſus eſt, cur nefas ſit hunc ſupra infrave extundere, cur non ejus colluviem venis eripere qua ſemel imbutis id vitiatum cœlum eſt, quod oleum igni eſt. Ut vero non diffiteor, ſi quis plenior eſt, abſtinentiam his omnibus, ubi validis remediis tentantur, præſtare, ita contra aſtruo cedere ſi his moderatio ac placida vis ſubeſt. Vitandum balneum ac ſudor eſt, quoniam ambo hæc corporibus partim diſſipatis vires conſumunt, partim rarefactis facilem aeri noxio ad viſcera acceſſum præbent. Meridianum ſomnum, ſi is in jejunio fit, ſubſequens extenuatio, ſi poſt cibum, cruditas, formidabilem facit. Cibus ita ponendus eſt, ut neque inedia bilis, neque ſaturitate pituita cumuletur. Utrumlibet enim ſuccos vireſque laceſſit. Forte ergo Romanis ſemel, nobis bis eſſe abunde eſt. Interpoſitis temporibus invicem modo aquam bibere, modo vinum oportet, ne aut per illam cruditas, aut ex hoc ardor aliquis oriatur. Atque hæc eſt vivendi ratio per peſtilentiam neceſſaria, ut immunis inter tot pericula valetudo ſit, ſummoque hæc ſtudio tum demum obſervanda eſt, cum Auſtri nimio calore humiditateque gravem auram reddiderunt. His enim ventis cœlo imperantibus cum loca facillime peſtis occupet tum ægerrime deſerit.

Graſſante peſte peregrinandum navigandumque eſt.

Ambulatio. Unctio ſub gravi cœlo utilis.

Quæ res per peſtilentiam fugiendæ.

Vomitus & dejectio ſeviente peſte inutilia.

Balneæ, ac ſudationes gravi tempore vitandæ.

Somnus meridianus per peſtem fugiendus.

Quæ edendi bibendique ratio obſervanda ſit.

Auſtri difficilem peſtem invehunt.

FINIS COMMENTARIORUM.

JODOCI LOMMII

Medici olim celeberrimi

OBSERVATIONUM MEDICINALIUM

LIBER TRES.

AMPLISSIMO ORDINI
SENATORIO REIPUBLICÆ
BRUXELLANÆ
JODOCUS LOMMIUS
S. D.

CUM omnes artium Profeſſores liberalium has ipſas pro viri-li quiſque ſua parte diligenter verſare, & in uſus accommodare hominum, tum præcipue Medici debent. Hi enim ſalutarem illam ac prope divinam agitant artem, præſidem ſanitatis humanæ, ſine qua nihil in vita ſuave, ne magnis quidem eſſe Regibus poteſt. Id ego inſtitutum, Viri Ornatiſſimi, & ſpectavi ſemper maxime, & ſui naviter ſecutus, tum curationibus ægrorum meorum, tum in publicum evulgatis ſcriptis, hinc adeo futurum arbitratus, ut ipſos etiam poſteros, non tantum ſuperſtites meo mihi beneficio demerear. Ergo modo (quoniam ſanitatis tuendæ præcepta abunde alias tractavi) ægrotantibus conſulere hoc opere propoſui, eam amplexus Medicinæ partem, quæ notas morborum omnium, itemque prædictiones, atque cenſuras, quæ de his haberi poſſint, continet. Videtur profecto ea meditatio potiſſimum, cum ad ægri ſalutem, rectamque curationem, tum ad Medici fidem atque dignitatem ſpectare. Primum enim, quia noviſſe morbum proximus eſt ad ſanitatem gradus; nemo ſane hanc aut præſagire, aut reddere affectis recte poteſt, qui non animadvertere genus ægritudinis quod ſit, non ejus eventum omnem prænunciare, certis indiciis norit. Contra vero prudenter curationem inſtituet, & admirabilis apud omnes homines gloriam conſequetur, ſed & ægri utetur in omnibus obſequio, quiſquis ſignorum inſtructus adjutuſque cognitione, primo morbum noſcere, atque ægris, ſi videtur, exponere, dein ejus prædicere durationem, omnemque eventum poteſt: ſic, ut ſi convaleſcere poſſe homo videtur, reddita curationibus ſanitate, laus Medico comparetur: ſin minus, præſagio vitetur calumnia. Sed eſt ea magni operis res, & ab uno, puto, Hippocrate ex profeſſo litteris agitata. Itaque fit, ut, quemadmodum libenter ea negligimus omnes præcepta, quæ ſedulitatem exigunt, ſic huic Medicinæ parti, quam proponimus, minimum prope laboris a noſtris hominibus detur. Nam multis ſatius eſt compendia quædam medendi quærere, & his cumulare opes, atque miſerorum cædes miſcere, quam longe ſudoribus, indefeſſaque mentis intentione morbos ſtudere cognoſcere, atque æſtimare, ac tum primum his ipſis incolumi conſcientia auxiliari. Fit adeo ex ignoratione rerum harum, ut temere illi vel in rebus deploratis ſalutem promittant, vel in ſecuris omnia metu terroreque compleant. Memini ego complures me videre haud infirmæ notæ Medicos, qui per acutam febrem, etſi multa eſſent virium infirmarum, atque exitii ſigna veriſimilia, magnificis tamen ſalutis promiſſis,

missis (quoniam id forte temporis urina utcumque maturuerat) miseros consolarentur. Verum post ut morbi exitus ægro calamitosus, ita ignominiosus Medico erat. Plures his sunt, qui cum febricitantem vident sub gravissima accessione desipere, & loqui aliena, simulque brachia & pedes nudare, ac varie spargere, tum e cubili magno impetu, magnisque vocibus exilire, verberare proximos quosque, neque necessarios, neque familiares agnoscere, caloribus extorreri, acutissimis doloribus affici, ac siti prope enecari; hæc, inquam, cum vident, concocta quantumvis naturæ viribus ea unde morbus est materia, exterrentur, & more pavidarum muliercularum ad extremum rem rediisse omnem, pronunciant. Verum facessentibus per judicationem (κρίσιν Græce dicunt) turbis his illico resolvi morbus incipit, ac vani metus levari, magno falsi præsagii contemptu. Atqui hinc sciri potest, nullum operæ pretium in curationibus morborum fieri a Medico posse, sine hac tam necessaria tamque plausibili prædicendi arte. Eam nos, Viri amplissimi, tribus Libris, qua potuimus brevitate, comprehendimus, ut communem rem ægrotantium, ac præcipue Civium vestrorum, hac in parte, juvaremus. In quo negotio quanta usi simus diligentia, atque industria, aliorum esto judicium. Nos certe, quod licuit, præstitimus. Nec diffitemur clarorum scriptorum Ingeniis, maxime vero antiquissimi Hippocratis multum nos adjutos esse. Quæ res adeo vitio verti non potest, ut etiam dignitatem, fidemque nostris monumentis pleniorem sit allatura. Sed quoniam morem apud scriptores sæculorum omnium obtinuisse video, ut magnorum virorum patrocinium scriptis adsciscant suis, eum ego ipsum quoque secuturus morem, haud aliunde rectius opem mihi hanc præstari posse judicavi, quam ab amplissimo spectatissimoque consessu atque Ordine vestro, sic sane ut quorum commodis hic meus serviet liber, eorum is fultus authoritate atque favore, in lucem, & in manus hominum exeat. Quos enim ego potius exoptem mihi nunc, quibus hoc opus nuncupem, dari? Vestri nominis dignitas atque splendor Civitatis, sed & privata alioqui, quæ mihi cum multis vestri Ordinis Viris Doctissimis intercedit amicitia, fecere, ut ingens mihi incesserit cupiditas, imo animus exarserit, lucubrationes has sub Vestri Nominis auspiciis evulgandi, sempiternæque (uti spes est) posterorum consecrandi memoriæ. Quam. quam veniam mihi cupiam a vobis dari, si forte nimium confidenter, ne dicam licenter, tenuia hæc, ac parum speciosa attulisse videbor. Quis enim nescit non nisi maxima consecrari tantæ Reip. oportere, quanta nihil est illustrius atque splendidius.

Dico hoc, Patres conscripti, summo jure, meritoque Civitatis Vestræ, cujus ornamenta nunquam æstimare animo pro dignitate, si velim, possim, nedum oratione consequi. Attamen cum undique hic quadam occasione ingens sese ingerat laudis materia, non potui temperare egomet mihi, quin pleraque sequerer scribendo tantæ Reip. decora. Et quidem laudes mittam, quæ ab antiquitate civitatis, a robore, a legibus, atque institutis duci maxime possint. Id enim non hu-

jus

jus esse loci, sed ad aliarum artium attinere possessores existimavi. At quod nostri magis instituti est, id sequar, commoditatem & salubritatem loci hujus, ipsamque amœnitatis decorisque plenam faciem scripto celebraturus. Toto Oriente atque Meridie montibus, non nimium altis, civitas insidet, sensimque in Occasum sese, & in Septentrionem, donec tota fiat humilis, explicat, amœnissimum contemplantibus aspectum præbens. Nam altioribus locis sunt, quæ undequaque videre est, molimina ædificiorum atque templorum. Stat præcipiti colle magnifica D. Gudulæ ædes, duabus in fronte superba turribus.

Paulo altius, ad Meridiem, Regis eminet palatium: quod ipsum omni dehinc parte turritis Principum ædificiis longe lateque ad ipsam usque civitatem humilem cingitur: ubi huc oculis ventum est, ante omnia sese spectantibus offert publica civium domus. Ea modis omnibus ita absoluta est, ut nullam tota provincia habeat secundam. Quid! quod limpidissimis numerosissimisque fontibus non solum foris ante poneque circundatur, sed interius etiam aliis inferius positis, aliis juxta Procerum cœnaculum ad triginta quasi pedum altitudinem evectis, adornatur. Jam autem mediis domus tectis turris exurgit prodigiosæ excelsitatis, saxis ad ipsum usque pyramidatum fastigium artificiose laboratis junctisque firmata. Huic fastigio æneus insistit Michael, Urbis Patronus, quem nemo sine stupore (tantæ molis cum sit) vento verti inconcussum aspicit. Opus apprime arduum, & ingeniis hominum nostrorum prope superius. Porro hinc circumcirca conspicari est ingentia Divorum templa operosis eminentia turribus. Mediæ inter hæc cernuntur confertissimæ Civium domus, splendoris operisque plenæ. Post has qua parte Occasus atque Septentrio est, in prata lætissima oculis ad usque mœnia decurritur, ea ubique objecta rerum facie, qua nihil cerni jucundius atque venustius potest. Liceret modo interiora Urbis propius intueri, atque ex his ducere laudes, nisi ea infiniti operis res esset. At invitat, imo cogit scribentem me, quod (missis ceteris) maxime memorabile reticere nullo modo possum: cunctam prope Civitatem saluberrimis fontibus irrigari, perenni scaturigine manantibus, non modo his qui in publico numerosi sunt, verum etiam privatis, qui infiniti. Jam vero ut intra mœnia splendoris omnia esse plena demonstravimus, ita extra quoque nihil est, quod in summa voluptate non afficiat spectantem. Hic in omnem pene regionem montes non nimium alti, neque ullis molesti crepidinibus excurrunt, frumentorum omnis generis feraciissimi, lætissimarum vallium interstitio late diffiti. In his vallibus armentorum greges, & piscibus referta stagna, ut contemplantibus faciem voluptatis plenam, ita summos oppidanis usus præbent. Quid vero sylvam commemorem, quæ modo a Civitate miliari ad Meridiem vastissima densissimaque occurrit. Summa hic civibus lignandi facultas, summa venandi Principibus aulæ datur. At contraria parte, quæ extra muros ad Septentrionem est, quanta amœnitas pratorum, passo æquore ad ipsius usque Vilvordiæ portas, sese explicantium! Medius in his humili alveo Zinna labitur fluvius, & juxta hunc novarum visuntur fossionum molimina, fir-

mo utrinque ſepta aggere. Pulcherrimum mehercle ſpectaculum, virentiſſimam planitiem duplicibus aquarum ductibus interſectam adornatamque videri. Hæc iſta civitatis veſtræ ornamenta non ſine cauſa jam inde ex tam longo ævo primum impulere Brabantiæ Duces, atque hinc Imperatores, potentiſſimos Orbis Monarchas, ut hunc ſibi locum, totius Belgii noſtri amœniſſimum, atque commodiſſimum, commorandi cauſa, delegerint: ſimulque ſuum hic quoque eſſe Cancellarium, ſupremum Brabantiæ Magiſtratum juris dicendi cauſa voluerint, ut quæ modis omnibus eſt florentiſſima, hoc quoque nomine florentior Civitas eſſet. At una res vobis, Patres Conſcripti, ad cunctam felicitatem viſa eſt defuiſſe. Nam cum Antverpiæ, nominatiſſimi Europæ Emporii, frequentatio penitus ſit neceſſaria, conſtat tamen hanc nequaquam facilem eſſe poſſe. Scilicet veſtri fluminis nimium anfractuoſi, ac magis locorum ſpatiis hac illac ſe intorquentis cauſa factum eſt, ut non niſi pluſculis diebus, moleſtiſſimoque itinere ultro citroque liceat navigare. Itaque cum ceteris partibus floreatis omnibus, hac ſola laboratum a vobis fuit. Ergo ingens opus, & apud omnem poſteritatem memorabile aggreſſi, iter vobis ad ipſum Schaldim, altiſſimis latiſſimiſque foſſionibus, incredibili ſumptu, atque ſolertia, quinque grandium miliarium longitudine pateſeciſtis: quodque negare natura loci videbatur, vixque abſolvi magnorum Regum theſauris poſſe, id vos induſtria veſtra, veſtriſque opibus prudenter incepiſtis, conſtanter promoviſtis, feliciſſime jam totum prope confectum dediſtis. Sentiunt profecto virtutum æmuli veſtrarum, ſentiunt, inquam, & oculis jam nunc cernunt rectis conſiliis inſtitutas has foſſiones eſſe. Reputate, quæſo, nunc, Patres Conſcripti, apud animos veſtros creſcentem ex hac re opulentiam, celebritatemque Civitatis hujus veſtræ, quam brevi videmus mercibus frequentari ab omni Oceani noſtri littore advectis poſſe. Quantæ vero voluptati omnibus fuerit navibus has aquas onerariis & ratibus perpetuo ſollicitari, & intra & extra mœnia cernere. Ergo veſtri facti hujus ſempiterna in animis civium fuerit collaudatio, dulciſque memoria, florebuntque eminentiſſima hæc veſtri nominis inſignia, quæ adeo non potuerunt ulla vetuſtate obliterari, ut ſpatio majus indies incrementum apud poſteritatem ſint conſecutura. Sed modum finemque facio, Viri Ampliſſimi, veſtræ Civitatis atque virtutis commemorandis ornamentis, quæ ſic jam laudibus florent ſuis, ut noſtra prædicatione parum videantur acceptura ſplendoris, diſertioribus hominibus, a quibus plene celebrentur, digna. Quapropter veſtræ etiam fuerit humanitatis condonare, ſi parum pro tanti Ordinis dignitate præſtitiſſe videbor. Æquitas animorum veſtrorum valebit, noſtramque boni conſulet tenuitatem, magna animi erga vos fretam promptitudine. Quod ſi factum, uti confido, a vobis erit, majorem nobis alacritatem, ſtudiumque ſcribendi majus injicietis. Nam ut modo notas atque præſagia proponimus morborum, ita ſorte & cauſas horum, & curationes olim dabimus. Valete.

Bruxellis, 26. *Mail*.
V. CL.

JODOCI LOMMII

MEDICI CLARISSIMI

MEDICINALIUM

OBSERVATIONUM

LIBER I.

Quo morbi, quibus tota occupantur corpora, animadvertuntur.

OBſervationes ſcripturus medicinales in noſcendis æſtimandiſque morbis neceſsarias, recte ab iis incipere vitiis poſse videor, quæ totis corporibus inhæreſcunt. Ex horum ordine vitiorum frequentiſſimum, & generi hominum inimiciſſimum, febris eſt; adeo ut quorundam litteris proditum ſit nunquam quemquam, niſi violenta morte raptum, ſine eo morbo vitam amiſiſſe. Ergo a prima origine rem aggrediar, primumque id genus febris ponam: quæ, quia uno die finitur, Græci ἐφήμερα, nobis diaria appellata eſt. Ea autem his ſeſe notis profert.

Mitis toto in corpore calor eſt, qualis in iratis hominibus percipi, aut vino fartis ſolet. Pulſus arteriarum (quod profecto huic febri proprium eſt) protinus a magnitudine incipit, idemque ut modice celer ac frequens, ita æqualis & molis, & juſti ordinis pro modo naturæ eſt. Nihil etiam aut certe parum urina demutatur. Ipſum vero morbum non cibi antecedit faſtidium, non ſpontanea corporis laſſitudo, ſed neque gravior ſomnus multave oſcitatio, neque horror: verum repente totus ſemel is accedit, nulloque graviore incommodo, ubi jam eſſe cœpit, moleſtus eſt; dolorem intelligo capitis atque ventriculi, itemque nauſeam, æſtum, corpo- Febris diaria.

poris inquietudinem, & hujuſmodi. Solvitur malum interdum latenter ſine ſenſu manifeſtæ inanitionis, ſæpius per copioſos tum halitus, tum madores, aut certe per ſudores ut ſuaves, ſic minime multos. Scire etiam licet diariam febrem ſemper fere a cauſis moveri evidentibus, vigilia, ſollicitudine, mœrore, ira, æſtu ſolis, laſſitudine, temulentia, inedia, & ſimilibus, eandemque unico finiri die conſueſſe, quem diem ſi tranſit, tertiumque ſuperat, jam tum diariam eſſe deſinere, in putridamque, quæ mox proponetur, abire. Sub eo caſu ſi vehementer corpus ſiccum eſt, timeri etiam hectica febris poteſt. Diariam omnem curaſſe quam noviſſe facilius eſt. Itaque fere ſequitur, ut hæc ipſa prius nocere poſſit, quam ſciri. Eadem bilioſum hominem negociis deditum, & promptius, & majore periculo afficit.

Ad hunc quoque locum pertinere ea febris videtur, quæ diariæ ſervans naturam propter ſanguinis non putrefacti fervorem, multum ardoris, ruboriſque corpori exhibet. Græcorum nonnulli σύνοχον dixerunt, nos continentem non putridam. Hæc quidem eaſdem quas putrida notas, at paulo evidentiores exhibet. Quanquam hic etiam caput vel dolet, vel grave eſt, corpuſque omne, ac præcipue facies vehementer rubet, caletque. Adhæc altior occupat ſomnus, multum arteriæ in temporibus moventur, ipſa ſpiratio moleſta eſt, pulſuſque magnus, & plenus, & frequens, & velox, totum denique corpus ſegneſcit, & quadam veluti laſſitudine occupatur.

Febris continens non putrida.

Venio nunc ad eas febres quæ ſuccorum implicitæ ſunt putredini, ex quibus primum ea proponetur, cui cauſam putrefactus ſanguis dedit. Græcis ea perinde atque ſuperior σύνοχος, nobis autem continens putrida appellata eſt. Signis quidem hæc febris, quibus ea quam proxime dixi, iiſdem, ſed manifeſtioribus ſeſe profert. Verum acrior ſubeſt calor putredinis comes, guttur, & quæ juxta ſunt loca exturgeſcunt æſtuantque, unde præpedita ægro oratio eſt: adhæc oculi calentibus implentur lachrymis, venterque nonnullis intumeſcit, & percuſſus, ut tympanum, ſonat. Ipſe pulſus, magnus, vehemens, celer, & frequens, ut in priore Synocho eſt, at hic etiam eſt inæqualis, in priore non eſt. Urina craſſa mejitur, rubra, turbida, ſedimento carens. Non raro etiam exanthemata per corporis ſumma efflorescunt, ut alias alia, ſic frequentiſſime vel livida, vel nigra. Id malum fere poſt quartum diem eſſe deſinit, & ſi quidem continenter increſcit, periculum afferre vitæ poteſt, utique ſi jam aſpera lingua, nigraque eſt, ſi refugiunt oculi lucem, ſi urina ut nigrum vinum obſcura eſt. In quo hæc non ſunt, ipſaque febris magis magiſque decreſcens miteſcit, is potius eſſe in tuto videtur. Quum autem morbus æquali ſemper impetu fertur: ſecurior quidem is erit, eo qui increſcit, gravior autem eo qui declinat. Quæ obſervatio in continente etiam febre non putrida habenda eſt. Scire autem licet utramque Synochum, non niſi temperatæ naturæ hominibus, & ſanguine non malo plenis, ſimulque carnoſis accidere conſueviſſe. Facilis quoque a continente non putrida in putridam, & ab hac rurſus in continuam tertianam tranſitio eſt.

Continens putrida.

Sequitur id genus putridæ febris, quæ Græcis συνεχής, nobis continua dicitur Synocho putridæ acceſſionum continuatione affinis, ea tamen re diſſimilis, quod hæc ab alterutra bile aut pituita profecta eſt, quodque pro horum natura atque motu humorum circuitus habet, quibus etſi non omnino ceſſat, remittit tamen, & quietiora tempora afflictis præſtat. Synochus vero ex ſanguine oritur putrefacto, nec ullam remiſſionem ad morbi uſque judicationem præbet. Porro continuam febrem neque horror aliquis, neque rigor, neque frigus antecedit, ſed tota ea repente calore hominem adoritur, quamquam non raro rigorem aut horrorem corruptus humor circa præcor-

Febris continua.

cordia consistens, tantisper movet, donec totus quoque a febre incensus sit. Semper autem calor acris atque asper est, idque magis increscente accessione atque consistente. Ipsa respiratio, itemque pulsus inæqualis est. In eo enim velox contractio, distentio tardior est. Idem pulsus, modo celer, modo tardus est: itemque modo validus, modo languidus: ut primum incipit accessio, velox is atque parvus: in vigore supra velocitatem etiam, egregie magnus est. Urina initio crassa, rubra, ac turbida est, ac neque nubem, neque suspensum quid, neque sedimentum habet. Eadem interdum tenuit quoque, sed rubra & minime perspicua est. Quicquid denique aliqua parte corporis vacuatur, sive sudor id fuerit, sive alvi proluvies, vel urina, fere gravi odore molestum est. Continua, tum quotidiana, tum quartana fere incerta, atque ordinis expers esse solet, sic ut alio die bis, terve efferveſcat, alio id non nisi semel, aut certe prorsus non incidat. Continua quartana rarissima est, hac minus rara quotidiana. Tertiana quæ nobis ardens febris, Græce καῦσος dicitur, omnium est frequentissima. Ea his signis noscitur. Summo incendio corpus extorretur, idque intus magis quam foris. Accedit pertinax vigilia, & profundior interdum somnus. Lingua arida, & crassa, & aspera, subnigraque & amara est. Spiritus difficillime trahitur, incipit affici morsu stomachus, cibique cupiditas perit, vehemens tum sitis, tum æstus præcordiorum est. Alvus aliis soluta, aliis compressa est. Ipse æger penitus inquietus morbum male sustinet, frequentique subinde delirio perturbatur. Hoc febris genus, quoniam summe vehemens est, brevi finitur. Itaque si protinus ab initio signa exhibet bona, plerisque omnibus quarto die solvitur, nullis post septimum manet. Tum vero aut vomitio fit, aut alvus profluit, sudorve ex omni corpore, aut sanguis e naribus fertur. Senibus hic ipse morbus, ut infrequens, sic apprime pernicioſus est. Tutius & sæpius juvenes sic laborant. Febris ardens non raro in pulmonis vertitur inflammationem, idque ubi fit, in propinquo exitium. Tum in hoc morbo, tum in aliis continuis febribus grave esse periculum significatur, ubi aurigo ante septimum diem oritur, aut ubi quis ante materiæ concoctionem inhorrescit, magisque si vis corporis admodum infirma est, ubi post rigorem æger non recalescit, ubi continua vigilia, vel sopor, vel delirium est, ubi vox intercipitur, aut aures obsurdescunt, aut collum vehementer dolet, præcipue in his quibus proclivis insania est, ubi æger quid accepturus manibus tremit, ubi vehemens sitis, simulque ingens corporis squalor est, aut ubi lingua nigricante, totoque ore præsicco, nulla hominem sitis urget, simul os præter consuetudinem male olet, ubi singultus incidit, præcipue post citam alvum, aut post sanguinem sine modo effusum, ubi puero venter nihil reddit, nullusque accedit somnus, sed & colorem is ipse sæpe mutat, continenterque plorat. Siquidem huic proxima distentio nervorum est. Ubi cum acuto capitis dolore præcordia revelluntur, neque tum sanguis e naribus fertur, aut ubi hunc casum biliosa alvus, aut tormina, itemque coxarum, vel genuum dolor, neque comitantur, neque tollunt. Scilicet sub utraque re promptissimum delirium est, ubi viscera gravis dolor fatigat, simulque nervorum oritur distentio. Ubi simul præcordia dolent, simul somnus profundus tenet, aut ubi ventriculo gravis ardor, aut morsus molestus utique est, si tum quoque alvus biliosa est. Ubi dejectio penitus retinetur continuo dolore caput exercente. Ubi urina aquæ speciem repræsentat, quo fere tempore delirium comitatur. Hæc urina exitium etiam, si diu talis fertur, portendit.

Febris ardens.

Periculi signa in continuis febribus.

Idem

Idem periculum eſt, ubi urina rubra, craſſa, confuſaque, & mali odoris eſt, eademque, parvo temporum intervallo ſæpe pauca & cum difficultate mejitur, aut ubi ſine ratione matura eſt, aut præter voluntatem elabitur. Ubi vim febris ægrotus homo non ſentit, mentis errore præpeditus. Ubi prima febris acceſſione protinus uber ſudor erupit, aut viciari mens cœpit, parſve aliqua corporis reſolvi. Ubi denique acceſſio tertio quoque die vehementiſſime invaleſcit. Proximum nunc eſt ea ſigna ponere, quæ in acuta febre certam denunciant perniciem, quam ſcire licet in propinquo eſſe, ſi ſub magno morbo ultima corporis infirmitas eſt, magiſque ſi tum quoque vel delirium, vel rigor incidit, ſi is qui mentis uſu caret taciturnus eſt, utique ſi voce alioquin privatus non eſt. Si infirmis viribus labra, vel ſupercilia, vel oculi vel nares pervertuntur, ſi æger tum quoque neque videt, neque audit, aut ſi voce amiſſa, conniventibus oculis jacet, neque eo tempore e naribus profluit ſanguis, neque vomitus incidit, unde id mali tollatur. Quod incommodum eo quoque fuerit gravius, quo ſimul ſpiritus difficilius trahitur. Æque horrendum eſt, ſi oculi illachrymant, aut vehementer ſubſederunt, aut foras prominent, ſi caligant, ſi incerti huc illuc vertuntur, contrave immobiles obſtupeſcunt, aut denique diſtorquentur, ſi alba eorum grandeſcunt, nigra minuuntur, aut ſi ubi hæc ſub ſuperna conduntur palpebra, illa rubeſcunt, atque in iis pallidæ venæ, nigræve cernuntur, aut ſi quid modo telæ araneorum concretum, totis oculis innaſcitur, vel innata pituita, noviſſimiſque angulis inhæreſcit, ſi per ſomnum palpebræ penitus non coeunt, eædemque vehementer pallent, niſi id tamen ſuſa alvus fecit, ſi oculorum denique alter minor altero eſt. Ad hæc ſi in aurem acutiſſimi doloris tormentum incidit, maximeque in juvene, quem ſane is caſus fere intra diem ſeptimum occidit. Verum ſenior aliquis, quia non æque graviter aut dolet, aut febricitat, magis in tuto eſſe creditur.

Exitii nota.

Si cauſſa febris dentes ſtrident, itemque lividi, nigri, aut vehementer aridi ſunt, ſimulque lingua per morbi principium ſicca, deinde aſpera, poſt etiam nigra, craſſaque eſt. Si æger ore hians jacet, & aſſidue dormit, aut ſi is ſubito ſtrangulari videtur, ac neque potum devorare, neque ſalivam ſuam poteſt, nullo tamen ſubſtante in faucibus tubere. Si collum difficillime vertitur, aut idem ſic diſtorquetur, ut moleſta inde ſit deglutitio. Si frigidus efflatur ſpiritus, ſi pulſus obſcurus, denſus, & interciſus eſt. Si ſitis ante vehemens, nunc penitus aboletur, febre tamen æque gravi, ipſaque lingua æque ſicca atque nigra. Si vomitus cruentus incidit, aut varius multorumque, qui boni non ſunt, colorum, & fœtens. Si digiti floccos in veſte legunt, vel fimbrias diducunt, vel aliquid in adjuncto pariete carpunt: ſi horum ungues extremaque livent, vel nigreſcunt, quanquam nigra ea fieri haud juxta periculoſum ſit, utique ſi validæ vires morbum non difficillime ferunt, aliaque ſalutis ſequuntur ſigna veriſimilia. Nempe tum quidem bona valetudo redit, ſed nigræ partes corruptæ decidunt. Pernicioſum inſuper eſt, ventrem in tumorem attolli, magiſque ubi datum medicamen purgans fuit: aut hunc ipſum flatibus diſtentum, hos emittere non poſſe. Ad hæc per initia febris bilem atram ſupra infrave prodire. Alvum liquidam ſimulque nigram, vel pallidam, vel pinguem, vel mali odoris eſſe. Hanc ipſam cum ſubita palpitatione cordis, atque ſingultu eſſe compreſſam. Urinam intercipi cœpiſſe, aut nigram meji, & craſſam, & fœtentem, aut urinam quæ ante fuit bona, repente notas exhibere non bonas, aut per omne morbi tempus nihil ab urina diſſidere hominum ſanorum. Tum etiam ipſum mictione reddi ſanguinem, aut veſicam dolere duramque eſſe. Æque mortiferum eſt, per initia morbi extrema, refrixiſſe maxime-

que

que hæc ipſa non recaleſcere potuiſſe, aut extremis frigeſcentibus interna caloribus extorreri, atque ſitim multam facere. Adhæc ſubito ſine cauſa manifeſta febrilem ardorem conquieviſſe. Ortos ſub infirmis viribus eſſe ſudores, ſimulque animam defeciſſe. Ipſum etiam ægrum ſupinum cubare, genuaque contrahere, & deorſum ſubinde ad pedes devolvi. Brachia item & crura nudare, diſpergereque, quæ calida tamen non ſunt. Adhæc qui inferiora loca corporis tenebat dolor, repente eum ad viſcera translatum deſiiſſe. Ulcus quod ante, & in ipſa natum febre eſt, ſiccum ac lividum eſſe. Puſtulas item toto corpore erumpere, modo tamen abſceſſus aliquis purulentus non exoriatur. Quin orto etiam juxta aurem abſceſſui nullam accedere maturitatem potuiſſe, neque e naribus cruorem fundi, neque urinam craſſam, multamque ferri. Præterea frigidum ſudorem moveri, ipſumve ægrum quarto die, itemque ſeptimo multum affligi, neque ullam undecimo experiri judicationem, aut diebus hunc judicialibus inalgeſcere, non ſubſequentibus ſudationibus. Rigorem etiam incidere, ſæpeque redire, neque ex eo tamen morbum levari. Porro ad extrema ventum eſt, ſi tempora collabuntur cauſſa febris, nareſque acutæ fiunt, & oculi concavi, & frigidæ languidæque aures, & imis partibus leniter verſæ, ſi cutis etiam circum frontem dura & intenta eſt, ipſeque homo cadaveri ſimilis perpallida aut nigra planeque corrupta propter morbum facie eſt. Proximæ mortis indicia.

Ex continuarum febrium ordine ea quoque eſſe cenſetur, quæ, quoniam omnium mitiſſima eſt, Lenta appellatur: ea ſcilicet quæ latentem putredinem humoris viſceribus impacti, aut ipſorum etiam viſcerum ſequitur corruptelam. Vix ægrotare homo videtur, nullumque quod grave ſit incommodum pati, corpus tamen ſumpto alimento non proficit, ſed paulatim conſumitur, atque liqueſcit: ipſumque ſic imbecillum fit, ut ægre loco moveatur. Pulſus eſt frequens, celer, & inæqualis, non tamen magnus. Urina interdum putredinis notas habet. Hic morbus fere malum habitum corporis comitatur, & fœdos virginum colores, eſtque maxime diuturnus, ſæpe quadrageſimum longe excedens diem. Sed eſt quoque multo periculoſior, cum non humoris obſtruentis vitium, ſed ipſius etiam viſceris ſequitur corruptionem, jecinoris ſcilicet, vel pulmonis, vel cerebri, vel lienis, & interdum renis partiumque longius ſitarum. Tum ſupra ea omnia quæ modo propoſui, hæc quoque contingunt. Multo longoque tempore morbus gignitur, paulatimque creſcit, alios fere ſecutus morbos; curatione maximeque vacuantibus remediis non lenitur, ſed interdum etiam exaſperatur. Facile ſyncopen accerſit, corpuſque ſenſim, & nonnunquam ſine ſenſu mali hujus debilitat, & marcore conſumit. Hoc ipſum profecto genus febris eſt, quod in iis animadvertitur, quos tabes male habet. Febris lenta.

Sequar nunc eas febres, quæ quieta aliqua tempora intermiſſioneſque ægrotis præſtant. Harum alia tertiana, alia quartana, alia quotidiana eſt. Tertiana his ſignis ſeſe prodit. Protinus ab initio, perque omnem decurſum cum ipſa acceſſione rigor tertio quoque die invadit pungens & corpus quaſi vulnerans, tametſi ſola interdum ſit refrigeratio, ubi levior ſcilicet morbus eſt. Sub rigoris finem bilioſus ſequitur vomitus, vel certe ſoluta alvus. Tum calor toto corpore accendi incipit, æger præ vehementi æſtu corpus nudat, varieque dejicit. Idem difficulter ſpirat, & capite dolet, nec raro etiam delirat. Pulſus, ut primum incipit acceſſio, contractus parvuſque eſt: mox vehemens & validus, & celer, nequaquam tamen inæqualis, niſi id forte parum ſit. Urina ſubtenuis, flava, aut flammea eſt, malique odoris. Acceſſio copioſis ortis ſudoribus finitur, Tertiana intermittens.

tur, ſeptem fere horis abſoluta. Sed diſcrimina quædam ponere operæ pretium eſt, quibus diſcriminibus diſſidere hæc febris a ceteris intermittentibus ſolet. Ergo, ubi ardens febris orta eſt, aut continuarum demum aliqua, ſentit utique injecta corpori manus, magis magiſque calorem increſcere: at in tertiana non ſentit, hic enim æqualis calor ſubeſt, qui interdum quoque ſub ipſa miteſcit manu. Quin etiam tertiana intermittens ſingulis acceſſionibus primo rigorem, dein ſudorem exhibet, continua vero utroque hoc (niſi cum judicatione ſolvitur) caret. Adhæc in tertiana intermittente rigor & vehemens eſſe incipit, & cito ceſſat, primis acceſſionibus maximus, ſequentibus autem magis ac magis miteſcens, contrarium autem quartanæ accidere mox oſtendetur. Circuitus etiam acceſſionum maxime ad conſtituendum febris genus valet. Pergam itaque, ut cœpi, de tertiana dicere, quæ tuta eſſe ſolet, & ſpacii minime longi. Ubi ea exquiſita eſt, diebus quatuordecim abſolvitur. Eſſe autem exquiſita ſolet in juvene, cujus natura calida & ſicca eſt, quique media forte æſtate ſub fervido cœlo vigiliis, vel laboribus, vel curis, alliiſque ærumnis exercitus multum fuit. Ubi hæc deſunt, ibi notha conſit tertiana, quæ longior eſt, neque æque vehementes habet ardores, neque ſudores æque copioſos, ut exquiſita, fundit. In notha etiam nullus eſt anticipantium, aut cunctantium acceſſionum certus ordo, rigor item minus quidem vehemens, at diuturnior eſt, non æquabiliter totum occupans corpus: quælibet acceſſio multo longius horis quatuordecim tenet. Ipſe morbus nunquam ſeptimo circuitu, raro quarto-decimo, ſæpe longiore ſpacio ſolvitur.

Tertiana notha intermittens.

Quartana autem febris ſic obſervatur: Primis acceſſionibus, horror quarto quoque die incidit, qualis naſci magno ex frigore ſolet. Hic horror interpoſito tempore tantiſper in dies creſcit, donec in vehementem rigorem abeat, ſub quo corpus intremit atque concutitur, dentes ſtrident, ipſaque oſſa quaſi tundi, atque obteri profundo pondere videntur. Decedente rigore fere vomitus ſequitur, moxque calor exoritur, frigoris quodam ſenſu circa intima oſſa miſtus: pulſus invadente acceſſione languidus, rarus, & tardus eſt, poſtea validus fit; magnus, frequens, celer, magiſque, quam aliis in febribus, inæqualis. Urina etſi non raro in hoc morbo incerta, fallaxque eſt, primis tamen diebus tenuis, alba, aquoſa, poſterioribus varia mejitur. Calor, ſitis, capitis dolor, vigilia, minus quidem quam in tertiana ſollicitant, magis autem quam in quotidiana. Productior etiam hic quam in utraque alia acceſſio eſt, eademque copioſis ſudoribus finitur, quare exacta etiam ſuccedit febris intermiſſio. Quartanæ longiſſimum quidem malum, at ſatis tutum eſt. Interdum a magnis morbis corpus, tum tutatur, tum liberat. Qui enim ſic laborant hi neque mania, aut melancholia, neque lepra, neque orta, propter repletionem, diſtentione nervorum tentantur. Quinetiam eadem hæc ſi ante fuere vitia, acceſſu finiri quartanæ conſuerunt. Quibuſdam etiam placuiſſe video neminem a quartana extingui, niſi ægri aut curantis culpa, poſſe. Scire tamen licet non quieſcere ſolere tunc morbum, niſi vitio aliquo viſceribus illato. Raro etiam idem ſine lienis obſtructione, vel dolore, vel duritie viſus eſt. Quare tuta quoque in primis ea quartana eſt, quæ integro liene hominem tenet. Eadem intra annum (niſi ſi error aliquis incidit) abſolvitur. Sæpius poſt menſem ſextum, & interdum poſt tertium conquieſcit. Sæpiſſime autem ſic fieri obſervatum eſt, ut quæ Autumno, totaque hyeme recte curata quartana remediis fuit, ea proximo vere ſolvatur. Idem morbus, ſi vel cum tumido liene eſt, vel nimium inveteraſcit, hydropi corpus exponit; fereque æger his caſibus oppreſſus perit. Quartana maxime

Quartana.

au-

autumno graſſatur, magiſque ſi lien tumet, continuæ, vel incertæ febres fuerunt, non ex toto ſolutæ, magiſque ſi corpus frigidum, & ſiccum, & glabrum, ſi ætas declinans, ipſeque homo craſſæ materiæ alimentis uſus, mœrore ac ſollicitudinibus confectus eſt.

Quæ æſtate oritur quartana, brevior eſt. Longior Autumnalis, præcipue ſi in proximo hyems eſt. Sæpe cruditas ex quartana quotidianam fecit, magno exitii metu. Quorundam etiam obſervatione compertum eſt, diſcuſſum a longa quartana morbum comitialem fuiſſe. Quartana etiam, poſtquam ex hac aliquis convaluit, facile revertitur, utique ſi quo die febris eſſe ſolebat, frigus, vel calor, vel cruditas, vel laſſitudo inciderint.

Quotidianæ quoque febris proponenda obſervatio. Tenue frigus extremis in partibus oritur, cujus ſenſus (ut in ceteris quoque fit intermittentibus) primum fere a ſummis digitis manuum ac pedum, itemque a naſo incipit. Vomitus ſi quis incidit, pituitoſus eſt. Inde calor paulatim lenteque naſcitur, creſcitque, hebes, humidus, fumoſus, vapore miſtus, idemque vigente jam acceſſione aliquantulum fit mordax, atque acer, ſemper autem inæqualiter is ipſe percipitur: frigoris interdum permiſtum ſenſum exhibens. Accedit dormiendi pene inexpugnabilis neceſſitas, nihilque primis diebus ſititur, nihil ſudatur, nihil pene de febricatione intermittitur. Incipiente acceſſione quibuſdam vel anima deficit, vel (quod gravius eſt) ſyncope incumbit, itemque pulſus inordinatus eſt, & magis quam in aliis febribus inæqualis, itemque tardus, parvus, ac debilis. Is ipſe vix magni fieri, increſcente acceſſione poteſt, quanquam tandem creber eſſe incipit, ſed minus quam ſub aliis febribus, æque tamen atque in quartana velox. Ventriculus aſſidue dolet, alvus liquida, cruda, pituitoſaque eſt. Urina initio vel alba tenuis, vel craſſa ac turbulenta: poſt rubra, craſſa, turbidaque eſt, totum corpus hebeſcit, atque grave redditur: ipſa acceſſio magna ex parte horis octodecim, pauculo ſudore finitur: totus morbus quatuor & ſexaginta diebus. Hoc genus febris rariſſime incidit, rectiuſque forte eſt, cum quotidie aliquis febre conflictatur, duplicem hanc tertianam, non quotidianam eſſe putare. Magis autem quotidiana pituitoſis inſidiatur hominibus, quieti, cruditati, ac ſomno deditis: utique ſi ſenex quis, vel puer, vel fœmina eſt: ſi tempus hybernum cœlumque nubilum eſt: ſi ſæpe e capite pituita in ventriculum deſtillat: ſi denique cum primum febris hominem adoritur, tumida præcordia vel inflata intentata ſunt: ſi principium acceſſionis in veſperam incidit: ſi ante, & in ipſa febre, facies ſublivida, ac ſubtumida eſt, ſtomachus diu imbecillus, cibi faſtidium, & frequens ructus fuit. Omnis autem quotidiana ægerrime remediis cedit, tædii, ac periculorum plena. Quotidiana.

Tutior eſt ea quæ incipiente acceſſione, pituitæ vomitum ultro ciet, & declinante plurimum ſudorum fundit, & poſthæc ex toto intermittit.

His ita animadverſis, implicationes quoque febrium inter ſe mutuas obſervare non inutile eſt. Scire itaque licet, rariſſimam duplicem quotidianam eſſe, tertianam autem duplicem frequentem, cui principium fere ſimplex præbet. Una etiam conquieſcere manente altera ſolet: acceſſiones quotidie, ſed non iiſdem horis fiunt, quæque paribus diebus incidunt, inter ſeſe ſunt ſimiles, & his diſſimiles quæ imparibus. Æque frequens duplex, atque etiam triplex quartana eſt, utraque e ſimplici naſcitur, acceſſioneſque raro pares habet. Febrium implicationes.

Magna quoque dignum obſervatione id genus compoſitæ febris eſt, quam nos Semitertianam, Græci ἡμιτριταῖον appellant. Ea incipiens horrorem Semitertiana.

mo-

movet, & ſudorem declinans, neque poſthæc tamen integra eſſe a febre corpora ſinit. Quoniam vero ex tertiana confit intermittente & quotidiana continua, uno die aſperior horrorem, ſæpeque aliquid etiam rigoris exhibet, itemque bilis vomitum quendam vel dejectionem: adhæc magnum ardorem, madidique vaporis halitum: altero autem die frigus potius quam horror incidit, ac neque ſitis, neque ardor multum infeſtant. Pulſus contractior eſt, totaque mitior febris. Quin etiam altero die duarum exhibetur febrium ſpecies, altero unius duntaxat. Rara profecto febris ſemitertiana eſt, ac grave periculum, ubi occupat, minatur. Eſt autem ea exquiſita, ubi paribus fere portionibus & intermittentis tertianæ, & quotidianæ continuæ ſubſunt materiæ. Ubi autem non ſunt, ibi pura eſſe ſemitertiana non poteſt, tumque facilius remediis curari poſſe malum volunt.

Communis in febribus animadverſio.

Sed cum obſervationes propoſuerim ſingulis generibus febrium proprias; nunc eas quæ omnibus, aut certe quam plurimis communes ſunt, ſequar. Fuerint autem hæc quidem iſtiuſmodi, ut vel metu terreant, vel ſpe miſeros conſolentur. Ergo febrem ſatius eſt diſtentioni ſupervenire nervorum, quam diſtentionem febri. Corpus quoque pro febris vel ſpacio, vel acumine parum emacruiſſe, aut rurſus præter rationem, præterque modum extenuatum eſſe, malum eſt. Illud enim indicium morbi longioris, hoc imbecillitatis eſt. Si ſub acuta febre caput repente ac vehementer dolet, ipſaque tamquam revulſa præcordia ſunt; inſaniæ oſtendunt metum, niſi ſi ſanguis e naribus fertur. Per eandem febrem aures obſurduiſſe, peſtiferum atque furioſum eſt, niſi id quoque cita alvus, vel certe cruor e naribus fuſus ſolvit. Frigidi ſudores in acuta febre, mortis nuncii; in mitiori, longæ invaletudinis ſunt. Magnam quoque febrem ineſſe, dentes teſtantur lenta ſorde onerati. In febribus ſpiritus offendens, malum, itemque ex ſomno pavor, aut nervorum diſtentio. Mali etiam morbi notæ ſunt, ſopor, vigilia, caligo oculorum, ſingultus, laſſitudo, exudatio, novuſque poſt hanc exortus calor, inquietudo diebus nata judicialibus, ſimulque ex rigore citra ſudorem judicationemque refrigeratio, aut rigorem exiguus ſecutus ſudor. Malæ item ſunt ſanguinis ſtillæ puſillæ, & atra bilis per initia febris ſurſum vel deorſum erumpens. Sed & vultum intueri oportet, qui, ſi in acuta febre nimium torvus eſt, aut minus, quam par ſit, pro acumine morbi fœdatus, aut præter rationem bene habitus, tutus non eſt. Malus etiam cenſetur eſſe vomitus ſinceræ vel pituitæ, vel bilis, magiſque ſi viridis humor aut niger prodit.

Periculoſæ febris notæ.

Nocet etiam alvus ex toto ſuppreſſa, & rurſus adeo ſoluta, ut conquieſcere ægrum in cubili non patiatur, maxime ſi eadem hæc perliquida, aut albida, aut pallida, aut ſpumans eſt. Mala etiam judicatur exigua, tenax, levis, alba, vel quæ livida eſt, aut bilioſa, aut cruenta, aut pinguis, aut inſueti fœtoris. Ejuſdem notæ alvus eſt varia, quæ ſtrigmentum, cruorem, bilemque viridem fundit; aut quæ poſt longam ægritudinem ſincera eſt. Lumbricos quoque per febres dejici, tutum non eſt, præcipue ante morbi declinationem. Sed ſub acutis febribus vivos eos excludi haud juxta periculoſum eſt, potiſſimum ad meliorem jam valetudinem inclinante homine; at vitæ caſſos exiſſe, prorſus inutile eſt, idque declinante morbo. Per principia tamen febrium mortuos eos eſſe præſtat: vivi enim peſtilentiæ injiciunt ſuſpicionem. Mala quoque in febribus potiſſimum acutis urina diluta, atque alba eſt, ut quæ periculum inſaniæ præſagit. Æque inutilis eſt ea, in qua quod ſubſidet, ſubrubrum, aut lividum eſt: aut tenuibus filamentis furfuri-

buſ-

buſve quid ſimile repræſentat. Non bonum quoque ſignum eſt, poſt appetentiam, poſtve longas febres, cibum faſtidiri cœpiſſe, aut multos ſudores eſſe, maximeque frigidos, aut eos ferri non toto corpore æquales, ſed circa caput, & circa cervices. Adhæc ſudoribus febrem non finiri, aut poſt hos horrorem incidiſſe. Auriginem denique febre exceptam eſſe, utique ſi dura præcordia ſunt. Æque horrendum eſt febricitantem multum atque crebro ſpirare, itemque ſexto die cœpiſſe inhorreſcere, difficulter ferre morbum, præterque rationem ſine vaſorum inanitione imbecillum eſſe, immoranteque febre inſudare, aut modo frigidum, modo calidum eſſe, variiſque ſæpe coloribus affici. Tum etiam quod aliqua parte corporis abſceſſit, id non matureſcere, ſanitatemque non conſequi, aut ipſum inter hæc ægrum paſſis manibus, pedibuſque ſupinum cubare, ſomnum totis noctibus non videre, quantumvis interdiu is accedat: pejuſque eſt, neque per noctem, neque de die requietem eſſe ullam potuiſſe, ſed continuam urgere implacabilemque vigiliam, aut contra jugi ægrum ſomno ſopiri. Atque hæc quidem ſunt quæ terrere metu periculoſæ febris poſſunt. At longam fore hanc exiſtimandum eſt, ubi tumida præcordia ſunt, præſertim ſi dura quoque hæc, & dolentia, & inflammata, & intenta ſunt. Talia enim non modo longum vitium, ſed periculo quoque eſſe opportunum, denunciant. Febris etiam inveteraſcit, ubi tubercula aut labores incumbunt in articulos: Ubi dolor inguina & glandulas exercet: Ubi frigidus ſudor in febre non acuta circum caput tantum oritur, & circum cervices: Vel ubi aliquis ſudor alius febrem neque levat, neque finit. Ubi exortus abſceſſus non ſaneſcit. Ubi urina alias alia mejitur. Ubi corpus varie, modo calore, modo frigore, modo hoc colore, modo alio afficitur. Ubi idem pro morbi ſpacio, parum emacreſcit. Ubi multo tempore poſteriores acceſſiones eadem qua priores hora incipiunt, æqueque ſunt & vehementes, & durabiles. Ac his quidem notis cognoſcere longas febres licet, quæ ſi jam diutius ſecutæ trahunt, neque vitam adimunt, ſcire licet expectari abſceſſum oportere, eumque in articulorum aliquem, præcipue inferiorum, cum tumore, atque dolore decubiturum. Id tamen junioribus tantum accidere conſuevit, & per febres non intermittentes quæ jam vigeſimum diem ſuperaverunt. Porro ſenioribus autem & febre occupatis intermittente, & incerta, non quidem abſceſſus, ſed fere incidere quartana ſolet: utique ſi in proximo quoque Autumnus eſt. Ut enim iis qui infra trigeſimum ſunt annum, potius abſceſſus fiunt, ita quartana eos magis excipit, qui eum gradum ætatis ſuperaverunt. Noſſeque oportet abſceſſum magis hyeme conſueſſe fieri, longiuſque durare, & minus reverti. Hactenus ea ſigna poſuimus quibus malæ febris pericula, vel longæ tædia ſignificantur. Itaque proximum eſt eas modo notas ſequi, quibus ſalus promitti ægro poteſt. Ergo hanc expectare quam dico ſalutem, non ſine cauſa licet, ſi aurigo vel ſeptima febris die, vel nona, vel undecima, vel decimaquarta mollibus præcordiis oritur: ſi æger morbum facile ſuſtinet, nulloque conflictatur incommodo, ſi mente conſtat: ſi neque ſomno, neque vigilia nimium urgetur, noctu dormiens, & vigil interdiu: ſi poſt ſomnum firmior eſt: ſi non difficulter ſpirat, quod certe ſignum omnibus in febribus, quæ intra diem finiuntur quadrageſimum, principem inter bona locum habet. Si denique conſtat appetentia, vel ab initio ſervata, vel etiam poſt cibi orta faſtidium. Si præcordia ſine ullo ſenſu doloris æqualiter mollia, parte dextra, ſiniſtraque ſunt. Jam etiam ubi vomitus incidit, ſi miſtus is ex bile & pituita fuit: ſi id quod

Longæ febris nota.

Abſceſſus præſagia.

Salutis infebribus præſagia.

in urina, vel ſubſidet, vel in medio ſuſpenditur, vel ſuperius innatat; album, leve, & æquale eſt: præſtabiliuſque fuerit nubeculas ad imum matulæ conſiſtere. Si inſuper dejectio alvi mollis eſt, & probe figurata, & ruffa, neque ſupra modum fœtens, ejuſque moles modo aſſumpti cibi reſpondet, & eruptio eodem pene fit tempore quo per ſecundam valetudinem. Si totum corpus æqualiter molle & calidum eſt, æqualiterque inſudat. Si ſudore febris conquieſcit: ſi æger facile convertitur: ſi decubitus ei naturalis eſt: ſi ea quæ corpore efferuntur, ſine multa moleſtia, & poſt concoctionem efferuntur. Si poſt eandem concoctionem, labra, nares, aut linguæ extremum leviter finduntur, puſtuliſque minutis exulcerantur: ſi denique concoctio cito fieri incipit cum pulſu conſtanter bono.

Tempora etiam febrium ſic ex modo acceſſionum diſtinguuntur. Quum plures acceſſiones æque vehementes, & æque ſunt diuturnæ, eademque hora repetunt, ſcire licet principium febris nondum tranſiſſe. Quod ſi ſequens acceſſio tempora ſolita prioris antevertit, eademque magis, & diutius affligit, jam tum eſſe febris incrementum cœpit. Status autem fere eſſe ſolet, cum acceſſio vehementiſſima eſt, neque antevertit tempora prioris, neque poſt ſequitur: verum omnia ex toto pene ſunt æqualia, quæ ad duos circuitus pertinent. At vero quoties hic cunctari acceſſionem dico, aut etiam antevertere, magis id ita intelligo fieri, quam exigat circuitus febrilis proportio. Qui enim ſic non fiunt motus, fere naturam febris ſequuntur, non tempora definiunt. Id quod haud raro contingere ſolet tertianæ febri, & quotidianæ, & quartanæ, quæ ſemper donec ex toto ſolverentur, anticipaverint. Ceterum, ſi cunctatur acceſſio, breviorque ac mitior ſuperiore eſt, conſtat utique tum febrem cœpiſſe declinare. Pro materiæ quoque ratione unde febris fit, tempora ejus captantur, itemque ex iis caſibus quæ præter naturam incidere per febrem ſolent, συμπτώματα Græci vocant. Siquidem principium febris cruditas materiæ facit: incrementum, fieri cœpta concoctio: ſtatum, eadem abſoluta: declinationem, concoctæ materiæ vacuatio, vel translatio. Caſus etiam quos modo dixi, omnes per principia febrium atque declinationes mitiores; per incrementa, perque ſtatus atrociores ſunt. Illud etiam his addi quæ hactenus comprehenſa ſunt, aliquo modo poſſe videatur. Quæ febris die non judiciali ſine bonis ſignis ſubito finita eſt, ea fere revertitur, multoque magis, ſi commiſſus aliquis in victu error eſt. Sed ne hoc quidem etiam præteribo, mitiſſimas febres, notiſque fretas ſecuriſſimis, quarta die vel ante ſolere conquieſcere: praviſſimas autem & caſibus terrentes horrendiſſimis, eodem ſpacio temporis, vel ante occidere.

Principium febris.

Declinatio.

Febris peſtilentialis.

His ita animadverſis, proximum eſt febris peſtilentialis obſervationes proponere.

Ubi autem ea nondum quidem eſt, verum ut ne incumbat metuitur, talia contingunt. Ver atque æſtas calida, humidaque, auſtros ſine ventis exhibent, cœlum frequenter eodem etiam die mutatur, fitque modo calidum id, modo frigidum, modo nubilum, modo ſerenum: ſæpius tamen nubilum, pluvioque proximum, at nihil pluens tamen. Accedit multa inſectorum animalium copia, multuſque quadrupedum interitus. Inſueti etiam ignes per noctem in aere cernuntur, ortique ſubinde Cometæ calamitoſam hanc portendunt luem. Ubi raptus aliquis jam morbo eſt, hæc incidunt. Bubones ſine cauſa manifeſta, vel pone aures, vel ſub alis, vel frequentius in inguinibus, aut certe carbunculi variis corporis locis, purpureave exanthemata ſubito exoriuntur. Inter hæc febris invadit con-

continua, atque acuta, ſub qua extimum corpus vix incaleſcit, & ſenſu interdum frigoris afficitur, interiora autem gravi incendio uruntur, ipſe homo cum animo mœſto ac pleno malæ ſpei laſſus, ſegniſque fit, & ineluctabili dormiendi urgetur neceſſitate. Ejus ferox vultus, & qualis temulentorum eſſe ſolet incertus, atque turbidus eſt, ſpiritus male olet, ac difficulter trahitur, dejicitur cibi cupiditas, os amareſcit, ingens oritur ſitis: Fitque frequens & nauſea, & vomitus, quo optimi etiam alimenti ſperatus fructus corrumpitur: Pulſus exiguus, languidus, celer, frequens, & inæqualis eſt: Alvus fœtida atque grave olens. Urina alias ſicut jumentorum turbida, cruda, craſſa, fœtidaque eſt, alias qualis in homine ſano ſine vitii nota mejitur. Siquidem ubi ſimplex hæc febris e ſublimi mundo mortalibus immiſſa eſt, neque putridæ implicatur, fere obſcuris innititur ſignis, ſic ut neque vehemens vel incendium, vel ſitis, vel inappetentia afficiat, ſed & urina concocta, omnibuſque abſoluta numeris ſit. Etenim homo ad ſpeciem non admodum æger crebra animi defectione, vomituque labefactatur, ac tandem, ſubita raptus ſyncope, inopinanter exſtinguitur. Porro omnis peſtilens febris, ut per ſe ſemper tota pernicioſa eſt, ſic tum demum & celerem, & certam mortem affert, cum oppreſſo intus corde, nihil foris, vel bubonis, vel carbunculi, ſummo corpore efflореſcit: aut ſi quid efflореſcit, inde tamen neque morbus, neque æger levatur. Quin etiam æque mortiferum eſt ſemel natum bubonem, vel carbunculum rurſus intro delatum, repente delituiſſe, itemque fœtente ſpiritu, ac frigeſcentibus extremis creberrimum vomitum, atque ipſam ſyncopen incidiſſe. Illud quoque noviſſe non inutile eſt, ſatis incerta ſub hoc morbo ſalutis eſſe præſagia, adeo ut propter bonas notas plenum ſpei atque promiſſi medicum mors ſæpe inopinata decipiat.

Signa judicationis.

Quoniam acutis magniſque morbis pleriſque omnibus febris jungitur putrida, adeoque judicatio accidit ea quam κρίσιν Græci dicunt (longi enim morbi, itemque alii febris expertes, & parvi paulatim ſine judicatione ſolvuntur) non abs re facturus videor, ſi febribus obſervationes quoque judicationum addidero.

Ut cœli variæ tempeſtates, ſic etiam morborum judicationes ſignis quibuſdam (κρίσιμα Græci dicunt) præmonſtrantur. Ea quidem hæc ſunt, Delirium, ſopor, vertigo, oblivio ſenſuum, inuſitatus error, dolorque capitis, cervicis, ſtomachi, præcordiorum, aliarumve partium inſignis; adhæc aurium ſurrus, falſi oculis objecti ſplendores, invitæ lachrymæ, frequens nauſea, æſtus, ſitiſque ſolito vehementior, pulſus repente ordinis redditus expers, & inæqualis, urinæ ſuppreſſio, alvi inſueta murmura. Inter has turbas ipſe æger totus angitur, & in omnem partem cõrporis ſeſe varie jactat, idemque vociferatur, exilit e cubili, omnia furioſo ſimilis. Id temporis acceſſio febris vehementiſſima eſt, fere horæ ſpatio priorem antevertens, inciditque magnus & inſolens quidam ipſa cum acceſſione rigor, hinc ſubito (ſi quidem bona futura judicatio eſt) profuſus erumpit ſudor, aut ſanguis ubertim e naribus fertur, aut vomitus multi humoris incidit, aut alvus multum ſolvitur, poſt quæ febris incipit tota conquieſcere. Horum autem ſignorum aliqua præbetur ſignificatio ſuperiore nocte, quum poſtridie febris judicatione ſolvitur, idemque de die fit, ſi proxima nox finem morbo aliquem imponet. Inquietam enim eſſe noctem oportere, quæ eum antecedit diem, quo die futura acceſſio, omniſque abſolvenda judicatio eſt, vetuſtiſſimus author Hippocrates propoſuit. Illud quoque noviſſe licet, nocturna ſigna diurnis eſſe atrociora,

itemque ipſorum adeo ſignorum alia eſſe judicationum duntaxat, alia harum & ſigna, & cauſas putari. Sub his ſudationes, vomitus, dejectiones alvi, mictiones, & ſanguinis profluvia ſunt: ſub illis deliria, vigiliæ, ſopores, lachrymæ & hujuſmodi. Utriſque ſignis ita comparatum eſt, ut poſt notas concoctiones ſalutem promittant, ſubſtante cruditate perniciem minentur. Quare bona ea eſſe non niſi vigente morbo, aut paulo ante poſſunt. Scilicet eo tempore humoribus maturitas acceſſit. Itaque non ſine cauſa Hippocrati placuiſſe video, judicationum celeritatem concoctionibus ſignificari. Eadem ſigna, incipiente morbo, penitus exitioſa ſunt, increſcente autem eoque maligno morbo, mortem quoque minantur, at ſub levioris morbi incremento, imperfectam fore judicationem oſtendunt. Natura enim corporis, ubi ex morbo quis penitus convaleſcit, judicationem omnem tantiſper linquit, differtque donec abſoluta materiæ ſit concoctio. At ſi morbo fractus homo ſuccumbet, ſemper multo ante tentare natura judicationem conatur, ejuſque exhibet non obſcura indicia. Adeo apparet ſemper bonas notas concoctionis eſſe, certæque nuncias ſalutis: verum judicationis ſigna parum firma habere, diverſaque (prout cruda, concoctave morbi materia eſt) ab iis & ſignificari, & effici. Porro obſervare operæ pretium eſt, quo demum genere vacuationis, quave via futura febris judicatio ſit, ut hac quoque parte inſtructum, probatumque ſit medici judicium. Ergo ſi febris acuta eſt, propterque celerem concoctionem, primis judicatio ſit circuitibus, ſcire licet excretionem potius aliquam quam expectari abſceſſum oportere.

Signa e naribus fluxuri ſub judicatione ſanguinis.

Primum itaque ubi futura aliqua vacuatio eſt, incidere fluxus ſanguinis e naribus ſolet, ſi præcordia, vel dextra, vel læva ſine dolore intenduntur, ſimulque ſpiritus ſit difficilis, & caput pulſante, atque diſtendente affectum dolore exardeſcit, & facies tota, potiſſimum oculi, nares, ac malæ rubeſcunt: ſi hebes ſit viſus, vel objectis quaſi ſplendoribus eluditur: ſi collum dolet, & tinniunt vel obſurdeſcunt aures: ſi illachrymant repente oculi, & rubeſcunt: ſi venæ in temporibus vehementer agitantur: ſi nares velut extenuantur, & pruriunt: magiſque, ſi dolor juxta faciem atque tempora tum quoque gravis verſatur: adhæc, ſi pulſus præterquam quod ut in omnibus vacuationibus altus & vehemens, ita hic etiam undoſus eſt. Frequens hæc vacuatio febribus eſt ardentibus, & ei inſaniæ, quam græce φρενῖτιν dicunt, itemque acutis, continuiſque, vel ſine febre etiam, capitis doloribus, præcipue ſi frontem hi atque tempora occupaverunt, adhæc omnibus quæ ſub præcordiis fiunt, calidis & acutis inflammationibus, maximeque jecinoris & lienis. Cujus rei certior fuerit eventus, ſi æſtas eſt, ipſeque ætate florens homo nondum quintum & trigeſimum annum ſuperavit. Ut vero acutis maxime febribus, atque ei quam proxime dixi inſaniæ, ſanguinis e nare profuſio familiaris eſt: ſic minime aut lethargo, aut pulmonis inflammationi, quam πλευροπνευμονίαν Græci vocant. Inter hos morbos anceps, mediaque eſt lateris inflammatio, πλευρῖτις græce dicta, minus quam priores profuſioni ſanguinis opportuna, magis autem quam poſteriores.

Signa vomitionis.

Ceterum expectari vomitus debet, ſi toto capite gravi, ac vertiginoſo, oculiſque caligantibus, afficitur doloris morſu ſtomachus, & crebro nauſeat, idque cum ore fere amareſcente, & multæ, tenuiſque ſalivæ ſputo, & labri inferioris tremore. Tum quoque hypochondria anterius, veluti ſuſpenſa tenduntur, ſpiritumque premunt, ipſe pulſus contractus, atque durus eſt. Certior autem vomitus erit ſi febris tertiana ſubeſt, homoque

moque quintum & trigeſimum ætatis annum exceſſit, ſi æſtas eſt, ſi rigor incidit, ſimulque loca inferiora præcordiis refrigeſcunt. Jam vero alvus profluet, ſi humor ad interiora corporis movetur, neque tamen vomitus aliquis ſequitur, aut plenior urina fertur, magiſque ſi alvus tum & bilioſior, & fuſior eſt, quam ante judicationem fuit: ſi denique æger raro cruorem per ſecundam valetudinem e naribus fudit, raroque inſudavit, ſæpe alvo cita fuit, & potare frigidam aquam conſuevit. Ubi jam autem in propinquo dejectio eſt, venter murmure quodam fluctuat, rugitque & pungitur: mox gravitas, vel dolor intus oritur, primum circum lumbos, hinc ad imam partem ventris delapſus. Hoc ipſum non male obſervaſſe Hippocratem conſtat, qui per febres in dolore præcordiorum ſubmurmurante, ſi lumborum dolor ſupervenit, alvos ut plurimum humectari ſolitas eſſe ſcripſit. Ceterum ſudores erumpunt alvo & urina ſub firmis viribus compreſſa: maxime ſi tum etiam nulla vomitus nota anteceſſit, quæ ſi eſt, tum eo ipſo vomitu, tum ſudationibus judicatio perficitur. At etiam certior fuerit ſudor, ſi cum ſuperioribus ſignis increſcens acceſſio (ut in febri ardente, ſimilibuſque gravibus morbis incidit) delirium intulit, ſimulque ſumma corporis magis incaleſcunt, atque rubent, vaporemque quendam emittunt calidum, qui ante non fuit. Tum pulſus ſimul undoſus, & inſigniter mollis fit, urinaque craſſior, & penitus bilioſa. Firmior quoque ſudoris prædictio fuerit, ſi æger ſub judicationem balneis ſeſe prolui ſub inſomnio putat, id quod mihi quoque per acutam febrem ſudaturo contigiſſe memini. Sudores omnibus febribus familiares ſunt, maximeque acutis perurentibus. Inſania etiam, quam græce φρενῖτιν appellari dixi, ſudores, ſi boni ſunt, expetit. Bonos eſſe ſciendum eſt, qui ex capite uberes calidique feruntur, reliquo ſimul inſudante corpore. Non inutiles quoque ſudores eſſe (ſi boni ſunt) perhibentur omni acutæ inflammationi quæ ſub præcordiis conſiſtit. Porro utrum fuſis, vel hæmorrhoidibus, vel fœminarum menſibus, judicatio futura ſit, ex utriuſque affectionis propriis ſignis innoteſcet.

Signa profluvii alvi.

Sudoris nota.

At vero abſceſſu quoque nato, ſolvi febris poteſt: ubi is generabitur, hæc fere incidunt. Morbus diu trahens, paulatim non ſolvitur, ſed permanet eodem febris & doloris tenore: ita tamen ut alia ſalutaria ſigna adſint, nihilque de ægri vita dubitetur. His accedit quod nulla evidens facta vacuatio ſit, quod cunctentur concoctiones, quod ſubitus dolor, & laſſitudo, & debilitas, & ſudatio alicujus fuerit particulæ vilioris, quod ipſe morbus non lethalis, tarde moveatur, vigeſimumque jam egreſſus diem ſit, quodque pulſus ſit bonus, & virium robur non infirmum. Inter hæc autem certior etiam futurus abſceſſus eſt, ſi cruda diu urina atque tenuis fertur. Sub his autem caſibus abſceſſus metum detrahit urina multa, craſſa, alba, in qua quod reſidet, perquam multum eſt. Scilicet tum malum paulatim concoctione ſolvitur, tandemque ſine vacuatione alia evidente, ſive abſceſſu conquieſcit.

Abſceſſus præſagia.

Qui juxta aurem abſceſſus inhæreſcit (Græci παράτιδα vocant) his notis futuris eſſe cognoſcitur. Spiritus repente, nec tamen diu difficilis eſt, hinc protinus capitis ſequitur gravitas, atque dolor, altuſque ſopor, & ſurditas.

Παρῶτις.

Eſt hic caſus febribus acutis, atque non valde longis frequens, ſoletque interdum, & lethargum, & inſaniæ genus, quod φρενῖτιν dicunt, ſimiliaque capitis vitia judicatione finire. Quum vero morbus multa occupatur vetuſtate, & certis de cauſis expectatur abſceſſus, notæque deſunt parotidis, quæ tum profecto pene nunquam incidit; ſed & in partibus

Abſceſſus in inferioribus locis.

tibus corporis inferioribus dolor aliquis, vel gravitas, vel tenſio, vel ardor eſt: ſcire licet abſceſſum his locis oriturum ad articulum eſſe. Illud quoque hic repetere, quæ ſuperioribus locis dixi, operæ pretium eſt, protinus de abſceſſu haberi opinionem oportere, ubi viceſimam diem febris exegit: tum hunc magis hyeme fieri, tardiuſque ceſſare, & minus reverti conſueſſe: adhæc frequentiorem junioribus eſſe nondum annos triginta natis, ſenioribus autem minus ſub febre quantumvis longiore accidere, ſed his quartanam potius ſub hujuſmodi caſu imminere, utique ſi quæ urget febris, non continua, ſed vago incertoque intermittens circuitu, diu ad Autumni uſque tempus traxit. Hoc etiam recte notatur, febrem etſi diuturnam, quæ tamen ab rigore incipit, & ſudore ſolvitur, qualis tertiana, aut quartana eſt, raro in abſceſſum deſinere. Purgatur enim ſingulis acceſſionibus morbi materia. His adde abſceſſum omnem in parte corporis inferiore tutiorem eſſe, qui lentam, longamque febrem ſequitur, quam is qui in ſuperiore corpore pone aures emergit. Talis enim fere proprius morbis acutioribus eſt. Jam vero ſi orto abſceſſu, aliqua febris manet, iſque foras non reſolvitur, ſcire licet, hunc non ante vigeſimum diem, ſed totum intra eum ipſum, & ſexageſimum ſuppuratum iri. Quod ſi illud quoque incidit, ut priuſquam ſuppuret abſceſſus, immorante etiam ſolita febre ſubſederit, periculum facit primum furoris, deinde interitus, utique ſi is pone aures fuit. Tutiſſimum autem exiſtimare abſceſſum oportet, qui inferiorem partem corporis occupans, quam longiſſime a morbo, & a vitæ abſiſtit penetralibus, & qui amplo incluſus loco, materiam morbi omnem continet, quique maxime foras emergens, non ægre erumpit. Talis enim minime reverti priorem morbum ſinit. Bonus quoque eſt acutus & faſtigiatus, & æqualiter matureſcens, deorſum vergens, non obdurus, non bifidus. Peſſimus is eſt qui interius tendit, ſic ut hic nullus exteriori cuti accedat color. Jam ſi foris quoque prominet abſceſſus, ſcire licet peſſimum eſſe qui maximus, quique planiſſimus eſt. Aliquid etiam affectus animi facere ad judicationis modum ſolet. Metus enim proclivem alvi dejectionem, aut vomitum, aut urinam reddit. Lætitia contra magis ſudores fundit. Illud quoque obſervatione dignum videatur, ſæpe judicationem pluribus vacuationibus, non ſemper unica perfici conſueſſe: ut ſi ea forte per febrem fieri ardentem, ſanguine e naribus fuſo, cœperit, quam mox effuſi ſudores complent, abſolvuntque.

Abſceſſus optimus.

Porro judicationem perfectam eſſe decet, & fidam, & certam, & ſecuram, & evidentem, itemque prius indice die nunciatam, bonam denique & ſalutarem. Hanc profecto concoctiones comitantur, potens dies judicialis, & quod morbo convenit, excretionis non obſcuræ genus. Proxime autem antecedit pulſuum inæqualis motio: in qua plures ictus ſunt magni, quam parvi: plures celeres, quam tardi: plures vehementes, quam languidi, cum rythmis paribus moderatis, vel celeribus. Sequitur autem melior vultus, expeditiorque ſpiratio, & major in convertendo levandoque corpore vis, & pulſuum ad juſtam mediocritatem, æqualitatem, ordinemque reditio. Bonam quoque ſperare judicationem facit genus morbi, quod ſæpius, faciliuſque per eam ipſam finitur, qualis febris eſt ardens, qualis tertiana, & hujuſmodi.

Optima judicatio.

An vere per febres futura omnino judicatio ſit, nec ne, ſic habetur. Si magnus eſt morbus, multumque ſemper & anticipantibus, & increſcentibus acceſſionibus movetur, ſi inter hæc viribus natura valet, & concoquitur prompte morbi materia; ſi denique ætas, & natura hominis, & ipſum

Utrum futura ſit judicatio, necne.

ipſum tempus anni, & morbi genus futuris judicationibus conſentiunt: ſcire licet ingentem morbi mutationem fore, idque eo citius, quo hæc iſta fuerint potentiora. At ſi ſub infirmo corpore magnus eſt morbus atque pravus, hujuſque diu perſiſtit cruda materia, reliquum eſt oppreſſa natura mortem ſine judicatione ſequi oportere. Fere autem ſic incidit, ut ubi notæ judicationis adſunt, ibi judicationem ſeu bonam, ſeu malam fieri neceſſe ſit. Has notas dico, non eas quidem omnes, quæ morbo ſuccedunt, ſed quæ incipiente judicatione, vel paulo ante apparent. Quod ſi hoc etiam fit, ut cum ſigna judicationis exiſtunt, ipſa tamen non protinus ſequatur judicatio; ſcire licet, vel hanc poſt inſtare difficillimam, vel hominem interiturum. Magna vero ex parte futuræ judicationis bonæ certiora præſagia ſunt, malæ non perinde firma, utraque in acutis morbis ſemper dubia. Quinetiam ſignis bonis, ubi morbus viget, tuto licet fidere, malis non item, niſi corpus viribus careat. Nemo profecto morbum acutum ſine judicatione evaſit, multi repente ſine hac interierunt. Utque judicatio ſalutaris non niſi juxta vigorem morbi eſt: ita mors incidere, & incipiente, & increſcente, & conſiſtente morbo potteſt. Declinatio autem mali cujuſque nulli unquam exitium, aut judicationem attulit, quoniam qui morbus ſemel vigorem ſuperavit ſuum, is ſine judicatione permanet, ſenſimque (niſi quis incidit error) ſolvitur. Moritur autem aliquis interdum incipiente febris acceſſione, ut per mortiferas internarum partium inflammationes, perque febres e craſſa natas pituita, oppreſſo intus, præfocatoque naturæ calido: tumque refrigeratus æger non recaleſcit, pulſus vermiculans fit, totuſve deficit, ipſeque æger profundo oppreſſus ſomno, exanimatur. Interdum etiam increſcente (quod raro fit) aceſſione, interitus accidit, frequentiſſime eadem conſiſtente: ſcilicet magno morbo naturam ſuperante: delirat autem id temporis æger, animo ac manibus violentus, exilitque cum impetu, & maximo æſtu extorretur: hiſque magnis victus malis, accedente tandem animi defectione atque ſyncope exſtinguitur. Raro aliquis declinante febris acceſſione moritur, quod tamen ubi incidit, anima deficit, toto naturæ calore cum febrili una exſpirante; ipſe æger pauco, ac tenaci exorto ſudore ſurgens, vel etiam quieſcens, protinus emoritur. Illud ubique perpetuum eſt, eo tempore acceſſionis ægrum mori conſueſſe, quod omnium eſt difficillimum.

In quæ tempora, judicatio, itemque ipſa incidat mors.

Videar modo omnem judicationum abſolviſſe obſervationem, niſi dierum ſupereſſet explicanda animadverſio, quibus vix obtigit febres judicatione finiendi. Unde ipſi etiam ab Hippocrate (quorum is author eſt) κρίσιμοι nominantur. Sunt autem hi qui ſequuntur, tertius, & quintus, & ſeptimus, & nonus, & undecimus, & quartus-decimus, & ſeptimus-decimus, & viceſimus. Explent hunc numerum vicenarium tres ſeptimanæ: ſic ut dies octavus ſecundæ ſeptimanæ principium, quartus-decimus autem terminus ſecundæ, exordiumque tertiæ (ſic judicante Hippocrate) habeatur. Jam quoque hi ſeptenarii dies per quaterniones digeruntur: eſtque quartus dies primi quaternionis noviſſimus, & ſecundi primus. Tertius autem quaternio a ſeptimo orſus die, clauditur undecimo, quartus hinc incipiens quaternio quartodecimo finitur die, hic ipſe dies initium quinti quaternionis eſt & decimus-ſeptimus finis, ab hoc ſextus quaternio incipit, & viceſimo terminatur: adeo apparet hunc ipſum viceſimum & ſexti quaternarii, & tertii ſeptenarii noviſſimum eſſe. Porro eadem proportio dierum eſt judicialium in ſecundo vicenario, hoc eſt, a viceſimo die ad quadrageſimum, quæ in primo fuit. Poſt exactum autem quadrageſimum diem, ut non ſunt amplius morbi acuti, ita nec

Dierum judicialium ratio.

amplius etiam imparibus diebus, ſive quaternariis, ſive ſeptenariis, ſed omnino paribus judicatio perficitur, ſingulos dico vicenario, ſexageſimum ſcilicet, octogeſimum, centeſimum, & ſic deinceps. Illud quoque noviſſe oportet, non eandem diebus judicialibus vim eſſe omnibus. Etenim ſeptenarii omnium ſunt efficaciſſimi, poſt hos quaternarii, qui ſingulis ſeptenariis ſuis ſunt: inde illi qui in medio ſunt utrorumque, Medici intercurrentes vocant. Ex judicialibus autem boni hi ſunt. Septimus, decimus-quartus, nonus, undecimus, vigeſimus, ſeptimus-decimus, quintus, quartus, tertius. Mali autem, & parum tuti, minimeque judiciales ſunt ſextus, octavus, decimus, duodecimus, ſextus-decimus, undevigeſimus. Tertiumdecimum quidam ancipitem eſſe, mediumque inter bonos & malos volunt. Jam vero, etſi non æque potenter, omnes tamen judicare acutum morbum impares dies poſſunt, qui primo continentur vicenario, quoniam eo ſpatio morbus vehementius movetur: poſt autem is ipſe magis remittitur, miteſcitque. Ex quo incidit, ut in ſecundo vicenario vix ulli dies præter ſeptenarios, puta vigeſimum-ſeptimum, & trigeſimum-quartum, & quadrageſimum, judicare aliquid poſſint. Porro judicialium dierum, alii aliorum ſunt judices, quos ideo contemplatorios Hippocrates vocat, quoniam hi quid proximis judicialibus futurum ſit, certis ante notis oſtendunt, prænunciantque. Itaque indicem ſeptimi quartum eſſe, is author obſervavit: itemque decimi-quarti undecimum, & viceſimi ſeptimum-decimum. Ergo ſi primo die ſine ulla periculi ſuſpicione protinus acuta febris eſt, & urinæ evidens acceſſit concoctionis nota, extendi judicatio non ſupra quartum diem poteſt. Ut contra, ſi multa primo ſtatim die concurrunt exitii ſigna veriſimilia, æger utique infra quartum ſuccumbit. Recte enim Hippocrates judicavit, iis qui brevi perituri ſunt, maxima quæque ab initio accidere oportere. Jam etiam ſi ſeptimo die judicatio futura eſt, rubram urina nubeculam quarto exhibet, ceteraque pro ratione ſigna ſequuntur bona, niſi tamen errore aliquo, vel medici, vel ægrotantis, judicatio cunctetur, cadatque in nonum, vel in undecimum. Propter errorem enim, in iis quidem morbis, quibus periculum deeſt, judicatio tardatur: in lethalibus, conſtitutum anticipat diem. Adhæc, ſi nihil etiam judicatum die undecimo eſt, fieri judicatio ante vigeſimum non poteſt: ſin moderatiora ad ſeptimum uſque contingunt, poteſt. Qui vero morbi ad decimum uſque quartum omnino cruditatem habent, & lente admodum moventur, non ante quadrageſimum judicatione finiuntur. Quemadmodum enim dies judiciales potentiores ſunt; ita & indices. Illud quoque notare non inutile eſt, ad quartum uſque decimum magnos eſſe morborum impetus, minores his a decimo-quarto ad viceſimum: morbos autem qui ab hoc die ad quadrageſimum immorantur, paulatim vim omnem remittere, ut qui quadrageſimum ſuperaverunt, prorſus langueſcere, longaque potius concoctione, vel abſceſſu, quam ſolvi judicatione poſſe. Poſtremo Hippocrates poſt diem centeſimum, alios quidem morbos conquieſcere dixit ſeptem menſibus, alios totidem annis, alios, ut veriſimile eſt, binis annorum hebdomadis & ternis.

Febris hectica.

Proximum eſt poſt febres quæ humorum vitio fiunt, earum quoque proponere obſervationem, quas ἑτικὰς Græci dicunt. His præſiccus, ſqualidus, & perennis calor eſt, ſineque dolore conſtanter æqualis, ſic ut ne in febri quidem eſſe ſe, æger exiſtimet. Tametſi increſcere aliquo modo calor hora una, aut altera poſt ſumptum cibum ſolet, quo concocto, ad priſtinam æqualitatem febris redit: ut primum injecta

jecta corpori manus eſt, calor occurrit obſcurus: ſed tandem ſub longiore mora acris fit, atque mordax. Pulſus debilis, parvus, ac frequens: ſed ſumptis epulis, altior atque major eſt. Fere etiam arteriis plus caloris (ſi has tangas) quam proximis locis ſubeſt. Cutis vehementer arida, corpus ipſum imbecille, & languidum eſt. Atque hic quidem primus eſſe gradus hecticæ febris cenſetur; quæ curationem non difficillimam habet; verum haud ita facile cognoſcitur. Secundus eſſe gradus poteſt, ubi ſiccitas major corpori dominatur, ſic ut vehementer id liqueſcere, conſumique incipiat.

Tum urina pinguitudinem habet, telis araneorum perſimilem: Pulſus durus tenſuſque eſt, debilior tamen atque minor, quam primo febris gradu: Cutis quoque corporis magis dura, aridaque eſt. At vero ultimi gradus hæ notæ ſunt: Cavantur oculi, & quæ juxta ſunt oſſa prominent. Iidem oculi arida ſorde onerantur: palpebræ ægre moventur, crebroque, ac ſi homo dormiret, ſine ſomno tamen connivent: cutis in fronte ſicca duraque eſt: tempora collapſa ſunt: ipſe vultus vividi coloris gratiam amiſit: capilli celeri incremento inaugeſcunt: hypochondria ſurſum videntur ad thoracem convulſa: venterque totus contractus, & inanis, ſic ut, eo denudato, neque inteſtinum ſupereſſe ullum, neque viſcus exiſtimetur. Pulſus maxime durus eſt, itemque debilis, & frequens: Urina velut oleum ſupra pinguis: Ipſum corpus adeo contabuit, ut oſſium ubique extrema, maxime autem in ſcapulis, promineant, ac veluti grandeſcant: Cutis inſtar corii dura eſt, non mollis atque rugoſa, qualis eorum eſſe ſolet, qui aliis de cauſis extenuantur. Fere etiam pediculorum per hunc morbum moleſta copia eſt: Hujus ordinis hecticam ut facillime quidem noſcere, ita vero nunquam ſanare eſt. Ea enim plane eſt marcida (μαρασμώδης Græce appellata) certamque perniciem afflictis affert. Raro autem ſimplex eſſe hæc, ſic ut alteri febri non miſceatur, ſolet. Sæpe ab acuta febre incipit incendio humorem corporis inſitum depaſcente fitque tum id genus febris, quam colliquantem dixerunt. Repente autem ſatis ea & naſcitur, & occidit, id quidem brevi efficiens, quod ſimplex ſenſim, longoque ſpatio: Lente enim hæc ipſa movetur, pervenitque lente ad ſummum. Itaque ægre quoque per initia, ante quam huc ventum ſit ſqualoris, cognoſci ſolet. Fere autem quibus hectica infecta eſt, calida, ſiccaque natura obtigit: multique vel mœrores, vel labores, vel inedia, vel ſitis ante fuerunt. His enim fere cauſis levioribus, febris ephemera: vehementiſſimis, hectica movetur.

Proximum hic malum eſt τῆς ἀτροφίας, ſub quo, quia homo ſumpto alimento non alitur, ſumma oritur macies, ſenſim, ac ſine evidentibus cauſis corpore exareſcente. Id vitium in primis grave eſt, & quia vires vehementer atterit, tandem tollere etiam hominem, niſi curatione occurritur, poteſt. Fere autem hecticæ jungitur febri, & cordis affectibus, & pulmonis exulcerationi, itemque gravibus, iiſque calidis ventriculi, lienis, aut jecinoris vitiis. ἢ τῆς σώματος ἀτροφία.

Facile tum ex hoc ipſo morbo, tum ex hectica, in corporis tranſitur marcorem, quem Græci μαρασμόν appellant, quod ubi incidit, nulla curationis reliqua via eſt.

Ut vero in hoc iſto maciei vitio, prorſus non alitur corpus: ita in alio, quod Græci κακεξίαν, nos pravum habitum dicimus, male alitur: Idem corpus ſubtumidum, laxum, molle, grave, ſegneque eſt, & vividi coloris gratia caret, virore quodam albicans: ipſum adeo impotens eſt, ut crura etiam interdum eundo vacillent. Incipiente morbo vitiatur cibi concoctio,

coctio, incolumi etiam appetentia, ſpatio tamen hæc quoque offenditur. Spiratio debilis ac rara, alvus varia, & inæqualis eſt. Suntque hæc ſigna ei fere cachexiæ propria, quæ a ſubſtante humore, cruda, ſeu pituitoſa nominatur, quæque ſæpiſſime id hydropis genus antecedit, venturumque prænunciat, quod λευκοφλεγματίαν Græci nominaverunt. Hoc ipſo vitio maximo capiuntur pueri & ſenes, at vero adoleſcentes, & juvenes rarius ſic laborant & citius curantur. Magis autem ita afficiuntur hi, qui ex longo morbo convaleſcunt: utique, ſi id quoque temporis, duro tumore, quem σκίῤῥον Græce dicunt, viſcus aliquod, maximeque jecur, aut lien obſidetur. Idem morbus non raro etiam longa excidere tormina, & levitatem inteſtinorum, & hæmorrhoides, menſtruaque fœminarum, vel fuſa nimium, vel compreſſa, ſolet. Eſt autem præter hanc crudam, alia inſuper ex corrupto ſanguine, melancholica cachexia, quæ fere elephantiam, tum antecedit, tum præſagit. Alimentum quod aſſumitur intus vitiatur, indeque tum ſpiritus, tum os, tum alvi, & veſicæ excrementum, itemque ſudores gravem odorem habent, fœdus, ſqualiduſque toto corpore, maximeque in vultu color eſt. Quibuſdam etiam cutis per aſſiduas puſtulas, aut ulcera exaſperatur. Totum corpus infirmum eſt, & interdum tubera quibuſdam partibus habet.

Magnilienes. Ex hoc profecto cachexiæ genere, eum eſſe morbum judico, quem expreſſiſſe Hippocrates ſub magnis lienibus videtur. Siquidem interdum bilis atra ita peſtilens fit corruptione, ut cum in corpus extra lienem diffunditur, plane ejus habitum univerſum corrumpat. Id vitium his ſignis ſeſe prodit. Os, ipſeque ſpiritus male olet, gingivæ vitiantur, ſublividæque, & nonnunquam ſubatræ redduntur, ac digito, vel leviter preſſæ, atrum cruorem emittunt: Eædem ſic laxæ ſunt, ut a dentibus diſcedant, facileque eos, vel omnes interdum eximere liceat. Aliquis etiam capiti, itemque præcordiis dolor eſt, urgetque cibi faſtidium: Creſcente morbo, hæc quoque creſcunt, & maculæ quædam lividæ, tanquam veſtigia ſugillationum, variis corporis locis effloreſcunt, in brachiis ſcilicet, in coxis, in cruribus, ſæpeque per univerſi corporis cutem, adeo ut hæc quaſi arquato videatur fœdata. Inter hæc magna imbecillitas oritur, præcipueque in cruribus, quorum impotentes compages fiunt. Nonnullis, ac potiſſimum junioribus, crebro ſanguis e naribus fertur: quod ni fiat, in cruribus hæ maculæ, quas dixi, & interdum ulcera fiunt. Is morbus Batavis, aliiſque populis, qui humiliora, atque paluſtria loca incolunt, frequens eſt, utique ſi his quoque alimenta craſſæ duræque materiæ ſumuntur. Rariſſimus ſiccis regionibus atque editioribus eſt. Omnem ætatem quolibet anni tempore nullo diſcrimine impetit: Senibus tamen gravior, ſed frequentior juvenibus eſſe creditur: Quibuſdam tamen locis frequentiſſimus pueris eſt: Idemque Autumno, atque Vere maxime recrudeſcit.

Elephantia. Grave in primis, & horroris plenum vitium Elephantiæ eſt: ut primum id invaſit, ſumma pars corporis crebris maculis inſpergitur, crebroſque tumores, maxime juxta ſummam frontem, ac mentum habet: Maculæ modo ſubnigræ ſunt, modo ſubflavæ, modo ſubalbidæ: Cutis inæqualiter craſſa, horrida, duraque, qualis anſerum eſt, eademque quaſi ſquammis quibuſdam exaſperatur, potiſſimum in facie, in manibus, & in pedibus. Pili rariores omnibus locis corporis fiunt, ſpiritus difficulter trahitur, & male olet, vox obſcura, atque ſubrauca eſt, craſſeſcunt malæ, mentum dilatatur, amboque ruborem exhibent, non floridum quidem illum, ſed livore quodam turpem: urina, qualis jumentorum, craſſa, turbida-

bidaque eſt. Mores denique accedunt & ſomni, & inſomnia melancholicis familiaria: Quidam etiam ſeſe præfocari inter dormiendum rati, cum impetu expergiſcuntur, atque exiliunt. Plerique Veneris quoque ingenti deſiderio capiuntur. Increſcente autem morbo, hæc iſta etiam increſcunt, ipſumque corpus male fœdum emacreſcit, os, ſuræ, & pedes intumeſcunt, hique ut plurimum frigidi, torpidique ſunt. Varicoſæ venæ, ſubnigræ, ceu verrucæ quædam, aut grandines, in linguæ radice, ſub palpebris, poneque aures cernuntur. Ubi vetuſtatem morbus accipit, eroditur narium media cartilago, tandemque aliquibus corrupta partibus decidit, ipſæ nares ſimæ fiunt, & alarum craſſamento obſtructæ. Itaque per has ſic impeditas, ipſe ferri ſpiritus, verbaque proloquentis hominis videntur. Labra etiam craſſa ſunt, & inverſa, oculi juxta angulum interiorem rotundiores ſunt, quod in iis album eſſe oportuit, flaveſcit, craſſumque fit, ac quaſi ungue obtectum. Ex ſuperciliis autem præduris illis, ac pene calloſis, itemque ex palpebris, & mento pili decidunt, aliique horum loco longe quam ante rariores, ac tenuiores exurgunt. Aures etiam per hæc fere tempora acutæ fiunt, extenuantur, & eroduntur. Manuum, pedumque digiti ſiccis fiſſuris dehiſcunt, atque non raro ſic attolluntur, ut ſub tumore condantur. Muſculi toto corpore conſumuntur, maximeque juxta pollicem: ipſe vultus horridus, ac, qualis Satyrorum eſſe fingitur, deformatur. Ad extrema ventum eſſe vox docet ſumme rauca, & cava, virulentaque manuum, ac pedum ulcera, quibus ſubinde hæ partes vitiatæ cadunt. Eodem pene tempore cutis quoque ſenſu prope in extremis pedibus caret, adeo, ut ne doleat quidem, ſi quis hanc, vel intromiſſa acu pupigit, vel ferventibus undis aduſſit. Noviſſime febricula oritur, quæ facile tot modis obrutum hominem tollit. Signa hæc alia in aliis, non omnia tamen obſervari in omnibus ſolent. Scire tamen licet, inveteraſcentem morbum hunc depelli remediis non poſſe: Neque enim ſola cutis, ſed totum etiam corpus intus, foriſque afficitur, ſic ut ipſa quoque vitiari oſſa credantur. Contagione etiam id malum contrahi (non ſolum ſponte,) intimoque corporis vitio poteſt; idemque a parentibus tranſire ad natos, vel ab ipſo etiam natali ſolet.

Morbus venereus.

Haud multis ante noſtram memoriam annis, horrendum, atque novum genus morbi mortalium valetudini tot alioqui caſibus opportunæ, cœpit inſidiari: quod, quia conſuetudine Veneris contrahitur, venereum appellari poſſe videatur. Primum, juxta naturalia cruſtoſæ puſtulæ oriuntur, hæque lentam ſaniem reddunt, & maligne exulcerantur. Accedit venereum ſeminis profluvium, vel inguinum venenati bubones. Hæc omnia, niſi altius intro ad viſcera ſubeunt, nondum cœpiſſe morbum, at in proximo eſſe teſtantur. Ut primum vero is ipſe incipit, tum leviſſimus eſt, cum ſolummodo pilos, caput, ac mentum remittunt ægri, cetera recte habent. Paulo gravius eſt ſumma corporis maculis frequentibus, iiſque more lentiginis exiguis, alias rubris, alias flavis imbui, quæ maculæ non niſi reſoluto quoque morbo tolluntur. Id vitium tum quoque majus eſt, certumque ſui argumentum præbet, cum in fronte, & in temporibus, & pone aures, maxime circa radices capillorum, dein in capite, vel etiam in univerſo corpore, malignæ puſtulæ, tumoreſque non unius coloris effloreſcunt, quæ ſponte ſine medicamento ſanantur, iterumque paſſim expullulant. Puſtulæ modo flavæ, modo rubræ ſunt, rotundæ omnes, ſiccæ, puris expertes, & aridam cruſtam habent, ex his deinde in ambitum ſerpentibus puſtulis, cutemque cavantibus, ulcus oritur virulentum,

tum, & ſordidum. Quibuſdam etiam tum manuum, pedumque cava finduntur ſiccitate, & ſquamas remittunt. Eoque prope tempore palatum, atque intimum anguli oris, nigris, fœtidiſque puſtulis impeditur, adeo ſubinde ulcere cavatis, ut ejus rei cauſa, potio per nares reddatur. Qui caſus tamen rariſſimus incipiente morbo, frequens tum veteri, tum bis terve reverſo eſt. Exulcerantur quoque & lingua, & fauces, & partes quæ ad nares, & ad podicem ſunt. Tum quoque caput prægrave eſſe incipit, cervicibus, humeriſque dolor ineſt, qui interpoſito ſpatio ad brachia, & ad crura pervenit, noctemque moleſtam magis, quam diem exhibet: maxime a tertia noctis hora ad nonam infeſtus. Idem mediis artubus profunde inhæreſcit, in quibus ſæpe tumores oriuntur, qui ægre vel diſſolvuntur, vel ſuppurant. Interdum etiam in tophos vertuntur hi, maximeque in fronte, in capite, in claviculis, in medio humeri oſſe, itemque in cubiti radio, & in parte tibiæ priore, & juxta alia nonnumquam oſſa, quæ peſſimis inde ortis ulceribus corrumpuntur. Tum profecto graviſſimum id malum eſſe judicatur: Nam ſolidæ quoque partes labefiunt, oſſa, vincula, membranæ, nervi, circa quæ coeunte maligno humore, immaniſſimi doloris tormenta, maximeque per noctem incidunt. Atque his quidem ærumnis, miſtiſque vigiliis, ac febri oppreſſus, ſubinde homo perit. Ceterum meminiſſe convenit, non omnia ſemper in omnibus ægris ſigna, verum alia in aliis deprehendi. Modo enim ſolæ puſtulæ, modo dolores, vel nodoſa tubera, vel exulcerationes ſunt. Sub ſolis puſtulis expeditior curatio eſt, ſub aliis nulla, aut certe difficillima: præcipue ſi his multa vetuſtas acceſſit. Porro conſtat morbum hunc penitus contagioſum eſſe, ac ſolo vitiati corporis adhæſu contrahi, tum a parentibus quoque ad liberos more Elephantiæ tranſire, eique contagioni fœminas opportuniores, quam viros eſſe. Recens morbus non difficillime curatur, vetus vix unquam. Æque inanis medicina eſt, ſi ſub hoc vitio corpus marcore occupatur, aut orta anhelatio, quam Græci ἄσθμα vocant, fuit. Poſt morbi curationem alii mire corpulenti fiunt, aliis raucitas infeſta eſt, aliis fœdæ cicatrices manent, profundorum, turpium ulcerum veſtigia.

MEDICINALIUM OBSERVATIONUM

LIBER II.

Quæ vitia ſingularum partium corporis proponuntur.

VIx ulla pars corporis humani æque doloribus opportuna, ut caput eſt: huc enim facile aliquid ex inferiore corpore aſpirat. Ipſa quoque pars, propriæ conſtitutionis, atque temperamenti occaſione impotens, non difficillime doloris cauſam in ſeſe tum admittit, tum gignit. Ergo ſi multis jam annis crebro, levique de cauſa caput dolet, ſcire licet aut cephalæam, aut hemicraniam eſſe: ſub illa proprio caput affectu labefactatur, ipſumque univerſum, aut certe maxima ejus pars dolet: ſub hemicrania autem, alterum tantum capitis latus conſenſu præcordiorum, ſubditarumque partium dolor afficit, fereque a temporum oritur pulſatione. Uterque dolor, ut quivis etiam alius, ſub appellatione τῆς Καφαλαλγίας continetur. In dolore autem capitis omni, eo periculum vertitur, qui continenter excruciat, & ſomnum tollit. Quod ſi vomitus etiam accedit æruginoſus, & ſurditas, in proximo inſaniam eſſe ſignificat. Jam etiam ubi ingentem capitis dolorem diſtentio nervorum comitatur, vel inflammatio juxta oculos, aliamve corporis defixa partem, vel denique oculorum inflatio, aut ſubverſio, ſummum periculum oſtenditur. Illud quoque veterum obſervatione conſtat, vehementem dolorem capitis, qui curatione non ſaneſcit, ſed magis etiam exaſperatur, aſſidue tenet, periculum inſaniæ per febrem minari: ſine febre autem, cum hanc quoque inſaniam, tum magis cecicatem prænunciare. Per acutos capitis dolores, ſi ſonitus incidit aurium ſine febre, & vertigo, & impeditus tarduſque ſermo, & manuum torpor, vel morbum expectari attonitum, vel comitialem, vel lethargum poſſe, non alienum eſt. Ad hæc ſi vetus in capite dolor eſt ex frigida natus materia, difficillime ſaneſcit, maximeque in ſenibus. Quum caput parte aliqua, aut circum circa dolet, ſi pus, vel aqua, vel ſanguis naribus, ore, aut auribus exit, ſcire licet malum ſolvi. Dolor capitis.

Nunc ea capitis vitia ordine ſequar, quibus mentis error jungitur, incipiamque a delirio, quod Græci παραφρόνησιν dixerunt. Majoris fere id terroris, quam periculi eſt, ſcilicet per acutarum febrium vigentes acceſſiones, ſæpe contingit deſipere ægros, & loqui aliena, verum levato acceſſionis impetu, protinus mens redit. Noviſſe tamen oportet, illud penitus non leve eſſe, neque incidere, niſi in vehementi febre poſſe. Fere autem hoc repreſſo, gravis profunduſque ſomnus obrepit. Sed imminentis quoque delirii non ambiguæ notæ ſunt. Expeditior ſermo ægrotanti eſt, quam ſano fuit, ac ſubita oritur loquacitas, eaque ipſa ſolito imprudentior. Stridor quoque dentium, firmo etiamnum corpore incidit, & Delirium.

ge-

geſtus incontinentior eſt, & oculi frequenter moventur, hiſque dolente vehementer capite, quaſi tenebræ offunduntur, vel ſine dolore ſomnus non accedit, ſitque continuata per noctem, perque diem vigilia. Spiritus rarus, mireque vehemens eſt, & pulſus citatus, ipſumque corpus proſtratum in ventrem jacet, niſi ſi hunc decubitum tamen aliquis ventris dolor fecit.

φρενῖτις. Horroris autem, periculique pleniſſimum id genus inſaniæ eſt, quod inflammato cerebro, ejuſve membranis excitatur, Græci φρενῖτιν vocant. Id his ſignis noteſcit: Febris urget acuta, atque continua, continuuſque mentis error, modo his, modo aliis animæ vitiatis actionibus: expeditus in omnem audaciam homo eſt, & viciſſim tum vigilia, tum ſomno difficili, turbulentoque impeditur, ſic ut interrupta quiete protinus cum impetu e cubili proſiliat, vociferetur, ferociat, ac modo ploret, modo cantet, verbaque ſine ſenſu, ſine ordine certo proferat, interrogatus ab alio omnia aliena reſpondit. Quæ quidem omnia eo plus oſtendunt periculorum, quo quis initio morbi (ut fere fit) pacatior fuit. Sub eodem vitio oculis inſolita mobilitas acceſſit, hique cruenti, flammei, ſqualidique ſunt, quos æger crebro perfricat, modo ſiccos, modo lachryma perfuſos, lingua autem aſpera, & nigra eſt, dentes ſtridore quatiuntur, ſæpeque cruor e naribus aliquis fertur, & interdum poſteriora capitis dolent. Adhæc vehementer ſitit æger, & multum garrit nugarum, atque alte quidem, verum raro tamen ſpirat. Idem manibus tremit, digitiſque floccos vellit, & feſtucas e ſtragulis legit. Urina huic tenuis, flammea, interdum etiam (quod peſſimum eſſe judicatur) tenuis, albaque eſt. Hoc iſtud genus inſaniæ longe acutiſſimum eſt, brevique hominem, niſi mature malum tollitur, tollit. Mortiferum id eſſe teſtatur continua, tum dementia, tum vigilia, alvus & urina pertinaciter compreſſa, aut urina prius abunde colorata, poſt alba, tenuiſque reddita, itemque diſtentio nervorum, difficilis crurum extenſio, atque contractio, ſyncope.

Melancholia. Sequitur tertium inſaniæ genus, quo diu aliquis ſine febre deſipit, Græci μελαγχολίαν vocant. Triſtitia, metus, atque vigilia longo tempore afficiunt, itemque humanæ conſuetudinis odium, idque perpetuo cum luctu, atque lachrymis, quanquam nonnulli etiam continenter rident. Omnes autem exercent vanæ, intentæque animi cogitationes, adeo ut perſæpe humi fixis oculis, veluti ſtupidi conſiſtant, ſubitoque falſis imaginibus exempti, celeriter cum ſuſpirio procedant. Qui gravius laborant, ſeſe vel pecudes eſſe, vel teſtaceos, vel etiam vita defunctos credunt; quare alii gallinacei cantum voce imitantur, alii occurrentibus cedunt, veriti ne (teſtacei cum ſint) diffringantur, alii epulas pertinaciſſime recuſant, amiſſam eſſe vitam rati.

Qui hoc morbo laborant, ut mortem quam maxime pertimeſcunt, ſic hanc tamen ſibi ipſi quam ſæpiſſime deſponſo animo conſciſcunt. Omnibus autem caput, oculi, totaque facies calet: Somnus, ut præcipue neceſſarius, ita maxime difficilis eſt. Ex eodem genere morbi, melancholia

Melancholia flatuoſa. flatuoſa habetur, quam Græce ὑποχονδριακὴν appellamus. Eſt malum affecti jecinoris magiſque lienis ſoboles, modo cum lienis tumore, modo ſine eo, non ſolum lienis, ſed neque etiam meſenterii: Soletque tum ſævius eſſe, vel exigua etiam aduſtæ bilis atræ atque pernicioſæ portione, omnia ſuo halitu labefactante.

Iiſdem pene notis hic morbus, quibus prior, deprehenditur: niſi quod hic præcordia ſurſum convellantur, & interdum præter gravitatem calore ferveant. Sub his arteriæ vehementer, & moleſte pulſant. Accedunt

ca-

capitis vertigines, aurium ſonitus, cruditas, acidi ructus, multa tenuis ſalivæ ſputatio, qua de cauſa nihil etiam ſititur, vomitus pituitæ, modo bili permiſtus eſt, modo acidus, ex quo dentes etiam ſtupent. Dum epulas ſtomachus concoquit, medio loco ſcapularum dolor inhæreſcit, qui illis concoctis, protinus conquieſcit: Venter ſæpe adſtrictus eſt, & intus rugit, flatibuſque turbatur. Quin etiam ſubinde cordis fit palpitatio, & quædam quaſi ſuffocatio. Cruditate maxime creſcit morbus, concoctione ſumme levatur, eſtque eo morbo, quem priore loco poſuimus, longe mitior. Nonnulli autem, quibus hujus mali vis cerebrum penitus occupavit, in furorem aguntur, febremque patiuntur hecticæ non abſimilem, & quæ in marcorem prompte vertatur. Melancholia omnis familiarior viris & ſenioribus, deterior fœminis eſt. Raro quiſquam tumorem effugit lienis, qui hoc morbo capitur. Si vel hæmorrhoides, vel varices, vel (ut quibuſdam placet) aqua inter cutem accedit, ſolvitur malum: verſam etiam melancholiam in morbum caducum fuiſſe, & rurſus hunc in illam, quorundam obſervatione compertum eſt. Fere autem ſic incidit: ut, quæ melancholia recens eſt, curationem non difficillimam habeat: quæ inveteravit, vix unquam remediis tollatur.

Sequitur modo ea inſaniæ ſpecies, quam nos furorem, ſeu rabiem, Græci μανίαν appellaverunt. Adſunt quidem deliriationes eorum quos Melancholia exercet, at his tamen inſuper jungitur effrenis iracundia, clamoribus, minitationibus, torvo oculorum intuitu, violentoque corporis impetu formidabilis. Si ſanguis magis ſubeſt, aſſiduus, & diſſolutus oritur riſus, jucundis ante oculos objectis imaginibus. Si vero magis in cauſa bilis eſt, omnia inuſitatæ temeritatis, atque crudelitatis plena contingunt. Adeo conſtat recte judicaſſe veterem Hippocratem, inſaniam quæ cum riſu ſit, tutiorem eſſe, quæ dato ſtudio, pejorem. Ut plurimum autem hic morbus ſine febre eſt, tametſi ea quoque interdum accedere, atro humore putreſcente, ſolet. Salutem promittunt, fuſi menſes, aut hæmorrhoides, aut natæ varices. Non tuta ſunt ulcera in facie & in pedibus orta, aut amiſſa prorſus appetentia. Furor.

Huic furoris vitio id finitimum eſt, quod a morſu rabioſi canis infertur, Græci ὑδροφοβίαν, nos aquæ metum appellamus. Miſerrimum genus morbi, quod hominem rabie, & ſiti & aquæ formidine cruciat. Ergo ut primum morſus aliquis eſt, moderato omnia pro vulneris modo fiunt; at interpoſito ſpatio, dolores ingraveſcunt, ipſaque incipit vitiari mens alienis cogitationibus impedita. Homo autem moroſus, fit ferox, atque iracundus, multum ſecum obmurmurat, & quaſi ab alio interrogatus, crebra reſponſa reddit. Poſt hæc conſpectum metuere aquæ incipit, canemque in ea occuli exiſtimans, metu exclamat, atque inhorreſcit. Aquæ metus.

Ipſi adeo mens errat, ut ne familiares quidem agnoſcat. Tum perfecta oritur rabies, atque aliis morſu nocendi cupiditas, inter quæ alii ſicuti canes latrant, alii ſemen ſine deſiderio Veneris emittunt, alii cum quid biberint, præfocati moriuntur. Omnibus autem ſomnus turbulentus, horroris, furoriſque plenus eſt. Accedit nervorum diſtentio, ſingultus, ſitis implacabilis, & (quæ fere extrema eſſe ſolent) frigidus ſudor, & ſyncope: quamquam non raro prius ſiti homo enectus ſit, quam hæc iſta eveniant. Porro hoc genus inſaniæ, ubi confirmatum ſpatio eſt, adeo ſanari non poteſt, ut neminem conſtet inde unquam fuiſſe expeditum: Confirmatum eſſe dico, cum ſimul mentis uſus non eſt, ſimul timeri aqua cœpit. Quos caſus accidere aliis poſt quadrageſimum, aliis poſt ſextum, aut ſeptimum menſem obſervatum eſt.

Nec

Nec deſunt Authores, quibus placuit, ſeptem etiam annis occultari id vitium poſſe. Illud quoque conſtat, multos ita morſos, factum id a rabioſo cane eſſe neſciſſe, vulneriſque curatione, ac nimia ſecundæ valetudinis fiducia, hujus ſibi calamitatis authores exſtitiſſe. Itaque utilis etiam experimento locus eſt. Nam accipitur panis fruſtum, imponiturque vulneri: id hinc detractum, alterique integro vorandum exhibitum cani, ſi rabiem ei non moverit, ſcire licet, qui momordit, eum non fuiſſe canem rabioſum. Fere autem qui ſic eſt canis, hæc habet: eſurit, ſitit, nihil tamen cibi vel potionis ſumit, oculos flammeos, truceſque habet, auriculas demittit, linguam exerit, multum ore ſpumat, umbræ ſuæ oblatrat, ſæpe ſine omni latratu triſtis, atque anxius diſcurrit, crebro tanquam curſu fatigatus ſpirat, caudam geſtat intortam, nullo diſcrimine in quaſque obvias animantes impetu, ac morſu fertur, præcipite atque incerto oberrans curſu. Integri canes, & conſpectum, & latratum ejus qui furit exhorreſcunt, ac fugiunt.

Lethargus. Nunc ea capitis vitia proponam, quæ frigidis innixa cauſis, mentem etiam vitiant, incipiamque a Lethargo, cujus hæ notæ ſunt; Marcor, & pene inexpugnabilis adeſt dormiendi neceſſitas, febriſque lenta, neque caloris admodum mordacis. Accedit dementia, rerumque omnium tanta oblivio, ut quum oſcitant ægri (quod ipſis perfrequens eſt) claudendi oris obliviſcantur: aut cum mejendi cauſa matulam petunt, manibuſque tenent, mictionis tamen omnem amittant memoriam. Adhæc clauduntur oculi, iidemque ubi voce compellitur æger, palpebris ægre diductis, vix adaperiuntur, rurſumque protinus coeunt, ac priſtino ſeſe ſopori dedunt. Is ſopor interdum adeo pertinaciter immoratur, ut æger vulſis etiam capillis non doleat, ſed totus ſtupore oppreſſus, veluti truncus cubet. Univerſum ipſi corpus ſegne, graveque eſt, & ante omnia caput. Nonnunquam ſingultus etiam incipit. Ipſe pulſus æque magnus, molliſque, ut inflammatis pulmonibus eſt: at tardior tamen, & rarior, & minus inæqualis, magis autem intermittens, quam intercurrens, interdum bis pulſans, ſemper, ubi ſopor dominatur, undoſus. Spiratio rara, & imbecilla eſt; Alvuſque aliis liquida, aliis compreſſa. Urina, qualis jumentorum eſſe ſolet, turbida mejitur. Ipſe æger ſupinus cubat, & ab aliis in latus converſus, ultro in dorſum revolvitur. Hoc certe genus morbi acutum eſt, & cum parum in tempore ſuccurritur, prompte interficit. Summi periculi nuncius tremor eſt: itemque vigente malo frigidus circum caput ſudor. Qui ex hoc morbo convaleſcit, huic fere in pectore ſuppuratio naſcitur. Sæpe lethargus, abſceſſu pone aures exorto, ſolvitur.

Caros. Caros notis lethargo perſimilis, febrim non facit, ſed ſequitur, eamque non levem: quamquam etiam, & compreſſo cerebro, acceſſionibuſque comitialibus ſuccedit. Lethargus ipſe per ſe morbus, propria quadam nititur conſiſtentia. Neutrum vitium repente accedit. Jam quoque in lethargo, etſi ſit moleſte, ſit tamen omnino ad interrogata reſponſio. In Caro ſpiritus illæſus eſt. Nihil vero iſtorum in attonito obſervatur morbo. Solutum quoque Carum fere ſecunda valetudo excipit: attonitum morbum, reſolutio nervorum.

Catalepſis. Catalepſis autem, quam detentionem interpretantur, ſic cognoſcitur. Homo repente mente, ac ſenſu, motuque corporis deſtituitur: itaque in ea quoque figura, qua percellebatur, manet, ſive ſederit, ſive cubuerit, idque vel clauſis, vel aperris oculis. Qui hoc morbo capiuntur, niſi mature curentur, ſtupidi ac velut frigore quodam enecti moriuntur.

Κῶμα. Κῶμα autem, quod Soporem, & profundum ſomnum appellamus, hic no-

notis obſervatur. Æger demiſſa inferiore mandibula obdormit, & expergefactus, rurſus in ſomnum repente delabitur, ideoque Græci id ὑπνῶδες appellaverunt. Quod ſi ad ſomni proclivitatem, vigilia ſimul accedit (ἀγρυπνὸν κῶμα Græce dicunt) mens, ſenſuſque omnes ſopitam omnem actionem oſtendunt: homo tamen vigilantis formam, figuramque retinet. In eo malo impeditus ſermo, & ſpirantibus auditum in gutture murmur, & difficilis poculorum deglutitio, & pituita tenuis a naribus ſtillans, & urina, alvique retentio, promptaque reſupinatio, periculum in proximo eſſe denunciant.

Incipiam nunc de morbo dicere comitiali, quem Græci ἐπιλῆψιν dicunt. Is tum maxime timeri poteſt, cum caput grave eſt, & dolet, præcipue permoto ad iram homine, cum mentis error incidit, & ſenſuum ſtupor, ſimulque vertigo oritur, & tenebræ oculis objiciuntur, & horrenda inſomnia ſunt, & lingua ſine ordine orationis movetur, eamque loquens æger commordet; cum vultus inter hæc pallet, ſpiritus difficulter trahitur, venter flatibus tumeſcit, urina præter ſolitum tenuis & cruda, cum alias, tum ſi quis etiam dolor, aut convulſio ſummum humerum, aut cervices, aut caput occupet, aut torpor corporis, aut turbulentum inſomnium accedat. Ut primum vero morbus invadit, homo ſubito convulſus concidit, vociferatur, ſtertit, ſpumat, interdum circumagitur & tremit: dein interpoſito tempore ad ſe redit, perque ſeipſum conſurgit. Quibuſdam ſtercus, aut urina, aut ſemen præter voluntatem in ipſa acceſſione elabitur. Si a ventriculo vitium fuit, mordetur is ante, magiſque per inediam, idemque palpitat, & fluctuat: quumque in propinquo acceſſio eſt, nauſea oritur, & ſtomachi dolor, aut animi defectio, qua finita, vomitus incidit, modo pituitam, modo bilem trahens, inter quæ frequens ſibilus aurium eſt. Porro ſi ab aliquo loco corporis exteriore malum oritur, inde fieri raptus velut auræ cujuſdam frigidioris per continuatas partes ad caput ſentitur. Morbus autem comitialis tum peſſimus eſt, cum continenter recurrit, atque intervalla acceſſionum habet quam minima, diuque, ubi invaſit, immoratur; præcipue ſi ſimul multa vertigo eſt, & difficillima ſpiratio, & vehemens, longaque corporis agitatio, & poſt hanc ſuccedens alta, plurimaque quies catochæ ſimilis, ſub qua amiſiſſe homo quaſi vitam credatur. Quod ſi inter hæc nihil juvare etiam videbuntur remedia, quæ movendis ſternutamentis utilia ſunt: ſcire licet, in peſſimo rem ſtatu eſſe, magiſque ubi ab ore deterſa ſpuma ſæpius redit, ſimulque vehemens tremor, & vociferatio, & ſtertor eſt: neque finita acceſſione meminit quicquam æger, pudorve movetur factorum. Idem morbus magna ex parte eſſe longus ſolet, ad uſque diem hominis ſupremum, neque vitæ tamen periculoſus, tametſi interdum, cum recens eſt, hominem tollat crebris, gravibuſque acceſſionibus. Morbus comitialis.

Quomodocunque autem incidat, magis familiaris eſſe viris, quam fœminis conſuevit: magis pueris, ac præcipue nuper in lucem editis, quam adultioribus, minimeque ſenibus, atque ætate confectis. Nihil æque ad depulſionem vitii hujus, ac proceſſus ætatis facit. Nam pueris fere poſt fœminæ conſuetudinem ſolvitur, & puellis poſt orta menſtrua. Quod ſi annum aliquis vigeſimum quintum jam ſuperavit, ægerrime, aut certe nunquam ſaneſcit, per omnem vitam morbo opportunus, magiſque ſi comitialibus natus parentibus, aut conceptus fluentibus menſtruis fuit. Illud etiam non perperam animadverſum eſt, prægnanti fœminæ ſi morbus acceſſit comitialis, hunc, facto partu, ſolvi: & ſi quid inde vitii fœtus traxit, id magna ex parte conquieſcere, ubi editus in lucem infans protinus

evomuerit, multumque ejecerit aquoſi excrementi: ſin minus, manere morbum. In eodem ipſo Alphos albus in capite natus, pueriſque cruſtoſa ſcabies, ſpem curationis aliquam facit, maxime ſi morbus non ita diu traxit, & vitæ ſolummodo ſecutus intemperantiam eſt: aut ſi ab una parte corporis, ſenſus venientis acceſſionis incipit, idque a manibus, vel a pedibus potius, quam a lateribus aut ab ipſo (quod peſſimum eſt) capite. Nam contra, ubi totum ſimul afficitur corpus, neque ante in parte aliqua accedentis mali ſenſus eſt, ſed homo ex improviſo concidit, cujuſcunque is ætatis ſit, vix ſaneſcit. In eodem morbo ſi mens læſa eſt, & nervorum facta reſolutio, medicinæ locus non eſt. Illud quoque conſtare judicio quorundam video, prorſus pro valetudine eſſe, ſi morbo comitiali longa febris, ac præcipue quartana acceſſerit.

Incubus. Incubus, quem ἐφιάλτην Græci dicunt, notis cognoſcitur. Per ſomnium mole aliqua ſeſe opprimi homo, & ab alio urgeri credit: ipſe totus torpidus, ac difficulter mobilis, imaginatione præfocationis edere vocem non poteſt, aut eam certe admodum incertam, exilem, & male diſcretam edit, tandem hoc caſu vehementer anxius, perrupto ſomno, repente expergiſcitur. Malum hoc familiare eſt hominibus crapula, & multa ſæpe cruditate oneratis. Deterius eſt, ubi per noctem etiam vigilantibus incumbit. Si vero ubi idem dormientes occupat, poſt expergefactionem frigidi oriuntur ſudores, & cordis tremor, peſſimum eſt. Vix unquam incubus accidit in latus cubantibus. Qui hac ægritudine multo jam ſpatio temporis, ac frequenter occupatur, huic grave aliquod capitis malum, puta vertiginem, morbum tum attonitum, tum comitialem, maniam, nervorum diſtentionem, aut ſubitam mortem impendere ſciendum eſt. Scilicet hoc modo repertos mortuos, in ipſo etiam cubili, multos eſſe conſtat.

Morbus attonitus. Attonitum morbum, qui Græce ἀποπληξία dicitur, etſi interdum nulla fere ſigna præcurrunt, magna tamen ex parte antecedunt, capitis ſubitus, acutuſque dolor, & vertigo, & oculorum caligo, & dentium in ſomno ſtridor, & totius corporis, maximeque extremorum frigus. Tum repente homo, velut attonitus, cum clamore corruit, moxque clauſis oculis ſtertit, & magna ſpiritus orta difficultate tantum non præfocatur, perinde laborante pectore, ac ſi vinculo quodam adſtrictum attolli prohiberetur: Adhæc ſenſus motuſque omnis perit, unica miſeris a ſpiritu ſpes vitæ reliqua. Is ſpiritus, prout aut facile, aut moleſte trahitur, morbi modum, omnemque magnitudinem oſtendit. Quare etiam peſtiferum eſſe ſciendum eſt, ſi vel intermittitur multum ſpiritus, aut ſumma difficultate trahitur. Minus horrendus caſus eſt, ubi cum ſpiritu non difficillimo, ſumta pocula non reſiliunt per nares, ſed penitus deſcendunt.

Quicunque vero morbus attonitus magnus eſt, ſanari non poteſt; qui levior, ægre poteſt. Idem raro ſine altero corporis reſoluto latere, conquieſcit, idque fere primis fit quatuor diebus, quod ſpatium ſi morbus transit, occidit. Sæpe tamen adeo leviter aliqui ſic laboraverunt, ut ſolo diſtorto ore, ſenſuque, ac motu lapſo, neque ſpumaverint, neque ſterterint, remediiſque curati, nulla orta nervorum reſolutione, convaluerint. Morbus autem attonitus ei magis familiaris eſt, qui annum jam quadrageſimum, nondum ſexageſimum exceſſit, utique ſi idem frigidæ naturæ homo eſt, crebraque gravitate capitis, & ſopore, oculorum caligine afficitur, ſi brevi & anguſta cervice eſt, ſi ipſe totus ſine negotio deſes, potationibus, atque ingluvie perditam vitam ducit. Adoleſcens autem, & eo ætate paulo grandior, ſic laborare, non niſi maximis de

cauſis

cauſis poteſt, aut quivis etiam alius, quum tempus æſtivum eſt. Sub his enim caſibus fere mors ſequitur. Opportunior morbo hyems eſt: utique ſi præfrigidi venti ſpirant, denſæque nebulæ cœlum obſident. Ceterum utile eſt in hoc morbo hæmorrhoides patefieri: inutiles ſunt frigiditates, & torpores: mortiferi propter impeditum ſpiritum orti ſudores. Per eundem morbum ſæpe, quod multis videtur extinctum corpus, vitam habet, præcipueque fœminarum, & horum quoque virorum, quibus frigidor eſt natura. Rem omnem pluma detegit coram naribus, atque ore ſuſpenſa, aut certe vaſculum aquæ plenum, atque ſic ſupra pectus impoſitum. In his ſi motus fieri aliquis videtur, ſupereſt æger: ſi ſumma immobilitas eſt, periit. Minime alienum id videatur, quod Hippocrates memoriæ prodidit: ſanum hominem ſubito dolore capitis captum mutumque redditum, ac ſtertentem, intra ſeptimum diem interire: ſervari autem, ſi ante eum diem febris venit, poſſe.

Reſolutio nervorum.

Proxima modo videatur obſervatio, quæ nervorum debetur reſolutioni, Græci παράλυσιν appellant. Ea autem, cum morbo attonito ſucceſſit, παραπληγία Græce dicitur, ac modo omne corpus, quod capite inferius eſt, occupat, modo alterum ejus latus duntaxat. Cum autem nullo antecedente morbo incipit, interdum & comprehenſa quoque loca tenet, interdum unam quampiam partem, ut linguam, ut oculum, ut maxillam, ut labrum, ut brachium, ut crus, ut hujuſmodi. Hujus itaque reſolutionis nuncius ſtupor eſt, ex quo ſcilicet ſenſim creſcente illa naſcitur. Prius autem genus plus periculorum habet, ſæpeque in morbum attonitum revertit, poſterius hoc etſi æque fere diuturnum, longe tamen eſſe mitius ſolet. In utroque alias ſenſus integro motu perit, alias illæſo ſenſu motus, nec raro (ubi conſummatum id vitium eſt) ſimul utrumque. Ubi hic morbus alterum latus affecit, id nonnunquam frigidum deprehenditur, altero, quod integrum eſt, ardeſcente. Oculus quoque, e directo lateris ejus, quod morbum ſuſtinet, minuitur. Per eundem morbum pulſus languidus eſt, & parvus, & tardus, & rarus, & mollis: interdum etiam creber, inæqualis, ſed nonnihil ſine certo ordine intermittens. Urina tenuis fere, atque diluta eſt, tametſi nonnunquam propter imbecillos renes rubea ſit. Idem malum ſemper longum eſſe ſolet, ſæpeque, alios morbos excipiens, finit: puta morbum (ut proxime dixi) attonitum, itemque longas febres, coli dolorem atque ab utero factum ſtrangulatum. Crebro etiam per hyemem incidit, ægerrimeque in ſene tollitur, præcipue ſi jam in vetuſtatem incidit. Idonea ad medicinam tempora ſunt, primum æſtatis, dein veris: vix quicquam ſperari hyeme, vel autumno poteſt. Quæ vero pars reſoluta eſt, ea facile refrigeſcit, graviſque eſt, mollis, & laxa, tandemque ubi morbus inveteravit, macie conſumitur. Tum profecto vix unquam ad priſtinum ſtatum revertitur, præcipue ſi motu penitus caret, ſimilemque colorem reliqui corporis non exhibet. Quælibet autem nervorum reſolutio mediocris vix ſanatur, vehemens ſanari non poteſt. Eadem ubi ex rupto nervo, aut tranſverſim inciſo nata eſt, non curatur. Pro valetudine eſt, febrem accedere, vel tremorem fieri.

Diſtentio nervorum.

Quoniam de vitiis agere cœpi nervorum, non videtur omittenda eorum diſtentio, quæ Græcis σπασμὸς appellatur. Membrum ſic contrahitur, ut reduci ad priſtinum habitum non poſſit, nervis, muſculiſque

verſus ſuam originem, præter voluntatem, convulſis, idque cum vehementiſſimo dolore, qui vires ſubinde hominis conſumit. Quod ad pulſum attinet, arteria tenditur, & undequaque ſeſe colligens coit, eademque veluti chorda, quæ ſtringitur & laxatur, ſurſum, deorſumque fertur. Hic morbus rarus quidem, at multum acutus eſt, citoque adeo occidit. Quum repente ſanum hominem adoritur, repletionis ſequitur cauſas, utique ſi neceſſariæ vacuationis facta ſuppreſſio eſt, ſi intermiſſa exercitatio, & continuata pocula fuere: ubi vero magna febris, aut ſuperflua vacuatio, aut nimius labor, maximeque vigilia, atque inedia anteceſſerunt, ſcire licet id ipſum vitium ab inanitione profici, atque in primis horrendum eſſe, vixque ulla medicinæ ope ſanabile. Itaque recte id ab Hippocrate animadverſum video, poſt acutas febres, & effrenatas, præcipueque veratro tentatas purgationes, & poſt graviſſima vulnera, aut poſt quamvis aliam ſanguinis profuſionem, ſemper mortiferam nervorum diſtentionem eſſe. Scire autem licet, ſæpe hunc morbum febricitantibus ſubito, ſine ullis præcurrentibus ſignis, accidere, factoque bilis vomitu, protinus conquieſcere: proin ejus cauſa ad ſtomachi affectum, non ad febrem referenda eſt. Porro eſt etiam levis quædam nervorum, muſculorumque diſtentio, quæ a flatibus oritur, Græciſque σπασμὸς φυσώδης appellatur. Nam etſi maximum dolorem, eum tamen perbrevem, ac non magis hora durabilem exhibet, ſola frictione miteſcentem. Id vitium ſæpe manuum, pedumque digitos, interdum & crura tentat, ſummo ea cruciatu extendens, vel in ſeſe contrahens. Iis autem familiare eſt, qui crapulæ dediti deſidem vitam agunt. Diſtentio nervorum ſemper in pueris, præcipue nuper natis, frequentior, & curatu facilior eſſe conſuevit: quanquam interdum in iis ipſis periculum habet, maligna febre captis. Scilicet poſt ſeptimum ætatis annum, nemo puer diſtentione afficitur nervorum per febrem, niſi hanc acutiſſimam, & malignam.

Opportunus autem dum febricitat, huic morbo is puer eſt, cui alvus diu compreſſa eſt, cui vigilia, & terror, & coloris mala mutatio acceſſerunt. Noviſſe autem oportet, eundem morbum alias uni membro infectum, ut oculo, cuti quæ in fronte eſt, linguæ radici, maxillæ, labris, brachio, manui, cruri, ſed eum graviſſimum in cervicibus eſſe: alias loca omnia capite inferiora obſidere, alias tota corpora convellere. Priora genera duo, τετάνου appellatione Græci comprehendunt, quem Latini rigorem nervorum vocant. Noviſſimum genus in morbo comitiali eſt, ſub quo, quia caput quoque ægrotat, ſimul & mens, & ſenſus vitiantur, fitque non continuata, ut in ſuperioribus afflictio, ſed ex temporum recurrens intervallis. Ergo, quoniam hujuſce morbi obſervationes ſuo loco propoſuimus, recte modo de rigore nervorum agemus. In hoc flecti cervix vel corpus non poteſt, ſed recta intenditur, id τέτανον dicunt: quum in priorem curvatur partem, ſic ut mentum pectori jungatur, tum Græce προσθότονος eſſe dicitur: quum autem in poſteriora convellitur, caputque committitur ſcapulis, ὀπισθότονον vocant. Præter has notas aliæ etiam ſequuntur. Nam facies rubet, atque dolet, maxillæ, ac ſi ligneæ eſſent, obrigeſcunt, os vix patefit, oculi diſtorti illachrymant, riget dorſum, vix contrahuntur crura atque manus, præcipue in tetano. In opiſthotono autem vociferatur etiam æger, & ingentibus doloribus excarnificatur: creſcentibus his exilit e cubili, & magnas nugas dicit: miteſcentibus, melior mens, & tranquillitas redit. Idem pollicem pugno includit, neque crura contrahit, neque manus extendit: interdum etiam

Rigor nervorum.

acce-

accedente morbo, vocis uſum amittit, & omnia ſimilis homini furibundo redditur: ſub quo caſu certum exitium eſt, magiſque, ſi viribus æger caret, & inſudat, & pocula per nares rejicit. Rigor nervorum omnis hominem intra quartum diem tollit, quem ſi is tranſit, convaleſcit. Ubi moritur aliquis, potionem, & ſorbitionem, & pituitam per nares extundit.

Deſtillatio.

Nunc de deſtillatione loquar, quam Græci communi nomine κατάῤῥοον appellant. Leve eſt, e capite humorem in nares labi: pejus, in fauces, & in aſperam arteriam; peſſimum in pulmonem. Si in nares materia fertur, eaque frigida, & ignava eſt: tenuis per has pituita ſtillat, caput leviter dolet, ſed multum grave eſt: ex ſomno oculi caligant, frequentia ſternutamenta ſunt, extima pars narium friget, ſæpe gravedo has intus obſtruit, vocemque offendit. Inter hæc fere urina cruda, atque turbida eſt. Si materia in fauces, & in aſperam arteriam ruit, raucitatem, & tuſſiculam movet. Si in pulmonem, gravem tuſſim, ac ſpirandi difficultatem: atque hinc eam ſputo expurgari intra vigeſimum diem, obſervatione Hippocratis conſtat: quod niſi fit, fere in Anhelationem, quæ Græce ἄσθμα dicitur, tranſit. Porro ſi caloris cauſa ſubeſt, rubet facies, humorque acris, ſalſus, & tenuis deſtillat, vehemens cibi faſtidium eſt, ſonant aures, arteriæ multum moventur in capite: tumque magna ex parte febris oritur, ex qua malum tamen nihil levatur. Sæpe etiam eo tempore proclive periculum inflammationis laterum eſt, quem morbum Græci πλευρίτιν vocant, maxime ſi tum quoque is ipſe paſſim in populum graſſatur. Jam vero ſi in fauces, aſperamque arteriam humor hic decumbit, præter tuſſiculam, & raucitatem, etiam hæc loca exaſperat. Si in pulmonem irruit, præter ſternutamenta, & difficilem tuſſim, adſunt capitis gravitas, ſitis, laſſitudo, æſtus, bilioſa urina. Ut cetera genera deſtillationis fere ſine metu, ſic hoc illud periculoſum eſt, itemque certo peſtiferum, ubi pulmonem exulceravit, unde gravis oritur tabes, quæ hominem ſpatio conſumit.

Hinc tabem vel eſſe, vel inſtare, inter cetera indicat urina oleacea, magiſque id vitium timeri debet, ſi jam vetus deſtillatio corpus tenue, atque procerum tenet. Nonnunquam autem & loca ſepto tranſverſo inſcripta humor impetit, nempe ventriculum, cujus appetentiam concoctionemque ſubvertit, & quæ in eum ingeſta ſunt, corrumpit: nec raro etiam ubi is acris eſt, ventriculi tunicas erodit, atque alvi profluvium movet. Interdum etiam & venas meſenterii, & Colon convellit. Deſtillationibus ii magis expoſiti ſunt, quibus, cum ſubjecto viſcere intemperanter calido, puta corde, vel jecinore, vel renibus, caput natura imbecillum eſt. Idem, quem dixi, morbus ægerrime in ſene matureſcit, itemque in eo cui ſimul continuo caput dolet. Nullum anni tempus æque opportunum deſtillationi, atque autumnale eſt: tum enim varie, ſæpeque cœlum mutatur, quæ res, judice Hippocrate, maxime deſtillationes movet. In eodem morbo, pro valetudine eſt ad nares, vel ad os fluxionem verti.

Suffuſio.

Magnis & variis caſibus oculi noſtri patent. Ex quibus magis in uſum venire medicis conſuerunt ſuffuſio, & lippitudo. Incipiam itaque a ſuffuſione, quam Græci ὑπόχυμα nominaverunt. Viſio paulatim hebeſcit, primumque aſſidue obſervari oculis videntur quaſi puſilli culices, vel muſcæ, vel alia lucentia, caliginoſaque rerum ſimulacra, incerto motu huc illuc acta.

Interdum veluti tenuia quædam filamenta, aut telæ araneorum offeruntur. Aliis lucernam intuentibus, cingere eam tanquam circuli quidam obſcuriores videntur: poſt hæc pupilla turbida eſſe incipit, & tenebroſa, & male ſerena.

Denique pro ſuffuſionis ob pupillam figura, variæ offeruntur rerum imagines: tantiſper autem hæc iſta interpoſito tempore creſcunt, donec craſſeſcente materia, totus aliquis cœcus fiat. Fere autem id vitium, neque incipit ſimul in utroque oculo, neque ſimul, vel ſimili modo cernitur: interdum alterum occupat duntaxat. Semper autem ubi natum eſt, immoratur, aſſiduis rerum ſimulachris oculos illudens. Quibus nominibus ab eo ſuffuſionis differt genere, quod ab ſtomacho proficiſcitur: id enim intermittit, & remittit, ſi curata concoctione proſpectum ſtomacho eſt: invaleſcit autem, vel revertit, ſi is cruditate labefactatur. Quinetiam eodem tempore, eodemque modo ambos afficit oculos, quod ſi quis intuetur, nihil in ſeſe habere obſcuritatis, vel concreti humoris comperiet. Vera oculorum ſuffuſio, ſi longa vetuſtate occupatur, curari non niſi acu poteſt: quod tamen auxilium, niſi eo quoque tempore adhibetur, quo id quod concrevit, ſatis firmum ſit, ut ſubjici acui poſſit, anceps eſſe ſolet. Ergo ſi quid accreſcit, perfrictum diducitur, & ſic manens, iterum non contrahitur: tum ſi æger quoque viſione penitus non caret, ſed quædam etiamnum rerum ſimulachra cernit, itemque ſi malum nondum tertium annum, vel quartum, vel quintum ſuperavit, ſcire licet, nimis recens id eſſe, & acui inidoneum. Propter vetuſtatem autem curationi reluctatur, ſemelque ablatum, protinus recurrit, quod clauſo oculorum altero nullis aut compreſſionibus, aut perfrictionibus dilatur, ſimulque omnem ſemel viſum abſtulit. Ceterum id tuto curari poſſe videatur, quod ubi perfricatur, diducitur, iterumque rediens jungitur, coloremque exhibet obſcure album. Nam quod nigrum, vel lividum, vel vehementer flavum eſt, id neque medicina curari, neque acu poteſt. Porro quæ ſuffuſio oculis propria, nihil unquam concreſcentis materiæ intuentibus exhibet, ſed penitus ſerena eſt: ea perpetuam cœcitatem invehit, nullumque remedio locum præbet.

Lipitudo. Lippitudo autem, Græcis ὀφθαλμία dicta, ſic cognoſcitur. Vehemens oculos urget inflammatio, cum multo dolore, & tenſione, & tumore, & ardore, & rubedine: interdum tanta etiam cum punctione, ut oculi tanquam ab infixa acu, aut ſpina ſtimulari videantur. Iidem fervente lachryma implentur, ſequiturque pituita modo paucior, modo uberior. Sed & ſordes quædam majoribus angulis oculorum inhæreſcunt, & ubi gravius malum eſt, vicina etiam loca ad malas uſque attolluntur, circum circa arteriæ vehementer pulſant, ipſa inflammatio ex oculorum angulis in omnem adhærentem membranam diffuſa eſt. In hac tenues oculorum venæ turgent, conſpicuæque redduntur hæ, quæ per ſanitatem in oculorum albo fuerant obſcuræ. Fere autem quod toto oculo album eſſe debebat, rubeſcit. Hic morbus tum maxime metui ſolet, cum ſecunda valetudine ſæpe tempora dolent, noctuque corpora inſudant, & frons prurit. Principium autem morbi eſſe oſtenditur, quamdiu tenuis ex oculo pituita fertur: ubi ea craſſeſcit, albaque fit, incrementum eſſe: ubi tota craſſa, multaque eſt reddita, perque ſomnum oculos veluti glutine oblinit, veniſſe jam ſtatum ſignificat: declinatio eſt, ubi & pituita, & ſigna morbo propria minuuntur. Optimum autem eſt ſimul & lachrymam, & pituitam, & tumorem eſſe cœpiſſe, ſic ut lachryma non multum calens pituitæ albæ, ac molli permiſta ſit, & tumor levis, non tamen perdurus. Tum namque palpebræ per quietem conglutinantur, neque dolores æque afficiunt vehementer: ipſe morbus tutus, ac minime diuturnus eſt. Quod ſi autem lachryma multa, & fervida eſt, pauciſſimaque pituita, tumor tamen exiguus, vitiumque in altero oculo eſt; ſcire licet, dolore id

at-

atque periculo multo carere, ſed caſurum in vetuſtatem eſſe, neque ſolvi ante vigeſimum diem poſſe, multis ad quadrageſimum uſque durare, quibuſdam etiam ad ipſum extendi ſexageſimum conſueſſe. Itaque tanto ſpatio formidari etiam exulceratio ſolet. In omni autem lippitudine, pituitam, quæ fertur, albam eſſe oportet, & mollem, & lachrymæ perfuſam, maxime ubi in propinquo judicatio eſt. Pituita aridior dolorem quidem abunde movet, ac citius, niſi ſi quid exulceravit, definit. Nullum vero habere periculum tumor magnus ſolet, ſi expers doloris, & ſiccus eſt.

Quum dolorem exhibet, malus eſt, ſi ſiccus eſt, metuſque fit, ne exulceretur oculus, ac concreſcat. Sed & male ſecurus tumor eſt, cui lachryma jungitur, atque dolor. Ubi enim lachryma fertur calida, ac ſalſa, periculum exulcerationis & pupillæ, & palpebris affert. Jam ſi tumor quidem conſedit, at copioſior diu profluit lachryma, ſcire licet, everſionem palpebrarum viris inſtare, fœminis autem, atque pueris etiam, exulcerationem. Lippitudine affectum alvi corripi profluvio, bonum. Si lippientibus caput aſſidue, longoque tempore dolet, futuræ cœcitatis metum denunciat. Interdum lippitudo ex uno oculo in alterum, quadam veluti contagione tranſit, idque ominis non mali eſſe creditum eſt.

Ab oculis ad nares deſcendam. Ex his cruor tanto impetu interdum fertur, ut hominem inanitione exanimet. Tum certe color corporis pallidus fit, aut lividus, aut ſubviridis, extrema vehementer refrigeſcunt, & mortis proximæ nuncia oritur ſyncope. Quibus ſæpe e naribus ſanguis fertur, his fere aut lien tumet, aut caput dolet, aut caligines oculorum, ſuffuſioneſque fiunt. Si pueris ſanguis e naribus fluxit, dein fluere procedente ætate deſiit, neceſſum eſt eos vel gravi articulorum exulceratione affici, vel gravi demum morbo debilitari oportere. Cui fauces ſanguine interdiu, noctuque replentur, ſic ut neque caput, neque præcordia doleant, ſed nec tuſſis, nec vomitus, aut febricula anteceſſerit, hujus in naribus, aut in faucibus ulcus eſt. Sanguinem ex contraria regione erumpere, malum: ut in liene magno, ſi dextra nare emanat: aut in jecinoris inflammatione, ſi ſiniſtra. Sanguinis e naribus fuſio.

Nunc de faucium morbis dicam, primumque de tumore tonſillarum, qui deglutitionis moleſtia plus terroris, quam periculi exhibet. Is tumor intuenti, tangentique intus obvius eſt, moleque ſua impedit, quominus homo potionem, ſalivamque poſſit ſuam devorare. Qualiſcunque hoc loco rubor, aut nullus ardor eſt. Sæpe hic tumor inflammationem adſciſcit, tumque dolor & ardor, & major rubor, & ſitis, quorum nihil in ſuperiore vitio animadvertitur, adſunt. Facta, ruptaque ſuppuratione, materia in fauces fertur, oriturque ulcus ſordidum, cujus putri nidore ipſe quoque ſpiritus fœtet. Tonſillæ.

Columella etiam, ubi vel laxatur, vel (quod rarum eſt) inflammatur, animadverſione non indigna eſt. Ea e palati extremo propendet, inque fauces, & gulæ caput fertur. Itaque hæc loca titillatione quadam afficit, metuque præfocationis ſollicitat. Creſcente inflammatione, ima ejus pars grandeſcit, ſumma tenuis eſt, tumque malo Hippocrates τῆς σταφυλῆς, id eſt, uvæ nomen dedit. Raro his morbus, ſi protinus ab initio tecte curari cœpit, hominem tollit. Columellam ita, ut dixi, tumidam, & rubentem, magno periculo incidi, Hippocrates ſcripſit: gravior enim hinc inflammatio, & ſanguinis profuſio ſequuntur, maxime ſi ſuccis plenum corpus eſt. Quibus præfecta eſt Columella, his pulmo facile læditur, fereque eos homines tabes perdit.

Proximum eſt, obſervationes anginæ, quam Græci συνάγχην dixerunt, pro- Angina.

proponere. Sub hoc malo fauces, id eſt, extremæ gutturis, gulæque partes, quibus cibus, ſpirituſque introfertur, inflammantur: fit ſpiritus hoc nomine difficilis, moleſtaque deglutitio, ſic ut interdum ſumta pocula per nares reſiliant: accedit autem acutiſſimus dolor, tumor, rubor, calor, & febris, aeriſque frigidi cupida attractio. Leviſſimum malum eſt, ubi tumor tantummodo, & rubor in ſola cervice, ejuſque muſculis inſunt, cetera non ſequuntur. Eo gravius eſt, tum in hiſce locis, tum in faucibus interioribus, tumorem, calorem, ruborem, doloremque verſari. Pene graviſſimum eſt, foris nihil horum eſſe, omnemque morbum intus conſiſtere, ubique (valide depreſſa lingua) ſpeciem ruboris, tumoriſque eſſe, ſemper aut vehementiſſimum dolorem, ac ſummum ſtrangulatus metum accedere. Porro mortifera eſt, atque omnium horrendiſſima angina, citiſſimeque incidit, & necat, quæ neque in cervice, neque in faucibus quicquam conſpicui vel tumoris, vel ruboris exhibet, ſimulque ſummi doloris tormentum, & vehementem febrem, atque tantum non præſentem ſuffocationem infert. Tum profecto oculi vertuntur, & rubent, & veluti iis qui ſtrangulantur prominent: vox impedita nihil ſignificat, & qualis catulorum eſt, tenuis editur: os apertum hiat, frigidi aeris cupidum, ex eoque ſpumans ſaliva movetur: lingua exeritur, crebroque, ut in anhelis propter laboris impetum equis, agitatur: potui datus liquor per nares remeat: labra liveſcunt: cervices rigidæ contractæque ſunt: ipſe æger totus inquietus eſt, crebro e cubili exilit, moleſte ſupra dorſum, commodius recto collo atque capite cubat; videt, auditque obtuſe, & præ ſuffocatione non intelligit quid audiat, quid dicat, aut gerat: tandem vero ſtrangulatu, atque ſyncope oppreſſus, perit: id quod horis a cœpto morbo octodecim, integra mente atque ſenſu quibuſdam accidiſſe, doctorum virorum obſervatione conſtat. Semper autem ſub hoc caſu, mors vel primo die, vel ſecundo, vel ad ſummum quarto occupat. Salutis in angina ſignum facilis ſpiritus eſt, faciliſque ſalivæ, ac potionis deglutitio, febris non vehemens, quies, ſomnus, levamentum doloris, ceteraque iis contraria, quæ ſuperius comprehenſa ſunt. Æque bonum ſignum eſt, ruborem, tumoremque quam maxime foris in collo, & in pectore conſiſtere. Tum namque extra ferri morbum ſciendum eſt. Pernicioſum autem eſt, tumores ſine bonis ſignis, ſine manifeſta cauſa deſiiſſe, itemque præcordii dolorem ſine judicatione ſub infirmis viribus, atque corporis torpore coortum eſſe: ſiquidem tum latenter mors adoritur, tametſi perquam recte habere ſe æger exiſtimet. Omnia autem in eodem morbo peſtifera ſunt, quæ non manifeſtum dolorem exhibent, neque in collo (ut modo propoſui) neque in faucibus evidentem tumorem. Si autem tumor, atque faucium rubor eſt, ingens quoque periculum oſtenditur: ſed morbus longior erit, utique ſi major rubor eſt. Morbus quoque producitur, ubi & fauces, & cervix, & pectus ſimul rubent: quem caſum fere ſecunda valetudo ſequitur, modo rubores non intro recurrant, id quod tum metuendum eſt, cum ſubito hi evaneſcunt, ſimulque pectus grave fit, ac difficiliorem homo habere ſpiritum incipit. Tum profecto malum ad pulmonem vertitur, & delirium movet, & pulſum facit undoſum, intraque ſeptimum diem occidit, aut certe aliqua parte ſuppurat, niſi ſubinde pituita tuſſi educatur. Suppuratio autem pectoris ex prægreſſa angina ita noſcitur. Faucium dolor ſine certa ratione ſubito deſiit, febriſque multum remiſſa eſt, inſolita gravitas pectori juxta ſeptum tranſverſum acceſſit, vehemens etiam tuſſis, ac fere per omnia ſine

ſpu-

ſputo ſicca eſt: Aliud genus oritur febris inordinatum, languidum, atque hecticum. Jam autem cum in angina repente evaneſcit rubor, idque die non judiciali, ac neque tumor extra vertitur, neque pus tuſſi exſcreatur, æger autem quietus, ac ſine dolore eſſe cernitur, ſcire licet aut mortem inſtare, aut reverſurum ruborem eſſe. Periculoſum etiam eſt, non cito concocta exſcreari, ſputumque violenter educi, idque viſcoſum, craſſum, vel valde album eſſe. Æque malum eſt ſubaridum, multumque tuſſim, ac lateris dolorem movens, & quod inter potandum per tuſſim ſubemergit. Angina omnis, per judicationem alterius morbi orta, lethalis eſt. Obſervatur autem & aliud eſſe genus anginæ, quam notham dicimus, neque acutorum accenſemus numero morborum. Ea frigidum humorem ſecuta, febris eſt expers, nullum autem neque ruborem, neque ardorem, aut febrem, aliquem tamen dolorem exhibet. Illud vitium, ut longius, ſic & tutius eſſe conſuevit. Angina notha.

Vulneratis cerebri membranis, ſequitur bilis vomitus, & dolor incidit non levis, qui intento ſpiritu, & adductis maxillis creſcit. Ipſæ cruorem nares, & interdum aures fundunt: aliis trux vultus, aliis oculi, quaſi roſoluti huc illuc moventur, ſenſuſque omnis, velut attonitus, ſtupet: nec parum multis, nervorum accidit diſtentio. Accedente poſt hæc inflammatione, febris oritur, itemque delirium, ſub quo multi faſcias, quibus deligatum eſt caput, lacerent, & nudum vulnus frigori exponunt, omnia citæ mortis præſagia. Ipſo autem percuſſo quoque cerebro (quod facilius plena incidit luna) hæc ipſa, quæ propoſuimus, graviora ſunt omnia, orituque ingens delirium, vel tertio, vel quinto die. Quin etiam ipſius interdum excidit cerebri particula. Quod ſi ad hujus quoque partis ventriculos telum, maximeque per transfoſſos oculos penetravit, protinus homo vitam amittit. Nemo eorum quibus vulneratum cerebrum eſt, redire ad ſanitatem poteſt. Ubi aliis partibus caput ictum eſt, optimum judicatur febrem non eſſe, neque auribus cruorem, vel naribus, vel ore promanaſſe, neque inflammationem, neque ullum ſimul dolorem acceſſiſſe. Si autem quid horum inciderit, tutiſſimum eſt inter ipſa incidere initia, neque diu tamen immorari. Conducit etiam ſub acutis doloribus inflammationes apparere, & pus in ſanguinis eruptionibus ferri. Ceterum peſſimum eſt ſtuporem, aut delirium acceſſiſſe: itemque lethale, febrem die quarto, aut ſeptimo, aut undecimo eſſe cœpiſſe. Itaque pereunt plerique omnes, ſi quarto die febris orta eſt, ad undecimum; ſi ſeptimo, ad decimum quartum, aut ad decimum ſeptimum; ſi undecimo, ad vigeſimum. Vulnera membranarum.

Obſervationes in vitiis pectoris, & cordis utiles.

PEctus lateribus cingitur, intus pulmo atque cor ſunt. In his varia genera morborum fiunt, quæ nunc proponam. Incipiam autem a laterum inflammatione, quam Græci πλευῖτιν dixerunt. Ea has notas habet: Pungens atque diſtendens dolor latus exercet, iſque modo ad jugulum, & ad claviculam, modo ad præcordia, pro ſitu morbi, procurrit: febris adeſt acuta, & continua: & ſpiritus difficilis, frequens & parvus: accedit etiam tuſſis, initio quidem ſicca, qua nihil expectoratur, ſed mox fere humida ea fit, ex locoque affecto ducere aliquid incipit. Id primo flave coloratum, poſtea rubrum, ac cruentem, dein maturata inflammatione, purulentum eſt. Pulſus autem frequens eſt, & inæqualis, durus, tenſus, neque nimis magnus. Hunc morbum (ut ſi quid aliud) ſpu- Πλευῖτις

ſputa bona cito, facileque rejecta, & ſalubrem fore, & brevem oſtendunt. Itaque eſſe id malum in principio ſtatuitur, dum nihil exſcreatur de latere affecto: ſed tenuis ſolummodo e pulmone pituita, vel craſſum quid, & tenax, & rotundum, idque cum difficillima tuſſi fertur.

Incrementum morbi dicitur, ubi ſputum jam utcunque concoqui cœpit, majorique copia, & facilius flavum educi, & ex liquido magis craſſeſcere, & ex cruento magis album fieri.

Status autem ex plurimo cognoſcitur ſputo, eoque albo, & æquabili, quod & prompte rejiciatur, & maxime dolorem levet. Declinatio deficiente dolore, & ſputo, & febri, ſimilibuſque aliis animadvertitur. Sed ſputi ubique intueri notas oportet. Optimum enim id eſſe judicamus, quod modo in ſtatu eſſe hujus morbi propoſitum eſt. Proximum eſt id, quod ſtatim flavo admodum miſtum eſt. Quod ſi non protinus, at longe poſt dolorem educitur flavum, vel non miſtum, multamque tuſſim movens, malum eſt. Flavum autem ſanguine miſtum non multo, in principio quidem ſalutare eſt, ſeptimo vero die, aut poſt, minus tutum. Subcruentum ab initio malum non eſt. Sincerum autem, vel cruentum, vel flavum, periculoſum eſt, ſic ut hoc tamen deterius illo ſit. Malum id etiam ex cruda pituita album: tum viſcoſum quoque & rotundum inutile eſt. Eo deterius eſt id quod ex virore valde pallidum eſt, itemque quod ſpumoſum, & quod lividum, vel æruginoſum eſt. Muſcoſum autem, quod ad concoctionem cito colatur, idque intra quintum diem, tutius eſt. Vehementer autem cruentum periculoſum eſt. Sic autem ſe res habet. Omne ſputum quanto magis commiſtos, non inter ſe deductos colores habet, tanto deterius eſt; & tamen nihil pejus eſt, quam ſincerum id exſcreari, ſive flavum eſt, ſive cruentum, ſive glutinoſum, ſive ſpumans. Quod ſi ita meracum eſt, ut etiam nigrum ſit, præcipueque ſi una etiam fœtidum, hoc ipſum omnium peſſimum eſt.

Omnia vero mala ſputa ſunt, quæ dolorem non ſedant: optima, quæ ſedant. Quicunque incipiente hoc morbo ſputum exſcreat omnino purulentum, is tertia die, aut quinta perit: quod ſpatium ſi tranſit, haud multo melius valens ſeptima die, aut nona, aut certe undecima, incidere in ſuppurationem poteſt: Etſi perquam raro obſervatum eſt, quenquam ſupra diem duraſſe quartum decimum, qui purulenta ſeptimo, aut ante ſpuerit. In omni lateris inflammatione, dolores magis fere interdiu, quam noctu leviores ſunt. Eundem morbum in nervorum rigorem, vel diſtentionem (illum τέτανον dicunt, hanc σπασμὸν) verti, peſtiferum eſt: æque ut in pulmonis inflammationem, quæ Græce περιπνευμονία vocatur. Ad cerebrum etiam aſpirare materiam, ibique delirium, amentiamque facere, mortiferum eſt. Idem exitium denunciatur, ſi morbus dorſo inhæreſcit. Tum autem rigor invadit, & febris, & moleſtiſſima tuſſis, ipſum dorſum, tanquam illata plaga verberatum, dolet, cumulataque fit cum ſuſpirio reſpiratio: pauca autem tuſſiendo eliduntur, modo ex virore pallida, modo etiam ſubcruenta: dolor in inguina incidit: tertio quartove die urina mejitur cruenta, totum corpus velut ex itinere laſſum eſt: mors occupat die quinto, aut certe ſeptimo: quem diem ſi morbus (quod tamen raro fit) ſuperat, ſaneſcit. Lateris inflammatio omnis ſenibus, & fœminis uterum ferentibus perniciosa eſt, itemque iis quibus ſecundo jam, tertiove recurrit. Occidit autem hic morbus, aut magnis ſymptomatis, aut præfocatione, aut materiæ translatione ad alium locum, unde inflammatio pulmonis, tabes,

bes, ſyncope, inſania. Dixi ſub quibus caſibus certum exitium eſt: nunc, in quibus grave periculum vertitur, proponam. Ergo ſi ſputum multum intus in pectore ſtrepit, & triſtior vultus eſt, oculi colore auriginis imbuti, ingens eſſe vitæ diſcrimen ſignificatur. Periculoſum quoque eſt nihil exſpui, neque quicquam a pulmone extundi, ſed plenum fervere in gutture. Æque malum eſt hominem ante probe ſpuiſſe, ac deinde ex toto ſpuere deſiiſſe, ſic ut ſubinde neque gravitas in pectore, neque dolor ceſſent. Metum quoque non levem facit pectus vehementer calens, extremis multum frigentibus, itemque increſcens dolor, cum in latus vel infirmum, vel ſanum cubatur, ſic ut ſupinum eſſe ægrum neceſſe ſit: adhæc longe poſt morbi principia infirmis jam viribus fuſa alvus, ex qua non corporis inquietudo, non ipſe ſpiritus levetur.

Æque grave diſcrimen eſt, ſi morbus dolores ſuperne exhibet, aut in poſteriorem corporis partem, aut ſi ſiccus is, & ſine ſputo eſt: niſi ipſe tamen per ſe levis ſit, ut parum materiæ videatur expurgandæ. In ſiniſtro etiam latere plus periculi quam in dextro habet: verum in ſiniſtro citius matureſcit, & ſolvitur. Omne vero morbi hujus periculum, fere maximum eſſe, vel ſeptimo die, vel nono ſolet. Atque hæc omnia terrere aliquo periculi metu poſſunt. At ſecuritatis indicia ſunt, protinus a primo die facile exſpuiſſe, & flavum ſputo miſtum eſſe, eoque dolorem levari, non ægre hominem ferre morbum, facile reſpirare, ac ſine ſiti eſſe, itemque ſtrepitum in pectore non fieri: adhæc ſomnum, ſudorem, urinas, alvumque probe habere: totum denique corpus æquali calore temperatum, ac molle eſſe.

Ubi hujus morbi dolores non conquieſcunt, neque miſſo ſanguine, neque ſputorum exſcreatione, neque victu, neque fomento, aut medicamentis; & tamen non lethaliter affectus æger videtur: ſcire licet ſuppurationem, ſeu abſceſſum fieri. Qui caſus certiſſimus fuerit, ſi intra dies quatuordecim morbus ſputo non depurgetur. Orta autem ſuppuratione, ſi ea poſt ruptionem omnis intra dies quadraginta exſcreationibus tollitur, ſanitas redit: ſi non tollitur, tabes ſequitur. Quæ vero ſuppuratio ſputo etiamnum bilioſo orta eſt, ſive id ſincere bilioſum, ſive una cum pure eſt, majus periculum minatur, præcipue ſi, quum ſeptimum jam diem morbus attigit, ſuppuratio ab hujuſmodi fieri ſputo cœpit. Metus enim eſt (niſi quid ſubinde intervenerit boni) mortem die decimo-quarto ſecuturam. Verum operæ pretium videatur, notas, quibus incipere ſuppurationem quis intelligat, proponere. Nihil, aut certe parum tuſſi, cujus magna tamen cupiditas eſt, exſcreatur, ſimulque febris, & cum nova, inſolitaque gravitate, dolores acrius urgent, idque cum alias ſemper, tum maxime per noctem: ſpiritus etiam admodum difficilis eſt; venæ ſub lingua inalbeſcunt; malæ rubent; perit cibi cupiditas; creſcit potionis deſiderium; vigilia exercet; juxta claviculam & collum ſudores fiunt. Quod ſi forte malum in vetuſtatem incidit, oculi etiam cavi reddantur, & in manibus adunci ungues, ſummique digiti refrigeſcunt: multis denique ſudor toto corpore oritur, & in pedibus tumor. Quod ſuppurat ea quam afficit parte, inflammationem, doloremque movet, multoque quam proxima loca, calidius eſt: & ſi in partem aliquis non infirmam decubuit, onerare ægrum, veluti pondere videtur. Confecto jam pure, paulum quid & febris, & dolor remittunt, ſæpe etiam, prout ſenſus judicat, deſinunt: verum gravitas loci increſcit, tuſſis vehemens, ſiccaque eſt, etſi ad hanc interdum humidum quid accedit, ex quo levari ſubine homo videtur.

At

At vere ubi jam turgens abſceſſus perrumpit, horror fit, ac vehementior febris, cor intremeſcit, hominiſque robur quaſi labi videtur, ſpiritus trahitur, ipſeque æger in ſermone conturbatur, offenſus inſpiratione: pulſuſque debilis fit, & tardus, & rarus. Sed ne hæc quidem, etſi horrenda videntur, terrere protinus debent, dummodo cauſa perrumpentis abſceſſus, non virium radicitus afflictarum contingant: utique ſi ſigna quoque in ſputo & ſimilibus cernuntur bona. Fere enim ſequitur, ut hæc iſta turba paulo poſt ultro quieſcat. Quo autem temporis articulo abſceſſus rumpitur, tum transfluere aliquid profundo in pectore, prout varie corpus reclinatur, apparet, atque hinc pus educitur modo purum, modo fæculentum. Ruptiones raro fiunt decimo-quarto poſt cœptam ſuppurationem die, rariſſime ſeptimo, plurimæ in vigeſimum incidunt, aliæ ad quadrageſimum, nonnullæ ad ſexageſimum etiam perveniunt. Supputandum autem ab eo die eſt, quo quis gravitatem loci affecti pro dolore ſenſit, ceteraque ſuppurationis habere ſigna cœpit. Hæc ſigna (inter quæ præcipua potentiſſimaque, febris eſt, & poſt hanc ſpiritus difficilis, & dolores) quo plus exhibent afflictionis, hoc eruptio fuerit celerior, quo illa mitiore ſunt, eo hæc ipſa fuerit tardior. Itaque fere ſequitur, ut ſi ab ipſo principio vehementior tum dolor, tum tuſſis, tum ſpiritus difficultas fuit, abſceſſus circa diem vigeſimum, vel ante erumpat. Raro quidem, at interdum tamen, abſceſſus tum lateris, per inteſtina & alvum, tum pulmonis, per veſicam cum urinis expurgari viſus eſt. Sæpiſſime autem, ac tantum non perpetuo, ſeſe inane exonerat pectoris ſpatium, ex quo materia intra diem quadrageſimum tuſſi rejicitur: quod ni fit, tabes, ut proxime dixi, ſuccedit. Ex rupto abſceſſu maxime ſine metu eſt is, cui febris, eodem quo ruptio facta eſt die conquieſcit, ægerque appetere cibum incipit, & venter mollia, compacta, ac probe figurata reddit, & pus facile educitur, album, leve, inodorum, & ejuſdem per omnia coloris, & pituitæ omnis expers. Contra vero is perit, quem febris non defecit, aut quem, cum ſemel ea defeciſſe viſa eſt, iterum creſcens invadit: item cui cibi cupiditas amiſſa eſt, ſitis manet, alvuſque ex toto liquida eſt, & pus extuſſitur ex virore pallidum, vel lividum, vel pituitoſum, vel ſpumans. Quodcunque pus ſub imbecillis viribus copioſum eſt. Æque metuendum id quoque fuerit, quo ſpecillum, veluti ab igne, coloratur. Atque hactenus veram lateris inflammationem ſecuti ſumus, quæ ex ſanguine, eoque potiſſimum bilioſo inter coſtas, & has ſuccingentem membranam, aut certe in muſculis intercoſtalibus orta eſt. Verum non ut hæc, genuina, ſed notha eſt ea πλευῖτις, quæ vel ex deſtillatione, vel ex flatibus, vel alioqui, etſi vera inflammatio quoque ut prima eſt, muſculos tamen occupat pectoris exteriores. In hoc morbi genere omnia inſunt mitiora, quam in vera lateris inflammatione. Verum dolor externa compreſſione ingraveſcit, moleſte æger in partem ſanam decumbit, in affectam facilius: pulſus, quamquam frequens, & inæqualis, nequaquam tamen (quia non afficitur membrana) aut tenſus, aut durus eſt. Porro dolor lateris acutus, tum ex deſtillatione pituitæ, tum ex flatibus, quantum in ſe eſt, febre caret, Flatus immaniſſimi doloris tormentum excitat, quod tamen fomentis, atque frictionibus levatur, & ſæpius etiam diſcutitur. Is dolor non uni inhæret loco, ſed fere huc illuc per latus vagatur. Ubi autem deſtillatio humoris frigidi cauſam morbi dedit, evidens cauſa prægreſſa eſt. Nam primum cervices, vel ſcapulæ doluerunt, hinc materia ad pectoris externos muſculos delata ibi dolorem, quidem dico lateris, movet, qui & preſſu creſcit,

Pleuritis notha.

ſcit, neque, ut is qui ex flatu eſt, fomentis auſcultat. Non raro autem obſervatum eſt, ex his quos fieri dixi, tum ex deſtillatione, tum ex flatu doloribus, ſi nimium vel graves, vel diuturni ſunt, ortam etiam veram lateris inflammationem eſſe. Dolere quoque latus tumidi vel jecinoris, vel lienis cauſa poteſt, horum ſcilicet viscerum pondere membranis retractis. Sed hæc vitia propriis ſignis ſuo loco diſcernenda, æſtimandaque ſunt.

A coſtis ad pulmones veniam. Horum inflammatio Græcis περιπνευμονία dicta eſt, quæ his notis cognoſcitur. Febris continua, atque acuta eſt, difficilis ſpiritus, frequens, & calidus, itemque tuſſis, & præcordiorum totiuſque pectoris gravitas, atque diſtentio, idque ſæpiſſime ſine dolore: malæ cum tumore rubent, in has ſubinde quidam veluti igneus fervor aſpirare ab inferiore corpore videtur: nares autem ſimæ in ſummo ſunt; venæ temporum grandeſcunt; oculi eminent; lingua ſicca eſt, prius ex flavo rubeſcens, dein procedente morbo, craſſa, nigraque redditur, tandem etiam finditur, digitoque admoto adhæreſcit; aliquis etiam medio ſpatio ſcapularum dolor verſatur; ingens cibi faſtidium, frigidique tum fontis, tum aeris hauriendi cupiditas eſt; pulſus undoſus, mollis, magnus, celer, raro bis pulſans, ſæpe intermittens, & intercurrens eſt. Si quid tuſſi rejicitur, ſpumoſum id eſt, ac modo cruentum, modo flavum. Ipſe æger lubenter ſupinus cubat: nam in latus reclinatus, quaſi enecari præfocatione videtur. Ubi gravius malum eſt, continua oritur vigilia, ſimulque ſoporoſi, ſed tamen breves ſomni tenent, ſputum admodum cruentum, ac floridum ſequitur, incipiunt frigere extrema, ungueſque lividi curvique fieri. Sub hoc caſu, ſi ſanguis e naribus ubertim fluit, ac fuſus venter multa bilioſa, & ſpumoſa reddit, exſpectari bona valetudo poteſt: ſin minus, non poteſt. Quarto enim die, aut ad ſummum ſeptimo, certa mors venit. Fere autem quæ in lateris, eadem & in pulmonis inflammatione, & mitiora eſſe ſigna, & graviora ſolent. Morbus tamen pulmonis plus periculi, quam doloris habet: utque alias ſemper, ſic tum potiſſimum lethalis eſt, cum inſaniam movit. Idem ſi natus ex angina eſt, fere intra diem ſeptimum occidit, aut tranſit in tabem. Deſtillationes autem, & ſternutamenta, tum anteceſſiſſe morbum hunc, tum ſecuta eſſe, periculoſum eſt, multoque magis ſi ſubita inter hæc acceſſerit dejectio. Erectum ſedere ægrum cupere, atque decubitum omnem odiſſe, ut in acutis morbis malum, ſic peſſimum in inflammatione pulmonis & lateris eſt. At vero tutius eſſe malum judicatur, quod expeditam per ſputa non mala purgationem habet. Neque inter initia terreri oportet, ſi protinus ſputum ruſſo quodam, & ſanguine imbutum eſt, dummodo ſtatim id exſcreetur. Quinetiam ſi ſputo ipſe levatur dolor, quamvis id purulentum eſt, æger tamen facile ſpirat, facile exſcreat, morbum ipſum facile ſuſtinet, poteſt ei ſecunda valetudo contingere. In eodem modo ſi abſceſſus pone aures oritur, & ad ſuppurationem, maturitatemque pervenit, aut ſi idem inferioribus locis corporis enaſcitur, & in fiſtulam abit, ſpes eſſe multa vitæ debet. Jam vero ubi ſputum pro ratione non prodit, & febris dolorque manent, neque alvus bilem multam profudit, neque urina multa cum multo ſedimento micta eſt, & nullæ tamen exitii notæ ſunt, ſcire licet morbum ſuppurare. Ex quo caſu homo ſervatur, ſi (quod raro fit) transſumta in venas materia, per urinas, aut per alvum exturbatur, aut ſi (quod ſæpius incidit) diſrupto abſceſſu, pus in pectoris cadit ſpatium, indeque totum quadraginta diebus expectoratur. Hujuſmodi depurgatio niſi fit, alterutrum ſequi neceſſe

ceſſe eſt: aut ut exulcerato pulmone tabes occupet, aut ut pure acervatim in ſpiritus inſtrumenta ruente, protinus homo præfocetur: quod ubi incidit, ſemper æger difficilius indies ſpirat, tractoque ſpiritu ſtertit, tandem autem obturatur a ſputo, & moritur. Quod ſi abſceſſus ne multo quidem diſrumpi tempore poſſit, ſive ſponte, ſive ope medica; conſumitur profecto æger, vehementibus doloribus, nutritionis defectu, tuſſi & febre debilitatus. Æque vero etiam perit, ſi cum ſic extenuatus aliquis eſt, abſceſſus in lectum reclinato erumpit. Jam vero ſi id quod ſuppurat erumpit quam citiſſime, ex toto maturum, & plurima ſui parte ad ſeptum transverſum effunditur, protinus levatus eſſe æger videtur. Atque hinc ſane, ubi totum tuſſi rejicitur, ipſeque in quo pus erat ventriculus reſiccatus ſaneſcit, ipſe æger imbecillus non exſcreat: ſcire licet certo hunc ipſum periturum. Itaque tum etiam ſi uſtus vel ſectus fuit, pro tempore quidem moderatius habet, at nihilominus tamen interpoſito ſpatio exſtinguitur. Suppurationes a morbis pulmonum ortæ fere ſenes tollunt, aliæ juniores.

Ερυσίπελας pulmonis.

Eryſipelate etiam capi pulmo ſolet. Tum febris oritur longe ardentiſſima, dolorque ante, & retro acutus, maxime circa ſpinam, tametſi pectus non æque grave & anguſtum eſt: ſpiritus erecta cervice trahitur, & præ ardore æger, veluti equus a curſu, nares expandit, & linguam ut æſtuans canis exerit: vomitus fit modo ſubcruentus, modo lividus, idemque alias bilem, & pituitam trahit: adeſt etiam frequens (quod familiariſſimum hujus morbi ſignum eſt) animi defectio: tuſſis vel ſicca eſt, vel flavum ſputum trahit non multo imbutum ſanguine. Illud malum citiſſime ac fere ſemper hominem tollit. Evadere aliquis poteſt, ſi deſertis interioribus, foras verſum Eryſipelas eſt.

Non omittendum autem id vitium pulmonis eſt, quod ex tenui, acri, multaque deſtillatione e capite confectum & in hunc ipſum illapſa oritur. Scilicet hinc multus ardor, & febris excitatur, quæ febris, quia lenta eſt, paulatim hominem conſumit. Ad hanc & tuſſis & ſpiritus difficilis accedunt, ſic ut nullum tamen vel ulcus pulmonis, vel ſputum cruentum adſit.

Crudum pulmonis tuberculum.

Interdum etiam crudo tuberculo pulmo impeditur. Initio dolor exilis eſt, tuſſis ſicca, cum magna inſpiratione, ſubdifficilique ſpiritu, calores item oriuntur, doloreſque obſcuri ante & retro fiunt. Ferre autem eadem hic quæ in Aſtmate ſigna apparent, niſi quod crudum tuberculum pulmonis ſenſim creſcit, non prægreſſa deſtillationis alicujus nota, quodque ſub hoc ipſo difficilis reſpiratio ſine ullo ſtertore, ac ſibilo eſt. Si altius intra pulmonem id vitium inſedit, pulſum exhibet varium, inæqualem, intermittentem, vel etiam interciſum, qualis in Antipatro medico fuit. Tum certe non ſine cauſa (quia vitium levibus arteriis inhæreſcens propius ad cor acceſſit) animi quædam defectio, & palpitatio cordis incidere conſueverunt. Itaque mortiferum eſſe id malum, ubi ita promovit, ſolet. Exſpectari autem ſalus poteſt, ſi aſperis inſidet vitium arteriis, citoque matureſcit, & erumpit, ſimulque pure exſcreato univerſo, penitus reſiccatus, quo id tenebatur, ventriculus ſine ulcere manet. Quæ omnia ni fiant interpoſito ſpatio, conſumtus homo perit.

Vomica pulmonis.

Occultum profecto vitium, & quod ſæpe fiducia ſecundæ valetudinis fallit, vomica pulmonis eſt. Hanc abſceſſum dicimus exiguum, aliqua in pulmonis parte inhæreſcentem, atque arcte membranula clauſum ſua. Id malum tabidos maxime exercet, & eos, quibus patefacta, aut rupta in pulmonibus vena eſt. Spiritus autem, multo ante quam rumpitur vomica, male olet: interdum cruor extuſſitur, ſemper grave corpus eſt, &

tuſ-

tuſſis difficilis diu multumque tenet, quam nonnunquam ipſius etiam ſequitur vomicæ expectoratio: quod ubi fit, febris corripit non levis, ſputumque ſequitur cruentum, & ingens corporis perturbatio: quem caſum ſequi etiam bona valetudo poteſt. Non raro, vomica, ubi ſubito diſrupta & in cordis arcem lapſa, celerem inopinatumque exitium attulit,

Varii caſus, variaque pericula fieri a ſanguinis ſputo poſſunt (quod vitium Græcis ἁιμόπτυσις appellatur) utique ſi e pulmone aut pectore ſanguis fertur. Itaque videre oportet, anne is aliunde etiam ducatur. Ergo a capite hunc deſcendere credendum eſt, ubi titillatio in palato, frequenſque ſcreatus eſt, ubi tuſſiendi quidem cupiditas, ſine multa tamen tuſſi eſt, ipſo cruore ad guttur illapſo, iterumque ſurſum ſcreatu per os rejecto: ſi quidem is ſeſe in linguam protinus infert rotundus, ſubniger, ac ſatis multus, itemque lenis cum pure & pituita miſtus, cujus ſubinde pars per nares emungitur muco delibuta: magna autem ex parte, capitis dolor, aut gravitas, ubi deſtillantem inde cruorem anteceſſit, levatio ſecuta eſt. Ceterum, qui ex faucibus & gurgulione ſanguis fertur, is ſcreatu pellitur; qui ex ipſo ore, ſimplici ſputatione; qui ex ventriculo, vomitu; qui ex gutture, tuſſicula; qui ex thorace & pulmone, valida tuſſi: ubi de ventriculi teritur ſubſtantia, non multus vomitur. Abundantior eſſe is ſolet, qui ex jecinore, aut liene deductus in ventriculum eſt, tumque ſpumare etiam, ſi horum aliquod viſcerum inflammatione obſidetur, conſuevit: eſtque is caſus tum hic, tum in quavis acuta febre lethalis. Jam ſi ſanguis ſpumans tenuis, ac floridus, ex intervallo per tuſſim ſine dolore educitur, hunc profecto e pulmone ferri ſciendum eſt. Quod ſi factum a diſrupta vena, præcipue grandiori fuit, ubertim ſanguis quaſi vomitu quodam prorumpit, adeo, ut interdum pelves etiam impleſſe viſus ſit. Magna ſane pericula hic caſus affert, vel enim nimia exanimare profuſione hominem poteſt: vel ubi intus cohibetur, etiam præfocare, nimiaque mole cor opprimens, inducta ſyncopa ſubito occidere. Et ut quam maxime hæc abſint, vitaque maneat, graviſſima tamen ulcera (niſi mature ſuccurritur) & inſanabilia in pulmone facit. Quamquam recens ruptio non poſſe ſaneſcere videatur: compertum eſt tamen, fuiſſe ſervatos non paucos, quibus adhibita curatio primo triduo fuit. Verum ubi vetus malum eſt, medicina omnis inanis eſt. Minus cruentæ profuſionis, minuſque periculi ruptio parvæ venæ exhibet. Ubi ab eroſione contractum vitium eſt, ejus evidentes cauſæ, atque notæ ante fuerunt: acris ſcilicet deſtillatio, febris, ſputum purulentum, aut aquæ perſimile, qua caro animantium, quæ recenter ſunt mactatæ, abluta eſt: his accedit, quod ipſius etiam pulmonis putrefacta particula ſubinde tuſſi redditur: ipſe ſanguis paulatim ſputo miſcetur, iſque exiguus eſt, pulmonis exeſis carnibus, at uberior eroſa ejus vena, quæ ſi, ut modo propoſui, grandis eſt, abundantiſſimus ſequi cruor ſolet. Eodem tempore quod exſpuitur, id parvi & coloris, & odoris eſt. Magnam intus eſſe eroſionem ſic licet animadvertere. Superioribus temporibus ſanguis particulatim modicis intervallis extuſſitur, ſequentibus hinc diebus cumulatior venit, ſic ut neque caſus aliquis, neque ſuperfluus aut curſus, aut quid aliud externæ acceſſerit injuriæ. Porro cum neque eroſa, neque exeſa pulmonis vena, ſed recluſa (Græci id ἀναῤῥόμωσιν vocant) ſanguis fertur; is certe initio paucus reiicitur (quod diſrupta vena non fit) idemque ſpiſſior eſt ac magis rubeus, quam qui a pulmonis vulnerata ſubſtantia, aut exeſa proficiſcitur. Siquidem hic tenuis eſt, ſubflavus, floridus, ſpumoſus, atque ei qui arteriis ineſt ſimillimus. Fere autem ſic incidit, ut patefactam venam repletio corporis

Sanguinis ſputum.

poris atque gravitas anteceſſerit, nullus comitetur dolor, agilitas effuſo cruore ſequatur. Etenim hæc vacuatio ſæpe fœminis, quæ compreſſis menſtruis ægrotabant, levamen, auxiliumque mali attulit, ſine ullo vel ulceris, vel tabis metu. Sanguis, quem pulmo fundit, omnis ſpumam, ut proxime dixi, habet, & ſicuti multa tuſſi, ita nullo dolore effertur. Qui ab aſpera ducitur arteria, etſi interdum etiam ſpumat, dolore tamen non caret, idemque exiguus eſt, & parva tuſſi, mojoreque ſcreatu pellitur. Multa ac vehemens tuſſis eſt, ſi ſanguis e locis trahitur pectoris profundioribus, ut in lateris & pulmonis inflammatione: minor autem, ſi a ſuperis. Jam etiam qui a ſubſtantia pectoris ſanguis venit, ſubniger eſt, craſſus, & grumoſus cum paucula ſpuma, iſque non abundanter, at ſenſim vehementi ſollicitatus tuſſi prodit: ipſe locus qui afficitur dolorem habet, qui dolor per ſomnum etiam increſcit. Minus iſte caſus periculorum, quam cruor a pulmone redditus, habet. Expeditior enim ſanatio eſt, quæ ſi non fit, ulcus inde non æque maligno naſcitur: quod ipſum ſi in pulmone eſt, & tabem, & hecticam febrem, & marcorem, & mortem affert. Verum nigricans atque grumoſus ſanguis tuſſi rejectus, non ſemper proficiſci a thorace videtur. Poteſt enim is, ubi nuper e naribus in fauces, & hinc in pulmones lapſus eſt, formam hic grumi adipiſci. Qui ſanguinem ſpuit, is ſi in latus infirmum decumbit, impenſius id facere conſuevit. Ubi vena intus ſauciata eſt, probeque coaluit, ſæpe iterum iiſdem cauſis rumpitur, quibus rupta prius fuit: quod ubi incidit, protinus cruor prodit, iſque affatim ſæpe veluti vomitu quodam profuſus hominem repente ſtrangulat: aut certe in pus craſſum atque multum putrefactione verſum, tandem tabe occidit. Recte enim judicavit Hippocrates, ſi ſanguis in ſuperiorem funditur ventriculum, debere non neceſſario in pus verti. Nullus medicinæ locus eſt, ſi ſputum cruentum ab eroſo eſſe pulmone cœpit: a venæ autem ruptione, ſi quidem inter principia occurſum eſt, dum recens vulnus, & inflammatione & pure caret, obſervatum eſt ſecundam ſæpe valetudinem contigiſſe. Neque enim ſimplex venæ ruptio tabem excitare (modo reliquus pulmo ſit integer) poteſt. Is enim propter dimanantem ex rupta vena in ſe ſanguinem (ubi tamen facit) afficitur. Semper autem ſanguinis ſputum, ſi diu tenet, in tabem tranſit. Itaque recte Hippocratem animadvertiſſe video, poſt ſanguinis ſputum, puris ſputum ſequi.

Proximum eſt pectoris ſuppurationem, quam Græci ἐμπύημα vocant, proponere. Ea has notas habet. Febricula aſſidua, languida, incerta, ſicca, ac vere hectica tenet, eaque interdiu levior eſt, noctu increſcit: frequens tuſſis, validaque eſt, qua nihil tamen excluditur: multus etiam ſudor toto corpore funditur, poſt quem interdum æger inhorreſcit: dolor item varia loca pectoris afficit: frequens ſpiritus, & vehementer impeditus eſt, ſic ut præceps ſermo & multis partibus interciſus ſit. Itaque nares etiam inter ſpirandum arctantur, fitque per has ducti aeris ſibilus. Adhuc maxillæ rubent, manus pedeſque calent, & in his adunci ungues fiunt, ſummique digiti (ubi malum promovit) pallent. Semper autem cibi urget faſtidium, quo aſſumto gravius eſſe corpus incipit. Tuſſis, ut proxime dixi, ſicca eſt, niſi quod, ubi ſuppuratio erupit, humida fiat, puſque fundat modo purum, modo fæculentum. Talis eſſe etiam ſolet, ubi pus ab ulcere pulmonis intus colligitur. Pulſus incipiente ſuppuratione inæqualis eſt, & ſine certo ordine, & per omnia hecticus. Confecto pure, fit paulo æqualior. Rupta ſuppuratione, latior, tardior, rarior, languidior. Ubi vero ſub hoc morbo ad extrema ventum eſt, totum corpus ſudoribus diffluit, in pedibus tumores fiunt, iis ſimiles quos face-

Reſolutio nervorum.

facere hydrops ſolet : aut certe toto corpore puſtulæ oriuntur . Quæ ſuppuratio ab angina , vel a pulmonis inflammatione nata eſt , fere utrumque pectoris ſinum (qui mediaſtino diſtinguitur) occupat . Quam autem latus inflammatum fecit , ea illam ſolummodo quæ afficitur regionem prehendit . Sed quoniam de hiſce ſuppurationibus abunde dictum ſuo loco eſt , nunc eas ſequamur , quæ fieri etiam aliis de cauſis poſſunt . Ergo ſi e capite pituita deſtillavit , & initia huic invaletudini præbuit , primum quidem ea fere latenter in pulmonem lata eſt , tenui cum tuſſi , & ſputo liquido , præterque morem ſalſiore : inter quæ levis interdum jungitur calor . Interpoſito tempore exaſperatur pulmo , & ab inhærente ac putreſcente pituita exulceratur , ſimulque gravitas oritur in pectore , dolorque ante , & retro , jamque magis corpus incaleſcit , totumque impotens fieri & extenuari incipit . Spiritus etiam tum cum ſibilo quaſi per arundinem trahitur . Et quidem quo magis inveteraſcit morbus , eo pus ſincerius exſcreatur , magiſque febris invaleſcit , & tuſſis , ſitiſque vehementior eſt . Interdum ingens cibi aviditas , interdum vini meraci eſt . Nec raro ſudoribus æger diffluit . Tandem autem pedes intumeſcunt , alvus inferne turbatur , ſputum retinetur , atque homo moritur .

Qui ſic laborat , is fere intra annum corruptus perit . Sub eo tamen caſu , expectanda bona valetudo eſt , ſi prius pituita , quam ad pus ventum ſit , exſpuitur , aut ſi intra vigeſimum diem (ut fere fit) intus maturata tum quoque ſputo eliditur . Niſi enim hæc iſta contingunt , vel tabes exulcerato pulmone ſequi ſolet , ſi acris eſt humor , vel certe Aſthma , ſi ignavus atque expers mordacitatis eſt . Porro fit etiam non raro , ut pituita de capite illapſa ad latus , membranis intercluſa , adglutinetur , atque ſuppuret . Quo caſu latus , ut plurimum , exardeſcit : ſpiritus multus eſt : vox rauca fit , qua parte corporis morbus eſt , ea pectus paulum incurvatur : tandem pedes , genuaque intumeſcunt , interdum horrores incidunt , ſæpe copioſi ſudores , ſemper imbecillus homo eſt , & modo calidus eſſe , modo frigidus deprehenditur : ungues etiam contrahuntur , & alvus caleſcit : ortaque præfocatione , vel certe viribus exhauſtis , mors incumbit , niſi rupto abſceſſu multo prius , quam hæ notæ cernuntur , pus omne ſputo vacuetur .

Ceterum ſi propter ruptam venam facta exulceratio pulmonis , atque puris collectio eſt , hæc ſigna comitantur . Sanguinis pars confeſtim ſpuitur , pars in pulmonem fuſa computreſcit , & in pus vertitur . Poſt ſanguinis namque ſputum , ut ſuperius retuli , puris ſputum eſt . Interpoſito ſpatio , alias pus ſincerum , alias cruore miſtum aliquo per tuſſim fertur . Quod ſi autem grandior , repletiorque vena eſt , ſanguis interdum magna copia effunditur , atque hinc craſſum pus exſcreatur . Hujuſmodi caſus juniores citius prehendit , gravius afficit , & citius tollit quam ſeniores , tametſi , utroſque ſuccumbere juxta neceſſe ſit , utique ſi vetus jam malum eſt , ſimulque incipit affici caput , & corpus tabe conſumi . Similis etiam ſuppuratio fieri a vulnere poteſt , quod aliqua parte in pectus illatum eſt . Sanguis enim in vacuum pectoris illapſus , non poteſt in pus non verti . Itaque idem incommodum non ſine cauſa etiam metuitur , ubi ſauciato pectore foris tantum , non item interiore parte ſanatum vulnus eſt . Haud ſæpe venæ pulmonis atque lateris , quibuſdam veluti varicibus occupantur , tumque primum quaſi acutus quidam incidit tractus , quem tenuis dolor & tuſſis arida ſequuntur . Ubi jam diu vitium (ut fit) neglectum eſt , modicum ſanguinis , ejuſque ſubnigri (ſi e pectore morbus eſt) exſpuitur : hinc idem majore copia ſinceriſſimus venit , & poſt hunc ,

pus ipſum, unde tolli hominem, ut in ſuperioribus caſibus monſtratum eſt, interpoſito tempore contingit. Nunc in genere de ſuppuratis hæc addam: Si eo qui ſic laborat concuſſo, multus intus auditur ſtrepitus, ſcire licet, hunc ipſum minus habere puris, faciliuſque ſpirare, & melioris coloris eſſe. Cui autem nullus fit ſtrepitus rupto jam pridem abſceſſu, verum ingens ſpirandi difficultas eſt, & ungues liveſcunt, is pure ſcatet, ac brevi perit. Quod latus pus habet, id & gravius, & calidius eſt: ubi in id quod ſanum eſt cubatur, major tuſſis, majorque anguſtia, & gravitas eſt: ubi autem in infirmum aliquis decubuit, tum hæc iſta, quæ propoſui, minuuntur, tum melior ſequitur ſomnus, magiſque materia & matureſcit, & exſpuitur. Febres intermittentes ſuppurationem ſecutæ, cum multis eſſe ſudoribus conſueverunt. Suppurare dolores juxta præcordia & pulmones, periculoſum eſt. Fereque ſequitur, ut cum omnis longus tumor ad ſuppurationem ſpectet, tum is maxime, qui his locis inhæreſcit. Si quum uritur aut ſecatur aliquis propter hunc morbum, pus univerſum, ſemelque effluxit, certa mors ſequitur. Quod ſi paulatim moderatis portionibus emiſſum, ſubcruentum eſt, vel lividum, vel nigrum, itemque cœnoſum pariter ac fœtidum, æque certum perniciei indicium præbet, magiſque, ſi una etiam ſyncope comitatur. Sperare ſalutem id jubet, quod ſub viribus non infirmis purum, album, & æquale eſt. Sollicitato in pectore per multam tuſſim pure, ſi nihil tamen ejus redditur, homine jam tum imbecillo, mortiferum eſt. Per eundem morbum, ſi, cum quis rectius habere videtur, ſputum exſcreat graveolens, maximeque ubi carbonibus injectum ignitis eſt, hunc mali recidiva occidit. A puris ſputo tabes & fuſa alvus, mortifera ſunt. Fere autem qui reliqua parte anni vitam infirmam traxerunt, eos autumnus tollit.

Tabes. Proxima his vitiis tabes eſt, ea ſcilicet quæ exulceratum ſequitur pulmonem, & cruentis exſcreationibus ſuccedit, Græci φθίσιν vocant: ubi ea incipit, frequens tuſſis eſt, & ſputum ſine dolore cruentum, idemque poſt ſordidum, ac mox vere purulentum redditur. Tum corpus extenuari incipit, aſſiduaque, atque hectica febre affici, quæ ſumptis epulis, & per noctem invaleſcit; per vehementes labores, aut tuſſes, vel iram, ſanguis nonnunquam inter puris ſputa exſcreatur. Ubi creſcit malum, perniciemque propinquam minatur, ſummum urget cibi faſtidium, creſcit potionis deſiderium, oculi concavi fiunt, & nares acutæ, & tempora collabuntur; ſcapulæ foras veluti alæ prominent; ſumma pectoris gravitas eſt; pus injectum carbonibus, vel per ſe fœtet; curvi, pallidique ungues fiunt; capilli excidunt; profluit alvus; pedes intumeſcunt; pars ſubinde aliqua putrefacti pulmonis exit; ſputum tandem penitus ſupprimitur, homoque perit. Longum hoc malum eſt, & certam ægrotis perniciem affert, eique magis opportuna ea ætas eſt, quæ anno decimo-octavo, & triceſimo-quinto intercedit. Corpora autem citius efficiuntur gracilia, preſſi pectoris, & colli longioris, magiſque ſi ſcapulæ macræ prominent, ſi intortæ tibiæ ſunt, ſi frequentes deſtillationes. Autumno id malum & naſcitur maxime, & occidit. Pueri facilius ceteris liberantur. Ex aliis minus convaleſcunt & virgines, & hæ fœminæ, quibus principium morbi retenta menſtrua dedere. Fere autem is homo, de quo ſub hoc morbo ſpes haberi aliqua poteſt, ſputum exſcreare debet album, per omnia æquale, tum ſubſtantia, tum colore, ſimileque etiam eſſe id debet, quod a capite in nares deſtillat. Optatiſſimum eſt, febrem non eſſe: ſecundum eſt, tantulam hanc eſſe, ut neque cibum impediat, neque

neque crebram ſitim faciat. Bonum itidem eſt, coactam indies dejectionem eſſe, atque iis quæ aſſumpta ſunt mole reſpondere. Peſtifera contra cita alvus eſt, itemque vomitus frequens, ac præcipue cruentus. Cum in omnibus morbis incommoda tumida præcordia, tum maxime horrenda in tabe ſunt. Signum quoque eſſe ſolet non bonum, ſi poſt lubricam alvum corpus prurigine afficitur. Jam etiam ſputum miſtum purulentum, idemque fœtidum, quod halitus etiam contagione imprudentes alios labefactat, aſſiduaque febris, & quæ opportuna cibo tempora eripit, & multam ſitim movet, in tenui corpore certum eſſe periculum oſtendunt. Æque peſtiferum eſt pus aquæ, potiſſimum marinæ, non innatare, ſed protinus ad imum ſedere: aut id antea exſpui ſolitum, nunc ſpui ex toto deſiiſſe. Tum enim errare mens incipit, ac primo fere abhinc quatriduo mors occupat, peritque æger a cita alvo, ipſo loquente, atque res omnes intelligente. Quare ſatis anceps fallaxque in hoc morbo noviſſimus vitæ articulus eſt. Idem malum magna ex parte a parentibus ad liberos tranſit: ſic ut integras etiam familias veluti quodam hæreditario jure oppugnet. In his autem, alii prius cruentum exſpuunt, inde pus: alii humorem diu liquidum & ſufflavum, ac tandem ſanguinem cum pure exſcreant: alii latenter etiam, ſine ſanguinis ſputo, ſine ſignis momentaneæ deſtillationis prægreſſis contabeſcunt. Tabe vero, vel poſt ſputum cruentum, vel ſine eo tandem conſumitur, quiſquis infirmos natura pulmones, molleſque, & tenellos, & languidos, & vitiatos habet.

Aliqua etiam tuſſi debetur animadverſio. Ea ſi ex illapſu fit humoris ex capite in aſperam arteriam, pulmonemque ruentis, ſentitur ipſis faucibus quædam quaſi titillatio, & ſæpe moleſtus ardor: ipſe fit ſubinde difficilis ſpiritus: &, ſi quidem tenuis humor eſt, nihil aut certe quam minimum tuſſi eliditur. Solet etiam eadem ſicca eſſe compreſſo ſepto tranſverſo, aliiſque partibus, quæ reſpirationi inſerviunt: ſequiturque alias etiam affectum jecinori, lienis, ventriculi, atque uteri: alias frigus externum, aut tuberculum, aut ictum pectori illatum. Ut autem humor præter modum tenuis, ſic & nimium tenax, atque craſſus ſiccam tuſſim facit: eſtque id deterrimum tuſſis hujus genus, quod virium ſequitur infirmitatem. Permota enim intus materia, neque educta tamen, nihil mirum hominem, ſub imbecillis viribus labefactatum, mori. Quæcunque tuſsis modico fit conatu, celerique ac facili materiæ eductione, cum multo levamento, & ſine dolore, ſive oculorum rubedine, optima eſſe cenſetur: quæ contra fit, peſſima. Si, cum prius humida tuſſis fuit, nunc ſubito ſicca redditur, ſic ut pectus grave maneat; ſcire licet febris vel putridæ, vel hecticæ, aut pulmoni exulcerationis periculum inſtare. Omnis tuſſis mala, qua ſomnus aufertur. Inutilis etiam, quæ longo tempore frequens, graviſque hominem exercet, idque cum deſtillatione. Hinc enim ſanguinis ſputum, & tabes ſequi conſuerunt. Fere, ubi vitioſus pulmo, aut vetus intra pectus obſtructio eſt, continua exercet tuſſis, nullis intermittens temporibus. Tuſſis.

Quæ vero a deſtillatione eſt, ea quibuſdam intervallis, prout humor irruit, bis terve per annum moleſta eſt. Si lentus intus humor eſt, vehementiſſima, eaque ſicca fit tuſſis, qua nihil fere rejicitur: ſpiritus difficulter trahitur, idque cum quodam ſtertore ac ſibilo, qualis audire in ipſa anhelatione ſolet, de qua nunc agendum eſt.

Difficilis ſpiratio multa ſequi pectoris vitia poteſt, quorum obſervatio ſuperioribus locis propoſita eſt. Nunc notas ejus affectionis ſequar, quæ propter humorem pituitoſum pulmonibus infartum ſpirationem difficilem facit. Difficilis ſpiratio.

facit. Græci, ubi leve id vitium eſt, δύσπνοιαν vocant: ubi vehementius eſt, & ſpirare æger ſine ſono ac ſibilo non poteſt, ipſi ἄσθμα, nos Anhelationem dicimus. Quod malum ſi ita crevit, ut ſpiritum difficillime, ac non niſi rectis trahi cervicibus ſinat, recte Ορθόπνοια dicitur. Ergo in Anhelatione pectus grave eſt, & crebra veloxque ſine febre reſpiratio: quæ adeo moleſta eſt, maximeque inter laborem corporis, ut homo, ac ſi curſu agitatus eſſet, ob anguſtiam pectoris prope ſuffocetur, ejuſque rei metu, toto ſubinde recto corpore, rectaque cervice nitatur, ad trahendum ſpiritum. Quinetiam is ipſe ſpiritus, quoniam anguſtis itineribus effertur, quendam veluti ſibilum tenuem movet. Præter hæc dolor aliquis in pectore, & in præcordiis verſatur, interdum etiam in ſcapulis, iſque modo intermittit, modo revertitur. Quibus omnibus tuſſicula etiam intervenit. Id vitium longa vetuſtate pulmones primum, concreta in grandinem pituita, & dein veris ſubinde calculis implet: quos tum ſecto corpore deprehenſos, tum a vivis per exercitationes valida tuſſi præduros rejectos, hordei, aut piſi magnitudine eſſe, quorundam obſervatione compertum eſt. Diſpnœa ſine omni incommodo trahere diutius poteſt. Anhelatio vero, atque Orthopnœa, etſi longa quoque ſunt, gravia tamen eſſe poſſunt, ſæpeque, ubi inveteraverunt, ſubito ſtrangulatu hominem tollere. Eædem quibuſdam temporum intervallis graves acceſſiones habent, quæ magis cœlo fieri humido ac frigido, maximeque inter multam crapulam ſolent. Quod ſi nova inter hæc quoque deſtillatio irruit, fere hominem præſocatione occidit. Ex quo ipſa quoque præſocans appellata eſt. Semper meliori utuntur valetudine, qui anhelationem patiuntur, per quietem corporis, per jejunium & ſereno cœlo. Anhelationi magis expoſiti ſunt hi, quibus frequens deſtillatio ac tuſſis eſt, præcipueque ſi ſenes ſunt, & anguſtos pulmones habent. Pleriſque etiam aliis accidere hic morbus ſolet, maxime his qui vel natura, vel otio, vel victus intemperantia redditi ſunt obeſiores. Anhelatio magna ex parte ſenes tollit: in aliis difficillime ſaneſcit.

Anhelatio.

Periculoſa tremula ſpiratio eſt, & pulſus inæqualis, inordinatus, intermittens, deficiens: & quidem quo gravius malum eſt, eo magis fit languidus & magis tardus. Peſſima inter hæc ſyncope eſt. Ad extrema ventum eſſe teſtatur ſpiritus parvus, tardus, & frigus: itemque pulſus ex tardo factus nimis creber, & languidus, cetera ei, quem mox retuli, ſimilis. Interdum obſervatum fuiſſe conſtat, Anhelationem in pulmonis inflammationem tranſiiſſe. Ex eodem morbo ſi factus aliquis gibboſus eſt ante puberem ætatem, perit.

Vulneratio pulmonis.

Ictus pulmo his ſignis innoteſcit. Sanguis ex ore ſpumans, ex plaga rubeus fertur: ſpirandi cum ſono quodam difficultas eſt: commodius in vulnus ipſum cubatur: etenim tum nonnulli loquuntur, qui, in contrariam converſi partem, obmuteſcunt. Ex vulnere niſi quis primis temporibus extinctus eſt, febre atque marcore ſenſim conſumitur, ac perit.

Vulneratio pectoris.

Transfoſſo pectore, cum quis exſpirat, flatus e plaga exilit, vulneri ſi indita Aloe eſt, ejus percipit os amarorem.

Animi defectio.

Nullum vitium terrere leviter debet, quod cordi accidit. Tolerabilis videri poteſt, modo brevis ſit, animi defectio, quam Græci λιποθυμίαν dicunt. Scilicet non omnes ſemel (ut in ſyncope fit) vires collabuntur: ſed ſpirituum tantummodo reſolutio, ipſeque fere, qui ſic afficitur homo, præſentes audit, videt, agnoſcitque.

Palpitatio cordis.

Gravior cordis is morbus eſt, quod ipſum veluti concuſſum intremit, & palpitat. Græci παλμὸν τῆς καρδίας, nos Palpitationem appellamus. Arteriæ

toto

toto corpore vehementer pulſant, nec raro etiam dilatantur, maximeque hæ quæ ſupra jugulum ſunt. Idem morbus frequenter, ac præcipue per quietem corporis intermittit: at ſuperfluit laboribus, meraciore vino, concubitu, balneis atque ira recrudeſcit. Palpitatio cordis ſi diutius trahit, periculum oſtendit repentinæ mortis. Æque ea horrenda eſt, ſi crebro incidit, idque poſt ſolutos morbos, cum multa nauſea, & bilis vomitu, qui vomitus neque nauſeam, neque palpitationem cordis finit. Quibus autem hic morbus poſt menſes aliquot, vel etiam poſt annum recurrit, eos ante ſenectutem omnes morte præveniri obſervatum eſt: alios quidem febribus fractos acutis, alios præcipite ſyncopa raptos. Idem vitium iis familiarius eſt, qui intra quadrageſimum annum & quinquageſimum ſunt, & quos flatuoſa melancholia fatigat, & quibus atra bile ipſe lien tumet. Syncopen autem palpitatio cordis, & antecedere, & in eam verti ſolet.

Syncope, quæ præceps eſt virium lapſus, pulſum abolet, aut certe ſumme rarum, & obſcurum, penituſque formicantem facit. In ea vultus, qualis hominis eſt emortui, fœdus ac pallens apparet, vis ſentiendi, movendique deficit, tempora, cervices, & pectus gelido ſudore madent, extremæque corporis partes refrigeſcunt. Quæ ſyncope novam ſequitur ſtomachi, multamque nauſeam movet, tutior eſt, adeoque ἡ στομαχικὴ appellatur. Quæ vero ſine cauſis manifeſtis, ſine ſtomachi vitio, ſed & crebra cum palpitatione cordis accidit, grave periculum minatur, & ipſi cordi primitus inhæreſcit, Græci συγκοπὴν καρδιακὴν nominaverunt. Hæc, & ſenibus, & convaleſcentibus, & quacunque de cauſa vehementer debilitatis familiarior eſt: ſoletque mortem, ſi frequenter incidit, repentinam referre. Quiſquis enim ſæpe, multumque, ſine evidente occaſione animo deficit, hunc recte Hippocrates ſcripſit ſubito mori conſueſſe. In eo morbo præſentis nota exitii eſt, facies livida, viridis, aut nigra: vel ſi naribus acre inditum medicamentum nullam movet ſternutationem; adhæc ſi ſpiratio, atque ipſe arteriarum pulſus prorſus abolentur, ſimulque caput in humeros, vel in pectus delabitur. Ut cordis palpitatio, ſi ſyncopem infert, mortifera eſt; ſic multo magis ſyncope, ſi cordis ſecuta palpitationem eſt. Syncope.

Vulnerato corde ſanguis multus extra funditur, utique ſi quæ majores vel arteriæ, vel venæ in eo percuſſæ ſunt: pulſus elangueſcit, color fit pallidiſſimus, ſudor frigidus ac fœtens oritur, extremiſque multum frigidis protinus mors irruit. Si ſola cordis icta ſubſtantia, non item interior ſinus telo violatus fuit, vita modo diem, modo noctem duraſſe viſa eſt. At ſi in ſinum quoque cordis adactus mucro eſt, protinus refrigeſcentibus extremis, præceps mors incumbit. Vulneratio cordis.

Ubi ſeptum autem tranſverſum vulnus accepit, ſanguis ſpumans fertur, ſpiritus fit difficilis, & rarus, præcordia ſurſum contrahuntur, ſpina dolet, ſputum editur cruentum, accedit delirium, & interdum tuſſis, noviſſime febris, & tabes (ut fit ſauciis pulmonibus) hominem (niſi is inter initia periit) conſumit. Vulneratio ſepti tranſverſi.

Obſervationes in ventriculi vitiis, & inteſtinorum utiles.

INfirmum ex calore ventriculum ſitis arguit aſſidua, qua frigida pocula expetuntur, itemque cibi faſtidium, æſtus, ructus nidoroſus, & noxius calidorum, utilis frigidorum uſus. Si frigiditas ſubeſt, contraria his Imbecillitas ventriculi.

quæ ſunt comprehenſa, incidunt. Humiditatis autem notæ ſunt, nulla vel pauca bibendi cupiditas, multa ſaliva, commodus ſiccorum uſus.

Contra res habet, ubi ſiccitas imbecillitatem fecit. Si vitiatus intus humor verſatur, nauſea urget, & vomitus, & ructus, maximeque ſumptis epulis. Cum flava intus coit bilis, ſupra ea quæ ineſſe calido ventriculo dixi, os etiam amareſcit, ipſe ejicitur vomitu amarus humor, ventriculus roditur, maximeque per inediam, unde ſyncope etiam ſequi ſtomachica poteſt, potiſſimum ſi os ventriculi acuti admodum ſenſus eſt. Quod ſi pituita moleſtat, nunquam ea ventriculum, niſi cum ſalſa eſſe cœpit, mordet, neque ſitim facit, ſed multum ſalivæ ſine tuſſi ſcreatum exhibet. Tum quoque acidus fit ructus, & infirma concoctio, & inflatio, tenſioque ventriculi. Id profecto vitium, ſi multum increvit, magnas tenſiones, graveſque dolores, aliquot a cibo horis, ventriculo infert, & ſæpe maximis valetudinibus initia, ut hydropi, & volvulo præbet. Jam autem, ubi atra intus luxuriat bilis, creſcit cibi cupiditas, ſputum male piſcem olet: palpitatio eſſe in meſenterio ſentitur, ex qua modo morbus Melancholiæ, modo comitialis naſcitur: ſomnus item abſurdis ac vanis imaginibus turbatur, ſummoque dolore ſurarum muſculi contrahuntur: animus denique triſtitia, atque metu concutitur.

Cupiditas, itemque faſtidium ciborum.

Aliqua etiam animadverti circa appetentiam, aut faſtidia ciborum poſſunt. Optimum ſignum eſt omnibus in morbis, bene ſeſe ægros ad alimenta quæ offeruntur, habere. At cibum adverſari cœpiſſe per longos morbos, & poſt eos, malum eſt: itemque poſt cibi cupiditatem faſtidio ejus effici. Nullum leve malum timeri in longa appetentiæ amiſſione poteſt, maxime ſi contractum a frigore id vitium fuit. Æque periculoſum eſt, boulimo aliquem, aut canina urgeri appetentia cœpiſſe. In hac ipſa deſiderium plurium epularum eſt, multumque voratur: quod quia onere ventriculum gravat, iterum vomitu extunditur: atque ſic levatus homo, vorare denuo nova cupiditate incipit, rurſumque ut canis, quod aſſumtum eſt, vomit. Sæpe hoc vitium boulimum, & altum ſoporem, & lævitatem inteſtinorum, & hydropem, & atrophium, ipſamque necem intulit. Ceterum in boulimo, primum ægri multa fame urgentur, quæ tamen non omnino immoratur. Quin animus ſubinde iis deficit, ſimulque concidit ſpiritus, extremaque refrigeſcunt. Tum profecto in propinquo ſyncope eſt, quam ipſa excipit mors.

Canina appetentia.

Boulimos.

Singultus.

De ſingultu etiam dici quædam poſſunt. Hic pueris familiarior eſt. In aliis quoque ætatibus interdum per acutos incidit morbos, & per febres ardentes, maximeque peſtilentiales, ac tum fere eſſe lethalis ſolet. Idem poſt citam alvum, ſanguiniſque profuſionem, & poſt quamcunque aliam gravem inanitionem periculum oſtendit. Itaque poſt vomitiones etiam, præcipueque ſinceras, ſingultum fuiſſe, grave eſt. Idem, ſi cauſa inflammati oritur jecinoris, periculum habet. Sternutamentum autem ſingultui acceſſiſſe, utile eſt. Ab illo enim hic ipſe abſolvitur. Delirium autem interveniſſe, aut nervorum diſtentionem, mortiferum eſt.

Vomitus.

Inſtante vomitu, crebræ ſputationes, & nauſeæ fiunt, ſtomachuſque ſubvertitur, præcordia tenduntur, & inferius labrum tremit. Is ubi fit, minime moleſtus eſt, ex pituita & bile miſtus, modo nimius non ſit. Sincerus autem deterior eſt, magiſque ſi ſimul vel ſingultus, vel diſtentio nervorum adſunt. Praſinus item vomitus, & lividus, & niger, malus eſt. Nigro pejor eſt is qui omnes colores fundit non bonos. Subitam perniciem denuciat niger male olens, qui frequens in febribus peſtilentialibus eſſe ſolet. Vomitus ſine febre tum eſſe non malus poteſt, cum robur ſequitur natu-

naturæ, quæ id humoris, unde gravatur, expellit: qui profecto humor ex jecinore huc derivari, vel ex liene, vel meſenterio, & inteſtinis, itemque e cerebro, totove denique corpore poteſt. Verum eo tempore multum jecinori aut lieni (ubi hinc humor fertur) tumorem eſſe præſtat. Quæ fœmina dum jejuna eſt, bilioſa vomit per multos dies, ſi neque uterum fert, neque febricitat, ſcire licet hanc lumbricos rotundos ſimul vomere, aut certe hos vomituram eſſe. Vomitus, ſi rarus eſt, juvat valetudinem: aſſiduus, ſtomachum vitiat, & inducta imbecillitate, velut lacunam proluviei univerſi corporis facit. Sæpe profecto vomitus, præcipue æruginoſus, diſtentionem nervorum, & morbum comitialem, & profundum ſoporem, veluti quadam judicatione finiunt. Vomitus ſpontaneus, ſi id in quo vitium eſt, reddit, confert & facile fertur: ſin minus, contra. Vomitioni ſingultum, aut nervorum acceſſiſſe diſtentionem, malum eſt, maxime ſi ſinceri humores rejiciuntur.

Sanguis etiam vomitione extundi ſolet, quod nunquam fieri, niſi male affecto homine, poteſt. Is ſanguis cibo, vel potioni, vel pituitæ miſtus fertur, eſtque craſſus, ac jam concretione nigreſcens. Hujus ſubinde pars ex alvo etiam fertur, ita nigricans, ut pici ſimilis videatur. Sub eo caſu mirum non eſt a corrupto intus cruore crebram animi defectionem eſſe. Qui ab jecinore proficiſcitur ſanguis, ſplendidior eſt, ac magis purus. Quem autem lien fundit, is turbidior, & ſubniger, & interdum acidus eſt. Ceterum qui a ventriculi ſubſtantia detritus ſanguis evomitur, nunquam fere dolorem aliquem non exhibet. Fœmina ſi ſanguinem vomit, fuſis menſtruis liberatur. Vomitus cruentus.

Non ſæpe ventriculus inflammatione rapitur. Gravis & aſſiduus cum ardentiſſima febri incidit dolor, qui nullis fomentis miteſcit: locus ingentem, tactuque circumſcriptum tumorem, & interdum viſu conſpicuum habet. Quicquid cibi vel potionis aſſumitur, id protinus vomitu, aut dejectione extunditur: niſi tamen ſumma vel ima ventriculi pars tumore obſidetur, quo itinera ſic arctantur, claudunturque, ut nihil elabatur. Accedit vehemens æſtus, & ſitis, & nauſea, & quum gravius malum eſt, delirium, crebraque animi defectio. Quod ſi præter hæc extremæ partes membrorum inalgeſcunt, exitium in propinquo eſſe ſignificant. Inflammatio ventriculi.

Ubi ex hoc morbo abſceſſus fit, is in vacuum abdominis, vel in ventriculi ſpatium internum erumpit: moxque ipſum pus vel ore, vel alvo effertur. Quod ſi intus factum ulcus aliquod eſt, prorſus id lethale eſt. Tum profecto lenta, aſſiduaque febre homo conſumitur: ventriculus ſumme fit infirmus, & modo dolorem habet, modo eo caret; frequens vomitus, frequentior liquida dejectio eſt, pulſuſque creber, ac frequens: totum denique corpus alimenti fructum non ſentit, ſed paulatim ad noviſſimum uſque vitæ diem contabeſcit.

Nunc de inteſtinorum vitiis loquar, quæ & acuta eſſe, & longa poſſunt. Omnium id pene atrociſſimum eſt, quod χόλεραν Græci dicunt. Bilis ſupra, infraque magno impetu prorumpit, primum liquidior, pallida, & ſubflava: dein craſſior, majoremque colorem exhibens, flavum ſcilicet, praſinum, cæruleum, aut etiam nigrum: acuti in inteſtinum ſuperum dolores, & torſiones, & inflationes incidunt: ingens afficit bibendi cupiditas: pulſus celer, frequens, parvus atque conciſus eſt: ſæpe ſudores toto corpore moventur: ubi gravius malum eſt, pulſus prope totus concidit, crura manuſque contrahuntur, frigidæ ſudationes fiunt, anima deficit, χόλερα.

& quum ad extrema ventum eſt, ſyncope accedit: quibus concurrentibus omnibus, mirum non eſt ſubito aliquem extingui. Is morbus frequentior æſtate, atque autumno, eſt pueris familiaris. Senioribus rarior, & formidabilior eſt. Vehemens in eodem morbo ſitis inutilis eſt, optimus accedens ſomnus. Pars ſanitatis eſt, ſuppreſſum vomitum eſſe. Sæpe etiam verſa in veſicam materia, ardor inde factus urinæ fuit. Summum in periculum res vertitur, ſi ſyncope comitatur, aut ſi quod evomitur, male olet, aut ſtercoraceum eſt. Quod autem non olet, id tutum eſt.

Alvi profluvium.

Quum profluere alvus cœpit, fuſis ſcilicet ſincerioribus humoribus ſine inflammatione ſive exulceratione, vel ſenſu doloris vehementi, id vitium Græci διάῤῥοιαν nominaverunt; ſub quo alius atque alius vacuatur humor, modo pituita, modo bilis, vel flava, vel atra. Hujus origo fluxionis variis e ſedibus manat. Si e cerebro pituita fertur in ventrem; ea per noctem magis & poſt ſomnum fluit, tenuis, authore Hippocrate, atque ſpumans. Intervalla etiam fluxionis quædam fiunt, itemque deſtillatio, & capitis dolores anteceſſerunt: maxime ſi ſubitus calor atque frigus fuere. Idem humor, ſi vitio funditur inteſtinorum, meſenterii, aut ventriculi, craſſus eſt, atque mucoſus, iſque magis de die ſine certis intervallis prodit. Ubi flava bilis, aut citrina, ardens, nec raro etiam ſpumans e jecinore, aut etiam (quod ſæpe fit) e meſenterio in ventrem delabitur, id ſine magno ventris dolore, ſive torminum opinione certis quibuſdam intervallis, & per noctem incidit: ſed brevior hic fluxus eo eſſe conſuevit, quem affectus ventriculus movit. Idemque fere ſequitur, ſi e liene, vel ab ipſo fluere meſenterio atra bilis in alvum cœpit. Verum hic caſus, quoniam pejorem humorem ſequitur, longe difficilior priore eſt. Sed diſcernere inter hunc convenit humorem, & inter ſanguinem concretum lunga immoratione, longoque ductu præaſſatum, nigricantem, ac liquidæ pici ſimillimum. Itaque ſi hic ipſe, non autem melancholicus humor eſt, cruentus vel adeſt, vel præceſſit vomitus, quo tincta lintea rubeſcunt. Nihil vero horum in dejectione bilis atræ ſubeſt. Uno die fluere alvum, ſæpe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus diebus, modo intra ſeptimum conquieſcat, neque denuo turbetur, ac neque febri hominem, neque vehemente ſiti affligat. Verum in ſpatio periculum vertitur. Interdum enim tormina ac febris concitat, vireſque conſumit. Febrem autem acceſſiſſe, aut ſemel quieſcentem dejectionem revertiſſe, eandemque diutius trahere cœpiſſe, periculoſum eſt: ſive bilioſa ea fuerit dejectio, ſive cruda, ac pituitoſa. Æque vero noxium eſt, inflammationem ortam eſſe jecinoris, aut præcordiorum, aut ventris, itemque alvum variam, cum dolore diu profluxiſſe. Ceterum ante tempus compreſſam dejectionem eſſe, tutum non eſt. Incipit enim affici ſtomachus, febreſque oriuntur & viſcerum inflammationes. Quinetiam correpta ſurſum materia, dolores in caput incidunt, aut inſania ſit, aut lethargus; prout humor eſt, qui huc fertur. Quum liquida dejectio hominem exercet, utile eſt neque ſtridere eam, neque nimis frequentem eſſe, ſed paulatim ferri. Crebro enim deſeſſu homo delaſſatur, & vigil manet. Jam ſi copioſa ſimul frequenſque dejectio eſt, periculum ab animi defectione eſt. Cum alvi profluvium in vetuſtatem incidit, tum, ſi ultro vomitus accedit, id ipſum conquieſcit. Alvi fluxio ſine ulla noxa eſt, ſi mature deſinit: quod quidem fit, ubi contracto jam ventre nullus amplius a ſuperinjecta manu motus ejus percipitur, ſimulque noviſſimam alvum flatus ſecutus eſt. Profluente alvo mutari excrementa, ſed non in deterius, prodeſt. Bilioſæ dejectiones accedente ſurditate ceſſant: & contra ſurditas iiſdem dejectoni-

ctonibus finitur. Longum alvi profluvium balbis frequentius eſt, & vomitionis interventu conquieſcit. Ructus quovis in fluxu ventris acidus, qui quidem ab initio non fuit, ſed poſt acceſſit, prodeſt. Ubi pluribus diebus non deſcendit alvus, docet aut ſubitam dejectionem, aut febriculam inſtare. Malum eſt fuſa alvo cibi cupiditatem amitti, aut ſingultum fieri. Quibus propter morbum vel acutum, vel longum, aut propter vulnera, aliave occaſione extenuatis, atra bilis ceu niger quidam ſanguis alvo profluit, hi poſtero die tolluntur. Excrementa ſiquidem ventris more atri ſanguinis nigra, quæ & cum febre, & ſine hac ultro djiciuntur peſſima ſunt: eoque ſemper pejora, quo eorum colores plures repræſentantur non boni. Eadem ut medicamentum eduxerit præſtat, idque quando plures fuerint horum colores. Alvus uſtam bilem fundens per morborum principia, mortifera eſt. Parque periculum oſtenditur, ſi profluente ventre, nauſea, vomitus, & delirium occupant: itemque ſi ſic infirmus homo eſt, ut pulſus ipſi aſſidue vermicularis & formicans, qui ne ſumtis quidem epulis invaleſcat. Quum ſubito fluere alvus incipit, poſt longum morbum, aut ſi is etiamnum manens nihil inde miteſcit, ægerque hunc male ſuſtinet, in certo periculo eſſe ſciendum eſt. Æque horrendum cenſetur, citam alvum hydropi initia præbuiſſe, aut poſt ulceus acceſſiſſe melancholicum: itemque propter ſuperiorum exulcerationem inteſtinorum ac præcipue jejuni incidiſſe: aut perſeverante profluvio puſtulas, quæ ante fuerunt, ſubito delituiſſe: aut denique in ſene fluorem inveteraſſe, aut hominem primo veluti aquam alvo excreviſſe, deinde humorem more unguenti pinguem. Hoc ipſum excrementum, quod quaſi adipe ut oleo perfuſum videtur, peſtilentibus febribus, atque ardentibus, corpus colliquantibus, & hecticis, & tabi, & atrophiæ, & interdum viſcerum inflammationibus familiare eſt. Perſæpe tum a ſincero alvi profluvio, tum a longo, nata fuiſſe tormina obſervatum eſt. Qui caſus prægnanti fœminæ exitioſus eſſe ſolet, & ut ipſa quam maxime convaluerit, partum tamen corrumpit, ac perdit. Fere autem fit, ut quem longa exercent alvi profluvia, his pedes intumeſcant.

Non leviter ea quoque terrere alvi fluxio debet, qua non ſinceriores humores, ut in diarrhœa, ſed epulæ, potioneſque ſine dolore crudæ, inæquales, aquoſiſſimæ ſic cito dejiciuntur, ut nihil fere de forma amiſerint ſua, citra ſanguinis aliquem aut bilis complexum. Græci λειντερίαν, nos lævitatem inteſtinorum appellamus. In hac ægri fructum alimenti non ſentiunt, & in malum incidunt corporis habitum: ardor totis hypochondriis ineſt, & ingens urget cibi faſtidium. Hic morbus ægros interdum trahit, interdum præcipitat. Facilius a teneris depellitur ætatibus, utique ſi moveri abundantius urina, & ali cibo corpus incipit. Difficillimus provectioribus hominibus eſt, maxime ſi longis torminibus inteſtinorum ſucceſſit. Sub eodem vitio periculum majus fit, ſi ita frequens dejectio eſt, ut venter omnibus horis noctu & interdiu fluens ſomni tempora corrumpat. Adhæc ſi cruda prorſus ea eſt, aut nigra, vel more bubuli ſtercoris levis & fœtida: ſi cibi admittitur cupiditas, creſcit bibendi deſiderium: ſi pro modo ſumtæ potionis æger non mejit: ſi os ipſi exulceratur, rubetque facies, & quaſi maculis quibuſdam colorum omnium diſtinguitur: ſi venter emollitus, ſordidus, & rugoſus redditur. Sub his ſignis certa mortis adventatio eſt, ſi id vitium jam diu corpus ſenile traxit. Per longam inteſtinorum lævitatem acidum fieri ructum, qui ante non fuit, pro valetudine habetur. Pars ſperatæ ſanitatis eſt urinæ modum poculis reſpondere cœpiſſe, corpuſque nutriri, ac

Lienteria.

ſine

ſine febre, ſine pravis coloribus eſſe. Ut in omni pene ventris fluxione, ita in hac quoque tum mali eſſe finis creditur, cum nullum amplius intus ſit murmur, & extremam dejectionem aliquis ſecutus flatus eſt. Quicunque autem diu hoc vitio exercitus, animalcula quædam alvo reddit, multis torſionibus atque doloribus; is, finitis his, intumeſcit. Ex eodem morbo ſi lateris oritur dolor, & ſpirandi difficultas, metus eſt ſecuturam tabem eſſe. Sæpe etiam hic morbus corrupto cœlo in populum graſſatur, nec raro longa invaletudine confectos tollit. Interdum etiam pulmonis vomicam, vel abdominis abſceſſum, vel pectoris aut renum ſuppurationem certo ægrotantis periculo ſecutus eſt.

Tormina, ſeu dyſenteria.

Quæ cruenta alvi dejectio, cum ulcere inteſtinorum, cum dolore, & torſione eſt; hanc Græci δυσεντεείας, nos Torminum appellatione comprehendimus. Incipiente morbo primum biliota eſt alvus, aut certe mucoſam fundit inteſtinorum pituitam: inde ſubpinguis fit, modico cruore perfuſa: poſt hæc ſtrigmenta interioreſve tunicæ inteſtinorum prodeunt excrementis cruentis ac purulentis miſtæ: noviſſime, ipſa deteritur, proditque cum purulenta inteſtinorum proluvie caro, quæ veram eorum complet ſubſtantiam. Inter hæc autem omnia, cruor paulatim, & brevibus intervallis per alvum manat, iſque modo cum ſtercore aliquo ſemper (niſi inferius vitium eſt) liquido, modo cum quibuſdam, quæ proxime dixi, mucoſis, & purulentis, & carnoſis corpuſculis excernitur: multus in ano dolor, multaque ac frequens deſidendi cupiditas eſt: cum utroque hoc exiguum quid exit, protinuſque tormentum intenditur, ac rurſus poſt paulum levatur: ipſe æger quiete caret, & a ſomno interpellatur, dejectionibus & interdum febricula impeditus. Si tenuibus inteſtinis vera deteritur tunica, deſperata utique ægri valetudo eſt': verum ſi craſſa tantum ſic afficiuntur inteſtina, ſupereſſe ſpes vitæ poteſt. Sed certis quoque uti notis licet, ad loca, quibus morbus inhæreſcit, cognoſcenda. Etiam ſi tenuia inteſtina afficiuntur, dolor altius circum umbilicum verſatur: inter hunc plus intervalli & inter dejectionem ponitur: ſanguis & quicquid inteſtini detruditur, exactius alvi excrementis miſcetur: vehementius & crebrius delirium incidit: ſitis urget, & febris: ipſum autem ſtercus crudum profluit, male olens, loturæ carnium ſimile, bilioſum, porraceum, varium, non ſine multa ventris torſione, & multa virium infirmitate, quæ animi quoque defectionem minetur. Atque cum quidem in jejuno inteſtino vitium eſt, cruda magis apparet dejectio, cum ſanguine nigriore excrementis undique miſto, & cum bile abunde flava. Plus etiam hic ſititur, & nauſeatur: ſed & cibi magis afficit faſtidium, & interdum vomitus oritur: dolor autem ſuperior umbilico eſt, iſque malignam febrem movet: ipſe æger vivido colore caret, & ad animi uſque defectionem exſudat: quibus concurrentibus facile is ipſe robore deſtituitur virium, ac perit. Ceterum ubi craſſa inteſtina morbum ſuſtinent (qui caſus tutior faciliorque ſuperiore eſt) ſtercus ſincerum, multum, denſum, cruentis reſperſum guttis, & cum flatu prodit, nonnunquam etiam ſpumoſum: ſemper autem quædam hic pinguia miſcentur, ipſeque ſic jungitur cruor, ut his particulatim ſupernatet, non autem totus totis veluti immerſus temperetur, idemque ut primum quis doluit, protinus ſequitur, prima prope alvo redditur. Quævis autem tormina longa & difficilia eſſe conſueverunt: ſub quibus, ſi firmus etiamnum homo eſt, rectèque curatur, reddi priſtinæ valetudini poteſt: ſi vero invalidus aliquis eſt, ac vehemen-

menter morbo extenuatur, ipſumque inteſtinum profundo vetereque ulcere labefactatur, ſcire licet medicinam omnem inanem eſſe. Ubi hæc res incidit, dejectio graviſſime olet, eaque cruda, leviſque eſt, & ſubnigri coloris: ſæpe etiam inter hæc plurimus ſanguis effunditur. Tormina, ſi ab atra bile eſſe cœperunt, mortifera ſunt, itemque ſi ſub his quædam quaſi carunculæ dejiciuntur: aut ſi poſt longum morbum, homine jam infirmo, ſubito orta ſunt. Æque malum eſt, moleſtam ægro ſuppreſſionem dejectionis eſſe, a ſolutione non niſi pauciſſimo tempore malum levari, idque ipſum diutius incipere trahere. Non tuta quoque tormina ſunt, quæ cum febre adoriuntur, & cum vehementi dolore, variaque, vel etiam crebra alvi dejectione, tum etiam cum jecinoris, præcordiorum, aut ventris ardore, quæque cibos intercipiunt, & multam ſitim, & cibi faſtidium inferunt. Par periculum eſt, ſi venter aſſidue, & quieſcentibus, & vigilibus profluit, ſimiliterque noctu, & interdiu: ſi cibi amittitur cupiditas, creſcit bibendi deſiderium: ſi pro modo ſumtæ potionis æger non mejit: ſi extenuato jam corpore repente nigra alvus fluxit: aut ſi morbum hunc jam veterem lævitas inteſtinorum, aut hydrops excepit. Fere ubi dejectiones alienis temporibus ſupprimuntur, abſceſſus juxta coſtas, aut in viſceribus, aut in articulis fit. Tormina, modo non nimis diu trahant, utilia lienoſis ſunt: ubi inveteraſcunt, nocent. Quum ſanguis per tormina intus retentus concrevit, venter flatibus impletur, extremaque corporis repente inalgeſcunt, vis ægri, ſimulque pulſus collabuntur.

Proximus torminibus teneſmus eſt, Græci τενεσμὸν appellant, qui illa ſæpiſſime & antecedere, & ſequi ſolet. Frequens æque atque in torminibus deſidendi cupiditas, dolorque in ano eſt, inter quæ mucoſum quid pituitaque plenum, & modice cruentum exit: hinc, ubi ulcus directi inteſtini increvit, purulentum quoque editur. Hujuſmodi dejectioni nonnunquam id interponitur excrementum, quod ex cibo probe coactum figuratumque eſt. Hic morbus, ubi prægnantibus accidit, elidere etiam partum poteſt. Idem tamen non difficilliſme tollitur, neque unquam per ſe occidit, præcipue ſi ſine febre homo cibum non faſtidit: verum in autumnum ubi incidit, contagioſus eſſe magna ex parte ſolet, utique ſi tum quoque in tormina vertitur: qui caſus, ut ceteris hominibus non tutus, ſic pueris maxime lethalis eſt. Teneſmus interdum ubi vetus fit, in volvulum, aut in coli dolorem (ſiquidem pituita ſubeſt) tranſit. Si bilis in cauſa eſt, potius torminibus excipitur. Sæpe ex neglecto teneſmo ulcus relinqui ſolet ſordidum ac purulentum, idque in fiſtulam verti, quæ ægerrime remediis tollatur. Teneſmus.

Morbus inteſtini tenuioris, quem Græci εἰλεὸν, nos volvulum dicimus, ſic noſcitur. Dolor acutiſſimus, modo ſupra umbilici regionem, modo infra verſatur. Fitque ex alterutro loco inflammatio. Tumor autem quidam ſic prominet, ut ægrotans inteſtinum convolutum ad chordæ ſimilitudinem videatur: ventris itinera, quibus excrementa feruntur, ſic impedita præcluſaque ſunt, ut neque injectus clyſter aſcendat, neque cibus ore ſumtus deſcendat, ipſaque alvus ne flatum quidem emittere ullum poſſit. Itaque ſurſum protruſis omnibus creber vomitus cietur tum bilis, tum pituitæ: hunc multa antecedit nauſea, & ructus inanis, & ventriculi humiditas. Spiritus etiam fit difficilis, &, quicquid cibi, vel potionis aſſumitur, tametſi id intro deſcendit, paulo tamen poſt, quia tranſire inferius non poteſt, iterum vomitu redditur impurum, ac male olens. Id fere tum ſolum ſine ſaburra per os fertur, cum ſuperior gracilis inteſtini Volvulus.

pars

pars laborat. Ipſum autem quoque ſequitur ſtercus, ſi paulo inferior morbus eſt. Idem incommodum ſub utroque caſu tum etiam accedit, cum ad extrema ventum eſt, ſubindeque lumbrici vomuntur, urina difficulter redditur, maxime aſſiduus vomitus eſt, ipſa alvus ita clauditur, ut ne acus quidem admittat acumen. Noviſſime os, quique ructu effertur vapor, ſed & totum corpus mali odoris eſt, acceditque ſingultus, & delirium, itemque nervorum diſtentio, & gelidus ſudor, & extremorum frigus, & tremor cordis, & ſyncope, omnia certiſſimæ mortis nuncia. Hoc genus vitii omnium quæ inteſtinis inſidiantur acutiſſimum eſt, &, niſi reſolvitur intra ſeptimum diem, occidit. Idem pueris familiarius, ſenibus rarius ac penitus exitiale eſt. Frequens ſub eo vomitus, & ſurditas mala ſunt. Sperare ſalutem licet, ſi purgans medicamentum ore ſumtum, alvum perrumpens dejectionis initium præbet: utique ſi reliqua quoque ſalutis concurrunt ſigna veriſimilia. Minus etiam periculi eſſe ſolet, ubi dolor locum mutat, quam ubi fixus is una in ſede inhæreſcit.

Non admodum huic diſſimile dolori tormentum in laxiore eo inteſtino eſt, quod Græci κῶλον appellant. Graviſſimus cruciatus multaque inflatio incidit per totum abdomen in profundo, idque dextra magis parte, ubi affectum inteſtinum eſt: ipſum enim hinc incipit, & ad ſiniſteriorem partem illorum in modum zonæ procurrit. Itaque juxta renes etiam hic coli dolor, & circa dorſum verſatur, itemque ſupra infraque umbilicum, magnam occupans ventris partem, modo dextram, modo ſiniſtram, vagus omnino, & inſtabilis: utique ſi a flatibus eſſe morbus cœpit, qui flatus ſæpe intus quodam veluti rugitu obmurmurant, arcteque concluſi, neque ore, neque alvo erumpunt. Non raro coli dolor uno in loco ſtabilis alte excruciat, eumque neque flatus, neque ructus lenit. Ipſum inteſtinum immaniſſime doloris tormento affligitur, ut terebello etiam pertundi videatur, ac pene ſpiritum elidere. Inter hæc autem vomitus crebro movetur, quo pituitoſa, varia, porracea, & æruginoſa vacuantur. Verum hoc doloris genus tum potius incidere conſuevit, cum pituita ſubeſt craſſa, ac maxime vitrea: utriſque generibus commune eſt, cibi cupiditatem, magiſque dulcioris ac pinguis amitti: ventriculum aſſidue, ac ſi pungeretur, dolere: multam ſitim, multumque aquæ bibendæ deſiderium eſſe, quod ipſum tamen potationibus non queſcit: ructum item fieri, & interdum hunc jamjam eructaturum protinus cohibere: alvum etiam adeo impeditam eſſe, ut nihil infra, ac ne flatum quidem emittere aliquem poſſit: tum ſi quid vel ſponte, vel arte redditur, id ſiccum eſſe, alias more ovilli ſtercoris in globulos intortum, alias, ut bubulum, leve, flatibus plenum, atque aquæ ſupernatans: urinam denique nimii doloris occaſione bileſcere, & interdum conſentientibus huic malo renibus retineri: ubi ad extrema ventum eſt, frigidos ſudores fieri, crebrumque ſingultum, & delirium, & nervorum diſtentionem, & extremorum refrigerationem, & ſyncopen incidere. Ubi ſalus futura eſt, excrementa non nimium retineri, dolorem mutari, atque etiam intermittere, ipſum ægrum poſt redditum ſtercus, aut poſt emiſſos flatus, levari, & in quiete eſſe, ſemperque facile durante morbo ſpirare, bonum eſt. Sæpe coli dolor in reſolutionem nervorum, vel in morbum tum articularem, tum comitialem, vel in hydropem tranſit: interdum etiam in volvulum abit, idque intra ſeptimum diem. Sed operæ prætium videatur inter hunc ipſum morbum, & coli dolorem, notis quibuſdam diſcernere. Omnia inteſtini gracilioris morbus atrociora, quam coli habet. Utrinque alvus comprimitur, acutiſſimi dolores, &

fre-

frequentes vomitiones fiunt. At ubi tenue inteſtinum morbum ſuſtinet, quoniam id magis ſentit, ſæviorem quoque doloris ſenſum exhibet, & celerius occidit, ejuſque rei cauſa hic ipſe morbus acutus eſt, prior eſſe longus poteſt. Adhæc ſub volvulo dolor magis tum dextra, aut ſiniſtra parte vagatur, magis ab umbilico ſuperius tendit, magiſque curatur per os ſumtis medicamentis, quam alvo injectis. Magis etiam ſubvertitur ſtomachus, & crebriores vomitiones fiunt, promptiuſque delirium eſt, & frigidi ſudores, & ſyncope, quam ubi in colo vitium eſt. Jam vero multis etiam ſignis, & coli & renum inter ſeſe conſentiunt, diſſentiuntque dolores: adeo ut, niſi arenula vel calculus exturbatur, ſæpe renum cruciatus, ſpecie colicorum, medicos etiam gnaros artis fallant. Ergo his differentiis uti licet. Nauſea, & vomitus, & cibi faſtidium magis urgent laborante colo, dolorque fere a dextra parte inferne incipit, & ſurſum ad ſiniſtram aſcendit. Idem ſæpe veluti circumire in omnem ventrem videtur, & plurima loca occupare, modo hic, modo alibi violentior. Dolor autem renum eodem ſtabilis loco eſt, niſi quod interdum ad coxendicem, vel ad teſticulum, qui e directo eſt, pervenit, fereque alterutrum latus juxta renem occupat.

Idem, etſi perinde ut coli dolor, non æque tam efficaciter ducta clyſteribus alvo, & emiſſis flatibus, remittitur: urina denique primum tenuis, pauca, & aquoſa eſt, & interdum hæc tota ſupprimitur: interpoſito tempore uberior fertur, & craſſa, & arenoſa, & bullans. Itaque hæc etiam urina ſignificare genus morbi poteſt quale ſit, quoniam dolor interdum etiam colicus, ex vitrea potiſſimum natus pituita, uno eſſe ſtabilis loco poſſit: ut autem emictis arenulis renum dolor conquieſcit, ita coli quoque ceſſat tormentum, frigido humore per alvum excluſo. Illud etiam addendum videatur: multis frequentem renum dolorem eſſe, coli non item. Præter hoc ipſum, quod propoſuimus, colici doloris genus, quod vere proprium eſt, & crudæ cauſas pituitæ, aut flatum ſequitur, aliud nonnunquam poſſe reperiri fatemur, cujus acris materia, ipſaque effectrix ſit bilis. Tum febricula oritur, & vehementior ſitis, & æſtus, & vigilia. Ipſe dolor non in variam regionem ventris divagatur, ſed unicam fere occupat duntaxat, idemque ſemper dejectione intenditur: urina admodum bilioſa, atque acris eſt: noxius etiam eſt calidarum tum epularum, tum potionum uſus. Magis ſtabilis uno in loco dolor eſſe coli ſolet, ubi id inteſtinum inflammatione cingitur, eſtque hoc genus morbi atrociſſimum, ſoletque non raro in volvulum tranſire. Valida febris multo æſtu, ardoreque afficit, intus juxta morbum pulſatio eſt, oriturque ſitis, nauſea, ac vomitus, præcipue bilioſus, ex quo tamen nihil dolores levantur. Alvus nihil reddit, & ipſa interdum retinetur urina. Coli inflammatio.

Obſervatum a doctis hominibus video, graviſſimis etiam doloribus urgeri peritonæum conſueſſe, vel certe has membranas, quæ abdomini ventriſque partibus obtenduntur. Hi dolores, etſi nullo jure ad coli tormentum pertinent, quoniam tamen æque graves ſunt, ac pene ſimiles, neque etiam ſpatii locorum multum diſſident, eos hic quoque ponere recte poſſe videor. Peritonæi dolores.

Sunt autem hi, ut graviſſimi, ſic admodum diuturni, neque ullis remediis, quæ coli debentur doloribus, miteſcunt; ſive datum medicamentum fuit, ſive adhibitum fomentum, ſive ſubtus injectus clyſter. Fere autem longas febres, & ea genera excipiunt morborum bilioſorum, qui non facile ſolvuntur. Sæpeque veluti quadam judicatione viſi ſunt continuas

febres,

febres, & tertianas, & quartanas hi dolores finiviſſe: idque ita tamen; ut longo poſt tempore, qua die febris eſſe acceſſio ſolet, eadem hi dolores quoque increſcerent.

Lumbrici. Lumbricorum, quos Græci communiter ἕλμινθας appellant, non una omnium forma eſt. Alii longi & teretes ſunt. Alii breviores & ad ſpeciem ſeminis concurbitæ lati. Alii exigui ſunt, tenues, ſimulque teretes, ἀσκαρίδας Græce dicunt. Communes hæ notæ ſunt duorum priorum. Per ſomnum dentes ſtridunt, multaque ſaliva ex ore defluit, quam homo ſæpius tum quoque devorare, quaſi mandens aliquid, videtur: vigilanti ſæpe pruriunt nares: & multa infeſta ſitis eſt, quæ poculis non ſedatur: interdum venter diſtenditur cum murmure, atque multa torſione, idemque non raro, ac ſi hydrope affectus homo eſſet, inflatur: acceditque ſubinde lævitas inteſtinorum, oculorum ſuffuſio, pallor faciei, ſudorque frigidus ac male olens. Nonnunquam ipſa etiam incipit affici mens: verum æger tum feſtucas non legit, ut in acutis accidit febribus, neque gravem dolorem capitis ſentit. Ipſi ſubinde lumbrici modo per os, modo per alvum, & interdum naribus etiam redduntur, iidemque noctu eſſe moleſtiores, quam de die ſolent. Per inediam autem maxime ſurſum repunt, tumque inteſtina, & præcordia, & ſtomachum morſionibus ſollicitant, ſimulque animi ſubinde inferunt defectionem, vel præfocationem, vel tremorem, vel morbum comitialem, vel ipſam denique ſyncopen: quibus malis ſæpe pueri oppreſſi, extinctique fuerunt. Præter hæc quæ proxime dixi vitia, etiam & coli dolorem, & caninam appetentiam, & boulimon, & cordis palpitationem a lumbricis fieri animadverſum eſt. Fere autem longis proprium eſt, ut in gracilibus inteſtinis gignantur, utque hæc morſibus per inediam impetant, & interdum in ipſum procurrant ventriculum, tumque dolorem moveant, & nauſeam, & vomitum, & ſingultum, ſiccamque tuſſim, & tenuem brevibuſque moleſtam intervallis. Iidem, cum forte ad ſtomachum perveniunt, difficilem deglutionem reddunt. Inter hæc autem alii per ſomnum edito clamore expergiſcuntur, & exiliunt e cubili, iterumque protinus ſopiuntur. Alii inter dormiendum linguam exerunt, aut dentibus ſtridunt, aut aliena loquuntur, ſimulque vario decubitu corpus jactant. Pueri etiam ſic formant os, ut quaſi eo tenere mammæ papillam, ac devorare aliquid videantur. Multis oculi ſanguineo rubore imbuuntur, itemque malæ: verum is rubor poſt paulo perit livore e novo victus.

Pulſus inæqualis eſt, obſcurus, deficiens, & recurrens. Nonnullis venter corruptum cibum dejicit, & flatibus intumeſcit, reliquum corpus ſine probabili cauſa extenuatur. Si febris incidit, ea ſine ordine, ac certe lege increſcit, ac ter quaterque die vel nocte temere recurrit, non ſine ingenti extremorum frigore. Minus in longis lumbricis periculi, quam in latis eſt, ſolentque his etiam illi eſſe frequentiores: præcipue vero pueros ab ipſa exercent infantia ad puberem uſque ætatem. Lati autem lumbrici, qui vel in cœco inteſtino, vel in coli cellulis naſcuntur, ut multa quoque habent, quæ eſſe familiaria longis dixi; ſic ſoli aſſiduis morſibus hominem fatigant, & ingentem, inſatiabilemque cibi cupiditatem inferunt: ut primum enim aſſumtum alimentum eſt, id ipſi continenter depaſcunt, quo jam conſumto, mordere inteſtina protinus incipiunt. Sæpe hi intus magna mirabilique inter ſe ſerie cohærent. Corpus autem quod occupant, macrum, imbecillum, atque inæquale reddunt. Porro ubi tenues lumbrici, quos Aſcarides nominari dixi, intus verſantur, in ano ſcilicet, ac recto inteſtino, multus in his locis pruritus eſt, ex quibus

bus interdum emergunt, & in femora, nateſque quoquoverſus prorepunt: ſæpius in dejecto ſtercore cernuntur, id quod adultis etiam hominibus non infrequens eſt. Inter hæc aſſidua oritur deſidendi cupiditas: homoque poſt redditam alvum rectius habet. Communiter autem omnis generis lumbrici pueros ſæpius exercent, utique ſi multa cruditate onerantur, vitioſiſque cibis longo ante tempore, ut caſeo, fructibuſque fugacibus uſi fuere.

Nunc de eo ani vitio loquar, quo venæ, quæ in eum explicantur, ſanguinem ſine modo fundunt, Græci αἱμορῤῥοΐδας nominaverunt. Tametſi æque etiam præter naturam ſit, ſanguinem in hæc loca delatum, pro conſuetudine inde vacuari non poſſe. Itaque cœcam hanc eſſe hæmorrhoidem dixerunt, quæ intuentibus non patet, ac vehementem in ano dolorem, maxime ubi durum alvi excrementum exprimitur, movet. Is dolor interdum adeo gravis eſt, ut ani inde ſequatur inflammatio: ubi vero aperta hæmorrhois eſt, ſanguinem ſemper in conatu, maximeque poſt extremam alvum, interdum etiam ultro fundit. Is ſanguis ſeorſim primum melancholicus, dein purus ac rutilus exit, interdum, quia in vacuo recti inteſtini concrevit, formam grumi rubentis habet. Itaque ab eo quoque differt, quem vel meſenterium, vel jecur, vel loci ſuperiores fudere. A meſenterio enim non multus fertur, ab jecinore infirmo verus ſanguis non defluit, ſed dilutus atque aquæ, qua carnem quis laverit animantis nuperrime mactatæ, ſimilis. A ruptis aut patefactis ſuperiorum locorum venis ſanguis manat picis ſpecie retorridus, ac niger. Externa hæmorrhois ex ano conſpicua utcunque prominet: quæ vero intus occulitur, ea ſine omni fere dolore, ſine tumore cruorem exprimit, iſque cruor ſimul cum ejectione exit, excremento alvi nequaquam miſtus. Hic fluor ſi nimius eſt, ingens periculum habet: tum vires hominis conſumuntur: vividus faciei color perit, gravitas in coxis, & multa in cruribus imbecillitas eſt: ipſe qui profunditur cruor, non jam amplius ater, atque craſſus, ſed purus ac rutilus eſt, neceſſarius naturæ theſaurus. Itaque ſi hoc vitium vetus eſſe cœpit, principium hydropis præbet. Nihilo leviora pericula fiunt, ubi in iis hæmorrhoides ſupprimuntur, qui ſanguinis profluvio imbecilliores non fiunt, quique purgationis vice id, non morbi habent: ſcilicet inclinata in præcordia aut in viſcera materia, ſubiti graviſſimique caſus incidunt, maximeque aut aqua inter cutem, aut tabes. Quare recte etiam præcepiſſe Hippocratem video, ſic curandas hæmorrhoides eſſe, ut ex multis una maneat aperta. Cui mature fluunt hæmorrhoides, hunc neque lateris aut pulmonis tentare inflammatio, neque ulcera exedentia, neque lepra, vel elephantia, neque vitiligo, ac neque melancholia, aut quartana febris ſolet. His autem fere morbis rapitur quiſquis fluentes hæmorrhoides intempeſtive curatas habuit. Melancholicis, vel renum morbo fluctuantibus, vel inſanientibus hæmorrhoides fluere cœpiſſe, bonum eſt. Tum his etiam nimium ſuppreſſis, commodum eſt aut menſtruum erumpere, aut ſanguinem e naribus ferri.

Hæmorrhoides.

Anus etiam inflammatione cingitur, maxime ſi vel dura equitatio anteceſſit, vel cœcæ hæmorrhoides dolorem in eo nimium moverunt. Sub quo caſu alvus propter ani tumorem difficillime redditur, & interdum multis diebus retinetur: maximus dolor ineſt, qui & compreſſo ano, & dejectionis nixu ſumme exaſperatur. Ex eo malo febricula interdum oritur, utique ſi longo jam tempore nihil alvo redditur. Qui abſceſſus ab

Ani inflammatio.

inflam-

inflammatione gignitur, is ſæpius in recti inteſtini cavum erumpit, tum ulcus fit, ex quo jam tum ſordido pus fertur.

Fiſtula ani. Id ulcus propter loci naturam facile ac brevi in fiſtulam vertitur, quæ poſt difficillime remediis cedit: verum diutiſſime dolore etiam ſedato, manat, puſque fundit ante primam alvum, aut certe, ſi media id dejectione fertur, excrementis non miſtum.

Vulneratio gulæ, ventriculi & inteſtinorum. Noviſſimum id modo ſupereſſe videtur, ut notas proponam, quibus vulnera totius ejus itineris, quo cibus ab ore per anum fertur, obſervari poſſint. Ergo icta gula, neque epulæ, neque pocula tranſeunt, ſed ut primum ſummi cœperunt, vomitione redduntur: accedit ſingultus, animi defectio, & interdum nervorum diſtentio. A percuſſo ventriculo, frequens bilis vomitus, atque ſingultus incidunt, quicquid cibi vel potionis ſumitur, id protinus vomitur, pulſus elangueſcit, tenues ſudores extremis frigidis oriuntur, quos ipſa demum excipit mors. Communia vulnerati tum ventriculi, tum tenuis inteſtini indicia ſunt, cibum, potionemque per vulnus ferri, & in vacuum labi abdominis ſpatium, inde ventrem, præcordiaque intumeſcere, & ſubinde bilem vomi. Cetera icta inteſtina, vel ſtercus, vel ejus exhibent odorem.

Obſervationes in vitiis meſenterii, jecinoris, & lienis utiles.

NON levis meſenterii vitiis debetur obſervatio. In hanc enim ſedem facile defluunt venarum ſuperflua, indeque graviſſimorum fiunt principia morborum, choleræ, melancholiæ, fluxionis alvi, torminum, mali habitus, atrophiæ, languoris, lentarum & errantium febrium, aliarumque difficilis notæ ægritudinum. Ubi hæc pars tumore citra inflammationem obſidetur, is fere primum laxus eſt, ac mollis, inde prorſus ſpatio ſiccatus, indureſcit. Idem quoniam (ut etiam ipſa pars) ſine dolore eſt, tactu maxime preſſoque exploratur: alte enim intus eſſe ſepultus animadvertitur.

Tumor meſenterii ſine inflammatione.

Itaque ipſa quoque urget, arctaque inteſtina, & cauſam tardioris alvi præbet. Non ita tumor muſculorum abdominis, non venter adipis mole prominens ſe habet. Neutrum enim inteſtina, vel alvum ſollicitat: adeps etiam manu apprehendi, & diſtingui ab abdominis muſculis poteſt: hi ubi tumorem ſuſtinent, primo contactu occurrunt, tumque ſemper, ubi premuntur & interdum non preſſi dolent. Foras item horum prominet tumor non preſſu, ſed blando tractu perceptibilis, & figuram, qualis eſt recti in abdomine muſculi, oblongam habet.

Inflammatio meſenterii. Inflammatione etiam rapi meſenterium ſolet. Tum gravitas quidem intus, & nullus manifeſtus dolor ineſt: febris oritur levis, nullis moleſta caſibus gravioribus, ita ut ſub ea vitæ etiam obire munia homini liceat; incipiente morbo, ſanies per alvum rubra quædam fertur: orto abſceſſu, pus album defluit, ſæpiſſime alvi permiſtum excrementis, interdum etiam ſine miſtione ſincerum magna copia dejicitur, utique ſi morbus verſus noviſſima vergit inteſtina. Certiſſimum eſt, id genus puris a ſolo ferri oportere menſenterio, quoniam ab aliis locis deſcendere ſine dolore, vel ſine miſtione, vel ſine febre vehementiori non poteſt.

Jecinoris intemperies. Nunc jecinoris proponam vitia, quæ generis varii, & multæ eſſe obſervationis ſolent. Si id viſcus impenſius calet, ut inedia inimiciſſima eſt, ita tamen cibi amittitur cupiditas, maximeque carnis: frequens etiam ac multa ſitis eſt: ipſe homo toto corpore calet, præcipue palmis, & plan-

& plantis pedum: quæ partes etiam, ſi ad calorem ſiccitas acceſſit, inareſcunt; ſi humor, madent. Fere autem contraria his contingunt, ſi jecur frigidiore, quod raro fit, intemperie labefactatur. Et quidem ſi materia etiam qualitatum intemperantiis (quod fit ubi hæc diutius immorantur) acceſſit, ſi jecur calore urgetur, bilis eſt, quæ ſubinde vomitu, vel alvo extunditur, primum tenuis, ac pallida, dein craſſa, flava, ac fœtida. Inter hæc autem os amareſcit, vehementior & inappetentia, & ſitis oritur.

Interdum & febris movetur, quæ fere intermittens eſt tertiana, vel incerta, vel, ſi jecinoris quoque radicitus vitiata ſubſtantia eſt, lenta, per quam corpus interpoſito ſpatio ſenſim contabeſcit. Frigidi humoris notæ ſunt, alvus nec frequens, nec multa, ſine fœtore, ſine multa coloratione: rara febris tertiana: corpus quidvis potius, quam macrum, ceteraque alia contraria ſuperioribus ſignis hic ſigna eſſe poſſunt.

Imbecillo jecinore multa obſervari poſſunt, in quibus color corporis maximeque faciei, & alvi dejectio facile principem locum tenent.

Facies triſtis quodam pallore, aut virore fœdatur: dejectio, ſi quidem parum jecur trahendo valet, liquida ut cremor eſt, tametſi eo tempore nullum vitium ventriculus, vel meſenterium ſuſtinent. Id enim ſi hic eſſet, vix ullum concoctionis rudimentum, quod dejicitur, haberet. Quod ſi jecur non retinet, jam tum varii, difficileſque incidere caſus a profuſione alvi poſſunt. Eoque vitio raptos, fluxuſque factos, Græci proprie ὑπατικοὺς, nos jecinoroſos appellamus. Dejectio primum ſimilis eſt aquæ, quæ nuper mactatæ animantis carnis ablutæ ſunt, ſanioſa ſcilicet, atque ſubcruenta. Interpoſito ſpatio, eadem varie mutatur, prout jecur varie intemperatum eſt. Quum enim id caloribus urgetur, fæculentus atque ex aſſatione craſſus, ac melancholicus ſanguis dejicitur, noviſſimeque ipſa etiam atra profluit bilis. Inter hæc totum corpus liqueſcit, febris oritur, & cibi faſtidium, & ſitis, eſtque pulſus celer, & urina bilioſa. Ceterum ſi ſine calore infirmum jecur eſt, parumque ea occaſione retinet, dejectio ſequitur ſanguinis limoſi, ac veluti in grumos coacti, eademque neque aſſidua, neque multa eſt, diverſi excrementorum fere coloribus imbutis, certis tamen temporibus cumulatior eſt, ac ſemper haud multum fœtens: ipſum diutius trahitur malum, ac ſine febre incipit: quanquam interdum languida ea oritur, putrefacto in viſcere ſanguine. Porro ſiccitas craſſiorem & magis aridum humorem qui effunditur, facit: humiditas magis tenuem, & dilutum. Facile jecinoroſa dejectio hæc, qua cruenta redduntur, a torminibus diſtingui poſſe videtur: in his enim ſanguis cum dolore, roſione, & ſtrigmentis ſenſim, brevibuſque intervallis paucus exprimitur. Contra autem jecinore male retinente, cruenta feruntur ſine dolore, ſine ramentis, idque cumulatim, & majoribus intervallis, duorum ſcilicet, & interdum trium etiam dierum. Si rupta intus vena, aut adaperta ſanguis dejicitur, is ab inferioribus locis fere purus fertur, parum nigreſcens: a ſuperioribus autem protinus ater, ac liquidæ pici ſimillimus, quo tamen tincta lintea rubent: ut hac nota is quoque facile diſſidere ab atra bile poſſit. Si mutilato membro grandiori, aut propter neceſſaria ſolitæque vacuationis compreſſionem ex alvo ſanguis diffluit, is multa copia purus ſubito prorumpit, ſubitoque deſinit, longiſſimis ſpatiis temporum recurrens. Qui autem ab ulcere jecinoris cruor manat, is perexiguus admodum eſt: ſenſimque deſcendit multo virulento, turbidoque pure imbutus. Leviculus etiam doloris tractus juxta jecinoris ſentitur regionem, atque ejus ulceris quod illic inhæreſcit, aliquæ ante notæ fuerunt.

Jecinoris imbecillitas.

Dejectio cruenta quæ jecinoris vitio fit.

runt. Eodemque modo propriis noſci ſignis inflammatio jecinoris debet; quæ ſanioſam ſubcruentamque alvum fecit. His animadverſis omnibus, facile conſtat, quæ diſcrimina inter dejectiones ſanguinis jecinorarias & has quæ proxime ſunt comprehenſæ, haberi ponique oporteat. Ceterum per hanc jecinoris imbecillitatem, quæ modo proponitur, ſæpe ultro ſanguis vel e naribus, vel ex utero, vel per hæmorrhoidas, vel cum ſputo effertur. Idem morbus, ubi ſpatium temporis accipit, aut in malum corporis habitum, aut in ipſum vertitur hydropem. Quod ſi prius atra dejici bilis incipit, quam hi morbi naſcantur, ſcire licet ægri vitam in præcipite eſſe. Huc modo referenda quoque ea jecinoris videtur imbecillitas, qua tametſi id ſat probe trahit, retinetque, at debiliter concoquit tamen & imperfecte ſanguinem creat. Itaque ſub eo vitio cruditates humorum oriuntur, dein pedes, & mox reliquum corpus intumeſcit. Eſt id genus noxæ his perfrequens, qui a morbo vel gravi, vel longo convaleſcunt, & quos hydrops, aut durus jecinoris aut lienis tumor, aut longa aurigo labefecerunt.

Jecinoris obſtructio.

Nullum æque viſcus obſtructionibus, ut jecur, patet. Ea ſic noſcitur. Quo loco jecur eſt, in hunc gravitas (maxime cum quis protinus a cibo exercetur) & diſtentio incidit, cui ut obſcurus quidam dolor, ſic nullus tumor, nulla febris accedit. Sub eo vitio fœdus in vultu color eſt: ſpiritus interdum non facile trahitur, utique ſi homo iter facit, altioremque ſuperare locum contendit: urina tenuis, diluta & aquoſa eſt: alvus, ſi ſima pars jecinoris obſtructionem ſuſtinet, liquida eſt cremoris ſpecie, & multa, interdum (ut quidam volunt) etiam ſubcruenta: eadem, ſi gibbum viſceris laborat, compreſſa, ſiccaque eſt: ſi utrinque vitium eſt, alvus modo adſtricta eſt, modo liquida. Multos hoc malum graveſque caſus infert. Fere enim qui morbus jecinoris cauſa incidit, ſive inflammatio ſit, ſive durus ſine dolore tumor, ſive hydrops, ſive febris, ſive atrophia, vel alvi fluxiones, ita fieri prægreſſis viſceris hujus obſtructionibus videtur.

Jecinoris durus ſine ſenſu tumor.

Inveteraſcente jecinoris obſtructione, interdum durus inſenſibiliſque in eo gigni tumor ſolet, quem Græci σκιῤῥὸν dixerunt. Is tumor viſceris ſitu & figura circumſcriptus tangenti renititur ſemper (niſi ſi durius premitur) doloris omnis expers. Facilius autem ſentiri, ſi quis in dextrum latus decubuit, poteſt, quam ſi idem ſit ſupinus: tum enim tumor non niſi preſſu deprehenditur. Magis etiam is ſeſe prodit, ſi nondum principium hydropis eſſe cœpit, ſimulque gracile atque expers adipis abdomen eſt. Semper autem commodior dextra parte decubitus, quam ſiniſtra eſt: vultus obſcurum, fœdumque colorem habet: ſpiritus difficulter trahitur: languet appetentia: ſumtis epulis homo gravatur, detractis rectius habet: ubi jam vetus ſit malum, maxillæ quodammodo laxantur: urina non æque largiter, ut ante, profluit, tandemque totus venter, crura, pedeſque intumeſcunt, pectus atque humeri extenuantur. Itaque tum (quoniam initio parum occurſum fuit) hydrops naſci incipit, qui ut primum jam acceſſerit, nulla ægrum medicina periculo ſubtrahit. Æque horrendum eſt, durum jecinoris tumorem aurigine initia præbuiſſe, aut viciſſim hanc ex illo eſſe cœpiſſe. Tum enim id hydrops ſequitur genus, quod ἀσκίτην Græci appellare ſuo loco dicemus. Quum frigidus autem humor jecinori impactus longo temporis ſpatio durum tumorem fecit, is fere nullo vitæ incommodo diu immoratur: aut certe ſi in hydropis ſpeciem aliquam vertitur, primum in vitium mali habitus, dein in leucophlegmatiam, quam ſic Græci vocant, tranſit.

Jecinoris inflammatio.

Quum jecur inflammatione tentatur, febris fit ardens & acuta, dextro præcordio

cordio tumor ineſt, cui dolor jungitur, qui ad nothas ejus lateris coſtas pervenit. Itaque levis quoque tuſſis, & crebra, & ſicca oritur, ſpirandique difficultas: accedit ingens ſitis, cibique faſtidium: tum lingua ſcabroſa redditur, & lentore oneratur, primum flavo, dein nigricante: quin etiam frequens movetur ſingultus, & nauſea, & vomitus ſinceræ bilis, tum vitellinæ, tum æruginoſæ, & ſub vehementi morbo, ipſius etiam atræ. Idem humor ita ſubinde violenter per alvum erumpit, ut grave ejus profluvium, aut tormina concitet: urina craſſa eſt, rubicunda, ac turbida: totum corpus ſæpe auriginis colore imbuitur. Quidam urgente acceſſione deſipiunt, ſimulque acerrimum mejunt. Si gibbum viſceris afficitur, tumor evidens, qui injecta manu, & interdum viſu deprehendatur, dextro hypochondrio, ubi jecur ſitum eſt, inhæreſcit: mox etiam frequentior tuſſis, majorque oritur ſpirandi difficultas: ipſe perſtringit non ſolum nothas coſtas dolor, verum etiam ad jugulum uſque, & ad ejuſdem partis humerum pervenit. Interdum manus quoque dextra torquetur: adhæc gravitas in affecto loco major eſt: parum urinæ mejitur, atque, cum grandior eſt tumor, etiam nihil: rarior, minorque incidit ſingultus: tota corporis cutis novo colore imbuitur. Moleſtius in dextrum latus decumbitur, premitur enim tum pars infirma, magiſque dolet. Porro ubi in cava parte viſceris magis conſiſtit inflammatio, minor quidem gravitas ſubeſt, at faſtidium cibi, ſitis, nauſea, vomituſque bilioſus vehementius urgent: ipſeque homo ſingultu pene ſtrangulatur. Tum lingua etiam nigrior eſt, promptiorque bilioſa dejectio, & ſummi corporis refrigeratio, & ſyncope. Magis etiam aliquis, ſi in ſiniſtram partem decubuit, urgetur. Quæ hic inhæreſcit inflammatio, ſecurior eſt ea, quæ gibbum jecinoris occupat: hæc ſudationibus aut fuſis urinis, aut manante e naribus ſanguine tollitur: illa ſudoribus quoque, ſed & cita alvo, aut vomitu conquieſcit. Hactenus ea ſigna poſuimus, quæ vehementiori debentur jecinoris inflammationi. Verum hæc tamen (quod nos frequenter uſu medendi obſervavimus) adeo interdum levis, parvaque eſt, ut dolor, gravitas, totuſque morbus magna potius reſpiratione deprehendi, quam tactu debeat. Omnia ſub hoc caſu mitiora ſunt, ipſumque vitium multis ſæpe menſibus trahitur. In quavis jecinoris inflammatione, ſi crudo etiamnum morbo & viribus infirmis, alvi oritur profluvium, malum eſt. Inimica etiam corporis liquatio, præcipue ſi vel raucitas, vel multa ſimul tuſſis accedunt. Mortiferum eſt ſpumantem ſanguinem exſcreari, vel ſputum ſtatim ſubputridum, vel ſincere bilioſum eſſe. Haud raro morbus, ubi non ſolvitur, ſuppurat, orituraque abſceſſus prorſus exitialis. Is ubi jam fieri incipit, febres increſcunt & dolores, nihilque fere de loco affecto defluit: decubitus in omnem partem corporis moleſtus eſt, ipſe æger ſæpe ſine ordine, ſine certa cauſa inhorreſcit, moxque majoribus caloribus urgetur. Facto pure, dolores quidem, ardoreſque minuuntur; at homo longe fit imbecillior, id quod pulſu frequenti, parvo ac languido, crebraque animi defectione cognoſcitur. Hæc defectio, ubi rupto abſceſſu pus effluit, increbreſcit, & pene in ſyncopen tranſit, ex quo caſu ſervatus vis unquam quiſquam fuit. Quod ſi vita tum quoque manet, pus modo per alvum, modo per urinas defluit, & interdum vomitione quoque redditur. Non ſæpe etiam exeſo viſcere in abdominis excidit cavum ſpatium, fitque extialis hydrops, quo venter manifeſte intumeſcit, & inguina, pubeſque gravitatem multam habent. Ulcus autem ſi jecinore relinquitur, nunquam ſaneſcit, hominemque ſpatio extenuatum conſumit: tum alvus putrida eſt, & ſanioſa, & nonunquam ſubcruenta,

ac ſi ex cadavere eſſet facta colliquatio: ipſa quoque urina ſanie perfuſa eſt, maxime ſi in gibbo jecinoris vitium fuit.

Jecur quoque corruptionem tota pati ſubſtantia, ut pulmo, ſolet, unde homo ſpatio contabeſcit. Is morbus ſenſim oritur, ſenſimque creſcit: quare per initia hominem lecto non affigit, ſed obire etiam munia vitæ ſinit, tumque febris eſſe nulla deprehenditur, quæ tandem tamen creſcente admodum malo lenta oritur, qualem primo libro propoſuimus. Non ingens ſitis, non tumor in hypocondrio eſt: ſummum vini meraci optimique deſiderium, maximum carnis, & præcipue calentis faſtidium afficit: totus homo languet, tum animo, tum corpore, ſæpe anima deficit, idque ubi tandem violentius fit, ſudor frigidus erumpit, ſub quo æger perit.

Tumor lienis. Lien ſæpius quam jecur tumore, tum laxo, tum duro oneratur. Creber ac difficilis ſpiritus eſt, maxime currentibus, vel intente laborantibus, vel in dextrum cubantibus latus. Fere manet appetentia, ſed male cibus concoquitur, unde fluctuatio gignitur, & multa oris ſaliva, rugitus etiam in ſiniſtro hypochondrio auditur, & flatus ſupra infrave plurimus editur. Interdum morbi materia ita corrumpitur, malignaque fit, ut totum quoque impetat corpus, idque vel ictero, vel malo habitu turpe reddat. Sub eo malo habitu os male olet, gingivæ exeduntur, & a dentibus diſcedunt: loca ſub inferiori palpebra tument: ſanguis aliqua parte, præcipue e naribus funditur: dum intus epulæ concoquuntur, acidum quid evomitur, tametſi vomitus in eo morbo ſemper difficilis eſt: alvus ſæpiſſime eſſe adſtricta ſolet: venter ſiniſtra parte intenditur: aliquis etiam veſperi cruribus eſt tumor: vultus pravo obſcuroque colore fœdatur: per quietem turbulenta, & aliena fiunt inſomnia. Jam ſi neque ſanguis uſpiam erumpit, neque os fœtet, ulcera in tibiis fiunt, quæ aut omnino non ſaneſcunt, aut ægerrime cicatrice teguntur. Et quidem ſi durus lienis ſine ſenſu tumor eſt, quem Græci σκιῤῥόν appellant, is alias ipſius viſceris obſidet corpus, ſitu, & partis figura circumſcriptus, alias totum undique ſiniſtrum occupat hypochondrium. Idem longiore tempore, quam is qui laxus eſt, contrahitur, duritiem, omniaque graviora & majora habet. Nihil æque ſignificare lienis, aut jecinoris vitia, atque color hominis poteſt, adeo ut ex eo quidam ſolo non exploratis tactu viſceribus, morbum deprehendant. Tumor autem lienis iis inſidiari ſolet, quibus crebro inciſa vena ſanguis profunditur, & quibus vagæ & incertæ febres, maximeque peſtilentiales fuere. Solet autem is plus habere ſpatii, & minus periculorum, quam ſi jecinori inhæreſceret. Sub eodem vitio ſi pedes intumeſcunt, in proximo hydrops eſt. Periculoſum eſt ſæpe tentatam medicinam non profuiſſe: urina etiam tuta non eſt, quæ diu tenuis & aquoſa fertur: tormina non longa in eodem morbo utilia ſunt, ſæpeque malum ex toto finiunt: verum ubi hæc inveteraverunt, nocent: & quidem tum ſi eadem hæc vel in lævitatem inverſa ſunt inteſtinorum, vel in hydropem, nulla ſuccurrere medicina poteſt. Quilibet lienis tumor curationem per initia difficillimam habet: at ſi is trahere incipit, nunquam, aut ægerrime tollitur. Decreſcente liene, ſalutiferum eſt urinam, amiſſo aquoſo colore, ad ſanguineum vergere cœpiſſe, aut craſſam, fæculentam, multamque ferri. Quo magis grandeſcit lien, eo impenſius corpus emacreſcit, corrupti intus humoris argumentum. Varii eventus eſſe tumidi lienis ſolent: aliis enim per intervalla modo grandeſcit, modo minuitur: aliis aſſidue magnus manet, neque ulla curratione extenuatur, atque hi majore in periculo verſantur, hydropi magis opportuni: non paucos etiam videre memini, cum duro liene vitam omnem nullo incommodo exegiſſe.

Inflam-

Inflammato (quod raro fit) liene, durus tumor, ac pulſans, dolorque ſiniſtrum obſidet hypochondrium, cum aſſidua vehementique febre. Ingens etiam æſtus atque ſitis eſt, linguaque ſubnigro lentore oneratur, cibi ammittitur cupiditas, ſpiritus fit difficilis, ac velut imperfectus, qualis eſſe per iram ejulantibus pueris ſolet. Si abſceſſus fit, itemque ulcus, iiſdem prope notis hic deprehendi, quibus in jecinore, poteſt. Lienis inflammatio.

Proximum eſt de atra bile dicere; quem morbum miror (tam frequens cum ſit) non niſi ab uno, & altero noſtrorum hominum agitatum literis eſſe. Siniſtrum hypochondrium neque tumet, neque diſtenditur, opprimiturve, nec unquam, niſi forte obſcure, dolet, verum præcordia æſtuant, præcipue vino aut calidioribus epulis aſſumtis. Siquidem hæc non facile concoquuntur, fitque plurimus tum ructus, tum flatus. Arteriæ in præcordiis ſupraque umbilicum vehementer moventur, ipſaque oritur ingens, crebraque cordis palpitatio, quam animi ſubinde excipit defectio, quo tempore pulſus etiam protinus mutatur. Inter hæc quibuſdam incipit aliena eſſe mens, vanaque triſtitia, ac metu concuti. Longus hic morbus eſt, ſæpeque victus errore revertit. Atra bilis.

Nunc de communibus vitiis loquar, quæ tum jecinoris fieri occaſione, tum lienis poſſunt. Incipiam ab Aurigine, quam Græci ἴκτερον dicunt. Sub eo morbo bilis vel flava, vel atra in ſummum corpus effuſa, ſuo id odore inficit. Hic color maxime in oculorum albo, & circum tempora cernitur. Ubi a flava bile morbus oritur, fit capitis dolor, & ſitis, venæque ſub lingua plenæ tument, ingens corporis, maxime cum id movetur, ſegnities, ac mentis hebetudo eſt: aliquis etiam pruritus tota cute vagatur: ipſum tamen vix ſudat corpus. Semper autem, quacunque de cauſa natus morbus eſt, accedit membrorum laxitas: &, ubi vehementius homo movetur, ſpirandi difficultas, multo autem interpoſito tempore, totum corpus cum pallore quodam inalbeſcit: febris aut nulla, aut admodum lenta inhæret: urina turbida, craſſa, & crocea eſt: alvus, ſi quidem bilis intus cumulata morbi cauſam dedit, penitus bilioſa eſt: ſi vero quæ ad bilis folliculum pertinent itinera obſtruuntur, dejectiones albicant, nulla amari humoris in alvum illapſa parte: deſcenditque paucum ſtercus, & ſubviſcoſum, idque paulatim, & crebro ad deſidendum progeſtu: tum quoque urina adeo rubra, craſſaque eſt, ut prope nigreſcat: ſenſus etiam gravitatis aliquis, at nullus evidens tumor dextra præcordiorum parte percipitur. Porro icterus ſi lienis ſequitur affectum, obſcuriore primum colore corpus inficit, dein ſublivido & ſubnigro: tum fere ſiniſtro hypochondrio gravitas ineſt, & ſubdurus interdum tumor: triſtior & animus, atque alienis cogitationibus præpeditus: corpus minus grave, quam in ſuperiore vitio eſt: dejectio atque urina, modo pro natura ſeſe habent, modo ſubnigra ſunt: ſæpius tamen alvus comprimitur. Hoc genus icteri ſuperiore gravius eſt, & magis in vetuſtatem cadit. In eo ipſo hæmorrhoides fluere cœpiſſe, bonum eſt. Nunquam lien flavum icterum fecit, jecur ſæpe nigrum, tametſi hic iſte non æque per omnia niger eſt, ut is qui propter affectum lienem gignitur. Undecumque autem is eſſe morbus cœpit, periculum hydropis minatur, ſi urina prorſus alba, aut certe multum diluta diu fertur. Idem hydrops iis etiam inſidiatur, quibus gravis aurigo, longaque fuit. Etenim ſpatio niger quoque lapillus in bilis concreſcit folliculo, quem caſum nunquam fere non hydrops ſequitur. Pernicioſſimum eſt durum fieri jecur, aut ex hoc prius duro natam auriginem fuiſſe. Ea enim res extra omnem opem humanæ medelæ eſt. Periculum etiam habet orta inflatio, maximeque ſi ea curationibus non ſolvitur. Aurigo.

Tutum quoque non eſt nimiam vigiliam eſſe, itemque penitus amiſſam cibi cupiditatem, aut linguam reſolutam, ſic ut vix formare æger ſermonem poſſit ſuum: metumque auget, delirium ſi his intervenerit. Grave etiam eſt poſt natam auriginem, febrem ſequi, utique ſi dextra præcordia dura manſerunt. Præter hanc auriginis ſpeciem, quam veram eſſe perhibemus ac ſimplicem, alia atque alia eſt quæ ſimplex non eſt, quæque multo rarius incidit. Siquidem ubi jecur inflammatione tentatur, corpus interdum præ ſanguinis incendio undique torrefacta bile ſuffunditur: ſub quo caſu præter dextri hypochondrii gravitatem, tenſionem, & dolorem, vehemens ardenſque febris oritur: & accedit bilioſa tum urina, tum dejectio: ceteraque ſigna ſequuntur, quæ jecinori inflammato jungi ſuo loco demonſtravimus. Aliud quoque auriginis genus fit per febrium bilioſarum judicationes, cum flavus humor vi naturæ in ſummum corpus extruditur, ſuumque cuti imprimit colorem. Subito hæc aurigo naſcitur, &, ſi non alieno tempore fit, febrem abſolvit. Tempeſtive eam fieri Hippocrates ſcripſit, die ſeptimo, aut nono, aut undecimo, aut decimo quarto, modo tamen mollia præcordia ſint: ante ſeptimum febris diem ſi oritur, periculum oſtendit.

Hydrops. Grave in primis malum & obſervatione non pauca dignum, aqua inter cutem eſt, Græci ὕδρωπα vocant. Tria ejus numerantur genera. At primum quidem eſt, cum toto eo ſpatio quod inter peritonæum & inteſtina vacuum eſt, multa aqua coit, unde totum abdomen diſtenditur. Græci id ἀσκίτην appellant. Secundum eſt, cum hæc loca quæ, dixi plurimus intus, flatus onerat, quod vitium τυμπανίτης Græce dicitur. Noviſſimum genus aquæ ſubter cutem eſt, quod Græci λευκοφλεγματίαν nominant. Corpus molli tumore grandeſcit, maximeque tibiæ ac pedes, λευκοφλεγματία. cum alias tum veſperrime & poſt exercitationem, aut quum diu declives hæ partes fuerunt. Is tumor ſi premitur, foſſulam quæ tarde rurſus impletur, habet, impreſſi digiti veſtigium: idemque ſæpe tumor & ad femora, & ad ſcrotum pervenit, quique veſperi ingens in pedibus erat, mane omnem pene molem depoſuit. Venter ad contactum craſſus eſt, nihilo tamen fere plus tumoris huic, quam ceteris partibus ineſt. Corpus ſiquidem æquabiliter molle, laxum, ac pallidum eſt, idemque enerve, ac languidum minimis laboribus frangitur. Ipſe trahitur acervatim ſpiritus, maximeque ſumtis epulis, febris item lenta continenter afficit: pulſus undoſus eſt, & parvus, & creber, & inæqualis: dejectio cruda, & non ſæpe ſubcruenta eſt: urinæ albæ, tenues, aquoſæ. Hoc genus hydropis fere diuturnas febres excipit, vitioſumque ventriculi habitum, & nimium compreſſos nimiumve fluentes tum menſes, tum hæmorrhoides; adhæc ſpiritus longam difficultatem, & immodicam vigiliam. Idem pueris ſæpius quam adultis inſidiatur, ſolaque magnitudine a pituitoſa differt cachexia, quod in illo plus, in hac minus tumoris inſit. Fere autem fit ut qui ſic laborant, modo rectius ſeſe, modo pejus eodem etiam die habeant. Morbo autem incipiente, ſi alvus ſponte profluit, principium ſecundæ valetudinis facit.

Ασκίτης. Proximum eſt notas, quibus Aſcites deprehendatur, proponere. Venter, totumque abdomen cum quodam gravitatis ſenſu intumeſcit, & quum impellitur, ſonum collectæ permotæque intus aquæ præbet, qualis ab utre non omnino aquæ pleno redditur. Hic humor totus modo intra ſpatium abdominis includitur, modo pars ejus aliqua in ſcrotum, & in femora, & in pedes delabitur, maximeque poſt corporis exercitationem. Sæpe etiam & ad pectoris penetrat ſpatium, intra ipſum etiam uterum, utique cum

cum jam magnus morbus, & vetus esse cœpit. Ubi premitur tumor, spiritus fit difficilis. Fere autem semper vehemens adest sitis: pulsus parvus, frequens, subdurus, atque tensus est: urina perpauca mejitur, eaque fere crassa & rubicunda est, utique si ab jecinore ortum primo malum fuit: totum autem corpus, demto ventre, extenuatur, ac veluti liquescit: subinde etiam frebicula, corrupta intus aqua, nascitur. Hic iste hydrops fere duros veteresque mesenterii, jecinoris, lienis, vel uteri excipit tumores, itemque ardentissimas febres, & ex viscerum noxa contractam, diuque immoratam auriginem. Idem infrequentior pueris est, quam adultioribus, fereque eos etiam adoritur, qui propter viscerum ruptam vel exesam venam, crebro sanguinem vel vomitu, vel alvo reddunt.

Supereſt modo noviſſimum hydropis genus quod a flatibus oritur, & ob id Τυμπανίας Græcis appellatur. Venter, etſi minus quam in Aſcite habeat molis, ita tamen tenditur vehementer, ut digito percuſſus tamquam tympanum ſonet: idem parum fluctuat, ſed leve murmur, ac quendam veluti rugitum exhibet: frequens ructus deſiderium eſt, eoque edito levari aliquantulum homo videtur: pedes non uſque adeo ut in ceteris generibus hydropis tument: reliquum corpus extenuatur. Sæpe hoc malum ventriculi & coli inflationibus, itemque longis febribus ſucceſſit. Illud recte ab Hippocrate animadverſum video: quibus tortiones, & circa umbilicum, circaque lumbos dolores ſunt, qui neque medicamentis, neque ullo alio modo ſolvuntur, iis in hoc ipſum genus ſicci hydropis iſta conſueſſe firmari. Aſcites atque Tympanias ſic a Leucophlegmatia differunt. In hac totum corpus laxa mole æqualiter creſcit, venterque nihilo plus hujus, quam ceteræ partes habent. At in illis prioribus ſolus venter attollitur, eſtque aliquis pedibus tumor, ſed reliquum corpus emacreſcit. Pulſus ſub Leucophlegmatia undoſus eſt, mollis, & latior. In Aſcite parvus, creber, ſubdurus, ac tenſus. In Tympania longior, celerior, creber, non imbecillus, ſubdurus, ac tenſus. Illa ferre omni hydropi communia ſunt. Ubi his nondum quidem eſt, ſed ut fiat metuitur, ſolitas naturæ vacuationes præter modum compreſſas eſſe, potiſſimum hæmorrhoides atque menſes, aut contra aliquid ex his ipſis æquo plus vel diutius ferri; adhæc vel durum in jecinore atque liene tumorem, vel auriginem, inteſtinorumve levitatem inveteraſcere, neque idoneis tolli remediis potuiſſe; præterea diu malos ſuccos, malumve corporis habitum fuiſſe (illud Græci κακοχυμίαν, hoc καχεξίαν dicunt.) Sed & inter hæc vel teſticulos interdum intumeſcere, appetentiamve modo ingentem, modo nullam eſſe. Ubi vero morbus invaſit, inferiora corporis a ventre ad pedes uſque tumorem exhibere, ſpirandique eſſe difficultatem, & colorem hominis vitiari ex virore ſcilicet albicantem: adhæc cibi incidere faſtidium, itemque ſitim, ac ſiccam tuſſim, tametſi prior illa magis peculiaris ſit Aſciti, & tuſſis arida Tympaniæ. Æque communia ſunt ſemper in hoc morbo jecur affici, & humoris nimiam abundantiam eſſe, ob quam ne ulcera quidem in corpore facile ſaneſcunt. Hydrops ſæpe per ſe incipit, ſæpe alteri vetuſto morbo, potiſſimum quartanæ, ſupervenit. Fere autem eum aqua repletum iri timor eſt, cum ſanguis ubertim ſupra infrave erupit, itemque febris acceſſit: ex quo caſu vix quiſquam evadit. Tutius laborant hi, quibus magni modo fiunt tumores, modo rurſus occuluntur. Verum decipit ea ſæpe res ægrotos, penituſque facit, ut curationes negligant medicorum, ac pereant, fiducia ſecundæ valetudinis falſi. Securior cenſetur hydrops, qui lienis, quam is qui jecinoris ſecutus tumorem eſt. Securiſſimus, qui nullo antecedente morbo cœpit: utique ſi firma viſcera ſunt: ſi ſpiritus

Τυμπανίας

facile trahitur: nulla aut tuſſis, aut ſitis, aut linguæ arditas eſt, præcipue a ſomno, quo tempore incidere illa maxime ſolent: adhæc ſi nullum cibi faſtidium, eoque ſumto, nulla homini moleſtia eſt, ſi venter mollis eſt vel extenuatur: ſi is ipſe accepto medicamento movetur, aut ſi excrementum fundit molle ac figuratum: ſi urina, mutatione potionum, aut epotis medicamentis, ipſa protinus demutatur: ſi homo expers doloris, & caloris, & laſſitudinis eſt, morbumque facile ſuſtinet. Qui omnia hæc habet, is tuto laborat. Bonum autem eſt, tumores in extremis tantum partibus eſſe: optimum eſt, nuſquam eſſe. Cita quoque alvus quæ levat morbum, utilis eſt: quæ gravat, prorſus inutilis atque perniciosa eſt. At vero ſummum periculum ſignificatur, ſi is morbus calidum ſiccumque corpus, ac ſimile jecur occupat: ſi ex acuto morbo cœpit: ſi durum jecinoris aut lienis ſecutus tumorem eſt, ſic enim nunquam, aut certe vix unquam ſaneſcit. Metus autem augetur, ubi in eodem morbo ſicca tuſſis oritur, aut fluxio ſanguinis, alteriuſve qui hominem non levat humoris, maxime ſi ſpiritus manet difficilis, & ipſa vertitur in tormina dejectio. Tum enim ægrum proximus fere tertius dies tollit. Tutum quoque non eſt comitiales affectiones accedere, male olere ſpiritum, itemve ſputum, aut ſudorem, aut univerſum denique corpus: adhæc, ubi febris quoque acceſſit, urinam modicam atque turbatam eſſe, aut ubi aqua jam medium corpus implevit, ſanguinem ſurſum, deorſumve aliqua parte prorupiſſe. Præterea ſublatum morbum ſæpius, & brevibus intervallis revertiſſe, multoque magis idoneis agitatum remediis remittere non potuiſſe, ſtabilemque, & inconcuſſum corpori inhæreſcere. Ad extrema ventum eſt, ubi ſub infirmis viribus incipit profluere alvus, ſimulque ingens ſpirandi difficultas urget: ubi prava ulcera grandiaque in ore, gingivis, tibiis, aut alia denique corporis parte oriuntur, ubi veluti concretus ſanguis ab alvo dejicitur: ubi urina diverſis matulæ regionibus diverſos colores exhibet, ſic ut inferne rubra ſit, ſuperne livida, aut contra. Cita quoque mors occupat, ſi, cum quis ſecatur, aut uritur, aqua ex ventre ſimul ſemelque omnis effuſa eſt.

Vulneratio jecinoris & lienis.

Jecinoris atque lienis vulnus, ſi ſumma tantum parte acceptum eſt, hæc infert. Ad ſpinam præcordia reducuntur: ſanguis vomitione, atque dejectione redditur: in latus dolor pungens incidit, qui in nonnullis ad jugulum etiam pervenit: inter hæc ſæpe anima deficit, oriturque febris, atque alvi profluvium. Si æger primis diebus non moritur, ſpatio conſumitur, egenſque nutritionis contabeſcit. At vero quum altius intra viſcera mucro deſcendit, ſanguis, qua parte præcordiorum vulnus illatum eſt, copioſe profluit, ſequiturque bilis vomitus: ipſe æger lubens, ac quadam voluptate in ventrem cubat. Hinc animi oritur defectio, quæ ſæpe gravis recurrens, orto frigido ſudore occidit.

Obſervationes in vitiis renum, & veſicæ utiles.

Renum inflammatio.

REnes, ubi affecti ſunt, diu male habent, præcipuequa in ſenioribus. Eorum inflammatio, quæ tamen admodum infrequens eſt, his ſeſe ſignis prodit. Aſſidue febris tenet, & ſine certo ordine ea modo increſcere, modo minui videtur: dolor gravis ac pulſans cum vehementi ardore, paulo nothis coſtis altior, in dorſo verſatur, ejuſque tractus inde ad jecur uſque, ſi dexter ren laborat, pervenit: deorſum vero ad veſicam, ad naturalia, ad pectinem, & ad femora pervenit, magisque ſi vitium in rene ſiniſtro eſt. Hic ipſe dolor ſternutamento, atque tuſſi intenditur.

Idem-

Idemque alias continenter hominem fatigat, alias intervalla, quibus miteſcit, habet. Adeo vero in quibuſdam effrenatus eſt, ut animi occupentur defectione, & fuſis ſudoribus labefiant. Inter hæc ingens eſt cibi faſtidium, itemque nauſea, & ſtomachi dolor, & crebra bilis vomitio: venter arctiſſime comprimitur, ex quo is etiam inflatur, & rurſus ſurſum per os aſſidue extundit: urinæ reddendæ difficultas, at aſſidua cupiditas eſt, eaque frequenter quodam cum ardore promanat, primum tenuis, & aquoſa, in qua nihil ſubſidet, hinc magis rubra, tandem autem craſſa, & mucoſa. Sæpiſſime autem extremæ partes, maximeque pedes refrigeſcunt, propinquo cruri ſtupor ineſt, ac vix erigi homo poteſt, vel pedibus incedere. Facilior etiam ægris in latus infirmum decubitus eſt, facilior ſupinis, quam pronis. Id profecto genus morbi concoctione proba maturuiſſe, jamque penitus ſanatum eſſe, finitis doloribus cognoſcitur, & urina multa, craſſaque, in qua quid ſubſidet, bonum eſt, vimque finiendi morbi habet. At vero periculum nunciatur, ſi frequens bilis vomitus eſt, longeque magis delirium terret, ſi ſimul etiam extrema inalgeſcunt. Certa mors eſt, quum ren præ nimio tumore diſrumpitur. Jam autem ubi inflammatio adhibitis remediis non ceſſit, dolorque in loco pulſans & gravitas manent, febriſque non minuitur, imo potius increſcit, ſed & crebrum ſimul mejendi deſiderium, magnaque difficultas eſt; ſcire licet ſuppurationem intus fieri, quæ ubi jam conſummata eſt, manet quidem gravitas in rene, at dolor miteſcit, minorque redditur febris. Ubi erupturus abſceſſus eſt, homo inhorreſcit, ſequitur vehementior & febris & dolor. Ut primum is erupit, protinus hæc iſta conquieſcunt: tum urina craſſa, turbida, ſubcruenta, & multa profluit: cum qua ſi pus album, leve, æquale, & odoris non mali fertur, certam bonæ valetudinis ſpem facit.

At ſi id ad inteſtina quoque divertit, aut alioqui cum urina redditum male olet, lividumque eſt, & inæqualiter mucoſum; ſcire licet malum eſſe, ex eoque gravem intus exulcerationem ſignificari. Fere tum quoque carunculæ quædam perexiguæ ex putri renum ſubſtantia quaſi capilli cum urina efferuntur. Jam autem non ſæpe, curata perperam inflammatione, elapſis maturationis temporibus, febris omnis dolorque ceſſant, durus autem tumor cum multa loci gravitate relinquitur. Cujus rei peti indicium inde debet, quod ſine reſolutione materiæ, ſine ſuppuratione dolores conquieverunt, & quod diu urina aquoſa, & pauca fertur, quodque coxæ, & quæ his ſunt partes inferiores, ſtupent, impotentes fiunt, atque emacreſcunt. Is profecto caſus extra ſpem omnem medelæ eſt. Itaque interpoſito ſpatio, in hydropem vertitur, & occidit.

Renum calculus.

Tormentum a calculo renibus illatum ſic innoteſcit. Acerbiſſimus atque more infixi aculei pungens dolor in renem incumbit, eaque ſede ſtabilis inhæreſcit, niſi quod interdum per ilia verſus coxendicem, vel ad teſtem proximum excurrit. Nullus foris tumor eſt: ſpina ægre flectitur: crus quod e directo eſt affecti renis, aliis ſtringitur, aliis quaſi obtorpeſcit: frequens eſt ructus, & ingens cibi faſtidium: ſub maximis doloribus vomitus fit, primum pituitæ, mox bilis flavæ, ac tandem etiam æruginoſæ, poſt quæ dolores miteſcunt: alvus aſtringitur, eademque, quia renem fece vel flatibus premit, dolorem auget: quod ſi forte ea ſolvitur, cum ſpiritu excrementum ſubbilioſum reddit. Cum quis aut in ægram decumbit partem, aut cibo vacuus eſt, dolores leniuntur; cum in contrariam cubat, aut cum ſumtæ epulæ deſcendere jam ad inteſtina incipiunt, omnino exaugentur.

Uri-

Urina, veniente acceſſione, pauca, tenuis, & diluta eſt, moxque crescente tormento, tota ſubinde cohibetur: at excuſſo e meatu urinario (quem ὀρυκτῆρα Græce dicunt) lapide, urina copioſa, craſſaque profluit, in qua reſident arenulæ multæ, & ſubinde grandiores, & inæquales calculi, aut horum confractæ partes. Eadem interdum bullat, & male olet, quodamque ſenſu ardoris crebram mictionem facit: non raro etiam quaſi ſanguinem trahit, maxime ſi labor, aut equitatio durior anteceſſere. Qui huic morbo obnoxii ſunt, his multo tempore urina fere craſſa, ſubrubra, cum denſa, tenacique ſpuma redditur; quæ alias ſedimentum habet rubrum, ſubviſcoſum, arenoſumque: alias turbida permanet, quæ ſi panno percolatur, in eo ſimilem propoſiti ſedimenti ſordem deponit. Hujuſmodi urina ſæpe multis annis nullo vitæ incommodo fertur, ſine renum dolore, ſine ulla alia calculi nota: verum tandem ſubito præter omnem opinionem acutiſſimus dolor in renem incidit, ſimulque alvus adſtringitur, & crus quod e directo eſt, ſtupet. Is dolor ex intervallis ſat longis ſæpius redit, idque interdum ſine calculi excretione, tumque urina craſſa, ac turbida eſt, propterque prægreſſam duram forte equitationem, interdum cruenta. Scilicet ſola ſanguinis mictio ſæpe renis calculum patefecit, qui neque dolore, neque ullo alio indicio ſignificabatur, adeo ut ne ſubeſſe quidem putaretur. Quum autem renis dolorem calculi ſequitur excretio, is ubi in caput impegit ductus urinarii, penitus efficit ut urinæ mejantur tenues, paucæ, ſubaquoſæ, & haud raro etiam totæ cohibeantur: ubi vero vel remeat hinc in cavum renis calculus, aut certe ubi foras in veſicam excutitur, protinus ea redditur urina, quam modo propoſui: ut recte dixiſſe Hippocratem exiſtimem, repentino renum dolore, cum mictionis defectu, calculorum, aut craſſarum urinarum excretionem portendi. Non raro calculus adeo grandis eſt, ut e renum ſubſtantia, in qua gignitur, pelli in cavum non poſſit. Itaque id temporis vix ullus dolor ineſt, ſed urina fertur craſſa, turbida, ſubrubra, qualem deſcripſi. Et quidem ſi validus labor, aut dura inciderit equitatio, non ſolum hujuſmodi urina redditur, ſed etiam vere cruenta, in qua quod ſubſidet, quaſi ſanguis eſt in grumum concretus. Ubi propulſus in vacuum renis calculus eſt, is, ſi grandis eſt, deorſum latus meatum obſtruit urinarium, ipſamque adeo intercipit urinam, vel certe reddi paucam facit, eamque ſolito tenuiorem, & ſubaquoſam; ſimulque acutiſſimum dolorem movet: ubi minor eſt, quam ut multum impingere in iter urinæ, cum in hoc deſcendit, poſſit, itemque ubi grandis eſt, & in cavo renum contentus, hucque recens e ſubſtantia truſus, nondum ad urinæ meatum impegit, urina fertur craſſa, turbida, rubra, aut ſublivida, obſcura. Porro leves calculi, & rotundi non æque difficulter, ut oblongi, & aſperi, excluduntur. Non omnibus autem eadem magnitudo, vel forma, vel aſperitudo eſt. Quibus vetuſti jam renum dolores ſunt, quoniam urinæ itinera magis patent, hi grandioribus calculis potius torquentur, mediocribus non item. Quibus novum id vitium eſt, aut certe rari ejus dolores fuere, hi minimo etiam calculo cruciantur. Omnibus autem renum calculis fere color ſubruber eſt: quanquam purulenti renes albos etiam calculos elidunt: ſed & alias nigros & pallidos fuiſſe ejectos conſtat. Quo urina ſub hoc morbo magis aquæ ſimilis eſt, & quo diutius ſic fertur, minuſque ſedimenti habet, eo duriores in rene calculos, & magis confirmatos, magiſque rebelles eſſe ſciendum eſt. Tametſi urina vix unquam clara ab his mejitur, qui gravioribus renum doloribus ſunt opportuni. Idem tormentum frequens eſt

pin-

pinguioribus corporibus, itemque ſenioribus; vix unquam autem pueris accidit, raro ad adultam ætatem provectis. Infrequens etiam eſt iis qui ſæpius vomunt, & alvum non impeditam habent. Ut omnia renum vitia in ſene difficillimam curationem accipiunt; ſic hoc ipſum quod proponitur, plane nullam. Idem omnium eſt maxime hæreditarium, adeo ut vix unquam calculi effugiat tormentum, quiſquis parentum occaſione huic expoſitus morbo a naturæ ortu fuit.

Cum aliis de cauſis, tum maxime propter calculum exulcerari renes ſolent, id quod his notis oſtenditur. Urina craſſa, turbidaque eſt, & per labores plus coloris habet, in hac ſedimentum per quietem fit craſſiuſculum, tumque reliqua urina fere inclareſcit. Si recens ulcus, ſimplexque eſt, cruor cum urina fertur: ſi cavum ac ſordidum eſt, craſſior urina fit, & alba, & fœtida, vereque purulenta, lacti non admodum diſſimilis: in hac autem ipſum ſubſidet pus: *ubi altius ulcus inſedit & ſine modo ſordidum in fiſtulam abit, in hac ipſa, quam proxime dixi, urina craſſamentum quoddam ſubſidet viſcidum & cohærens, narium muco, aut ovi candido perſimile*. Inter hæc ipſe ſæpe ren ita pereditur, ut pus, membrana ejus ambiente tanquam marſupio, multique item calculi obvolvantur. Renum exulceratio.

Hinc etiam in venas pus delatum, malum efficit corporis habitum, qualis antecedere Leucophlegmatiam conſuevit. Interdum etiam inter peritonæi fluctuat membranas: non ſæpe etiam eo ipſo tota ventris, lumborumque regio impletur, & ſubinde vomitu, vel alvo ſincerum redditur. Jam vero per omnem pene morbi decurſum urina modo non ægre mejitur, modo guttatim deſtillat, aſſidueque ad mingendum quodam irritamento invitat: dolor lumbos exercet cum aliquo gravitatis ſenſu. In hoc autem vitio ſi poſt mictionem puris, ſanguis mejitur, indicium gravis eroſionis præbet. Ulcus renum & veſicæ, ubi longa (quod fere fit) vetuſtate occupatur, nunquam ſaneſcit.

Eſt etiam animadverſio in mictione ſanguinis e renibus profecti neceſſaria. Semper is univerſæ urinæ ſic temperatur, ut hac quaſi dilutus eſſe putetur ſanguis, idemque protinus ſubſidet rubicundus, liquidus, ac minime concretus. Quod quidem veſicæ cauſa dico, a cujus muſculo qui cruor dimanans, & in cavum veſicæ lapſus inde emejitur, urinæ non æqualiter miſcetur, idemque, ubi ſubſedit, in grumum mutatur: ſi calculus in cauſa cruentæ mictionis eſt (id quod fere ſemper, niſi caſus aut ictus intervenit, incidit) notas attendere oportet ei vitio peculiares. Tametſi ſæpe cruenta mictio calculum ſola detexit, ſine renum dolore, aliove ejus morbi indicio. Si rupta intus vena eſt, ſanguis ubertim, & ſubito, inopinanterque profluit: ſimul caſus violentus anteceſſit, ſive ictus aliquis eſt, ſive grave onus levavit, ſive ex alto cecidit, aut quid hujuſmodi perpeſſus injuriam eſt. Rarior omnino ea ſanguinis eſt mictio, quæ a renum pendet imbecillitate, vel quæ venarum in iis adapertionem ſequitur, vel jecinoris vim infirmam, vel conſuetæ inanitionis defectum, vel vitam ſummi otii compotem, vel membri alicujus amputationem. Non raro cruor ab eroſis exulceratiſque renibus deſtillat, tumque paulatim is, & cum pure aliquo miſtus exit, idque diutius durat. Itaque cum a rupto renum abſceſſu is etiam cum pure deſcendit, propterea ab ulcere renum non reddi intelligitur, quod ejus mictio non diu trahat, ſed fere intra tertium diem ceſſet. Sanguinem ſæpius minxiſſe cum febre, & dolore, malum eſſe Hippocrati placuit: tum autem

præ-

præſagire licet futuram puris mictionem, eodemque tempore febres dimiſſuras. At raro cruorem cum urina ferri, idque ſine dolore, ſine febre, non uſquequaque eſſe periculoſum, idem author judicavit: quod per laſſitudines fere incidit, quæ inde protinus ſolvuntur.

Urinæ fluor. Urinæ fluor, qui Græcis διαβήτης appellatur, tum ſubeſſe dicitur, cum potio non multo poſt quam ſumta eſt, nihil fere demutata, immodice ſub aquæ ſpecie cruda mejitur. Ingens ſitis continuo afficit, quæ potatione ſedari nulla poteſt: quod bibitur, ſæpe id majore copia mejendo redditur, quam qua ſumtum fuit. Itaque totum etiam corpus eo modo conſumitur, ac veluti liqueſcit: quanquam nonnullis lumbi, & coxæ, & teſtes, maximeque pedes, leviter intumeſcunt: viſceribus etiam aliquis ineſſe æſtus videtur. Id genus mali, ubi incidit, diuturnum eſt, & a renibus pendet. Cum recens eſt curari interdum poteſt, cum in vetuſtatem incidit, nunquam poteſt, ſed corpus liquefacit, atque marcore conſumit. Idem vitium rariſſimum eſſe volunt. Nobis per omnem vitam non niſi ſemel apud Nervios, quum illic Medicinæ artem exerceremus, obſervatum fuit.

Renum vulneratio. Vulneratis renibus dolor ad inguina, & ad teſticulos deſcendit, & urinæ difficultas eſt, eaque cruenta redditur: interdum etiam cruor fertur.

Priuſquam veſicæ attingam vitia, tabem hoc loco dorſalem proponam. Grave genus morbi, quod noſtri homines non animadverterunt, ipſe luculenter memoriæ prodidit Hippocrates: nos inter curationes ægrorum non ſemel obſervavimus. In caput vehemens & acutus incidit dolor, ex eoque nonnullis ſuperne deſcendere veluti formicæ videntur. Dolent etiam collum, & lumbi, eorumque muſculi, & crurum articuli, ſic ut inflecti interdum non poſſint: alvus pigra atque impedita nihil reddit, & urina difficulter mejitur: quum autem vel alvus, vel urina redditur, profluit genitale ſemen multum ac liquidum, idemque fit per ſomnum, ſive utitur aliquis fœminæ conſuetudine, ſive caret: ſemen etiam in utero non manet: per vehementes itineris labores, maximeque ſi altior locus ſuperandus eſt, corpus ſumme labefactatur, ſpiritus fit difficilis, caputque grave eſt, & aures ſonant. Qui ſic laborat, febre caret, & quanquam nullo urgetur cibi faſtidio, ejus tamen nullum fructum ſentit, penituſque conſumitur: idem incipiente morbo quietius ſeſe atque rectius habet. Quo autem magis is ipſe morbus inveteraſcit, eo magis omnia homo dolet: & crura velut ab aqua inter cutem intumeſcunt: nonnullis ulcera a lumbis emergunt, quorum alia ſaneſcunt, alia rurſus enaſcuntur: tandem orta gravi ſuffuſione, homo penitus occœcatur. Exercet hic morbus præcipue cum recentes ſponſos, tum alios qui nimium Veneri indulſerunt. Illud quoque a nonnullis obſervatum eſt, intermittere aliquando hoc vitium, & dennuo redire conſueſſe: quod per ſeptennia fieri quidam medicus, quem hoc affectum occœcatumque morbo novi, tum in ſeſe ipſo, tum in pleriſque aliis animadvertit.

Tabes dorſalis.

Veſicæ calculus. Grave in primis tormentum calculi veſicæ eſt, quod & diu trahit, & quibuſdam intervallis ſæpius recurrit. Ubi id autem incubuit, gravitatis ingens ſenſus (ſi grandior calculus ſubeſt) magiſque ad motum corporis, vel quædam quaſi titillatio circa pubem & perinæum verſatur: urina cum mictionis aſſidua cupiditate difficulter redditur, fitque quoddam veluti ſtillicidium, ſic ut vix poſſe cohiberi urina videatur: quæ tamen, ut primum cœpit perrumpere, mox tota intercipitur, indicitque hoc modo interciſa mictio. Inter hæc dolor toto colis meatu verſatur, ſæpe-

que

que is ſola in glande eſt, poſt extremam mictionem graviſſimus. Id temporis alvus dejici velle videtur: promtius in nonnullis ſi recti ſunt, quam ſi ſupini cubant, urina exprimitur, utique ſi grandior intus calculus hæret: alii inclinati emingunt, colemque contrectando atque extendendo remedium doloris quærunt. Fœminæ extrema pudenda manibus crebro ſcabunt, &, admoto ad veſicæ cervicem digito, calculum ſubinde ſentiunt. Multi etiam mediis doloribus pedes inter ſe iteratis vicibus implicant. Si urina prodit, ea alba, craſſa, & turbida redditur, cui ſedimentum ineſt purulentum, vel mucoſum. Interdum etiam ſanguis, aut quid cruentum concretum trahitur. Hoc genus morbi ſæpius pueris accidit quam adultis: ſæpius viris quam fœminis. Calculus veſicæ magis albicat, itemque grandior, & durior eſt eo quem renes extruderunt. Minor facilius in veſicæ impingit cervicem, urinamque pertinacius retinet, quam is qui major eſt: hic enim, vel pro corporis poſitu, vel intromiſſo inſtrumento, inde non difficillime depellitur.

Non leve periculum in quovis calculo vertitur: immenſis enim fractus doloribus, & propter obſtrictum iter ſuppreſſa nimium urina extingui homo poteſt. Haud raro animadverſum eſt, a veſicæ calculo data vel teneſmi, vel procidentis infimi inteſtini principia fuiſſe. Multos conſtat eſſe repertos, qui ſine dolore calculum diutiſſime intus foverunt.

Veſicæ inflammatio.

Nullus æque metuendus caſus incidere in veſicam poteſt, ut inflammatio, quæ non in hujus partis (ut forte aliquis exiſtimet) ſubſtantia; ſed potius in cervicis defigitur muſculo. Febris acuta cum multo æſtu movetur: infra perinæum, ſupra pecten atque pubes late dolent: interdum his locis rubor, ardor, atque diſtentio accedunt, quæ omnia a pube ad ipſum uſque perveniunt umbilicum: frequens deſidendi cupiditas, ſummaque difficultas eſt: urina ægerrime excluditur, ſæpe tota diutius cohibetur, maximeque cubante ægro: interdum guttatim maximo conatu deſtillat. His accedunt vigiliæ, delirium, vomitus bilioſus, & extremorum frigus. Perrara eſt veſicæ inflammatio, pueris magis familiaris, a calculi ſcilicet tormento illatis injuriis. Metum minuit urina purulenta, cui ſedimentum album ac leve ſit. Si dolores in hoc morbo ſolvuntur, neque veſica molleſcit, periculum eſt ægrum primis circuitibus moriturum. Nulla etiam evadendi ſpes eſt, ubi febris acuta diu immoratur, ſimulque urina, & alvi dejectio prorſus retinentur: aut ubi urina nullam exhibet notam concoctionis, unaque dolores magis indies ingraveſcunt. Inter quæ ſæpe ultro lethalis oritur gangrena, ex qua vix unquam quiſquam evaſit. Ubi ſuppurare malum incipit (quod certe grave eſt) omnino fiunt atrociora. Quod ſi ante erumpere id, quam pereat æger, contingit, dolores ceteraque miteſcunt omnia, ipſaque ubertim urina cum pure fertur. Viſus eſt hic abſceſſus viam ſibi per perinæum patefeciſſe, qua parte urina elapſa per anum omnis ferebatur.

Cruenta a veſica mictio.

Cum multis de cauſis, tum maxime propter vehementes in excludendo calculo nixus, cruor e veſica ferri conſuevit: is urinam non totam undique profundit, & quum per quietem ſubſedit, concreviſſe in grumum cernitur: ejus ſubinde cruoris pars aliqua ſine urinæ mictione elabitur. Fere autem ſub eo vitio urina paulatim veluti ſtillicidio quodam exprimitur, eademque dolorem exiens movet, ac veluti colis radicem adurit. Ceterum graviſſima quæque incidere, ſanguine intra veſicam concreto, ſolent: nam crebro anima deficit, ipſaque fit exigua ſpiratio, & pulſus obſcurus, parvus, & frequens: oritur etiam multa nauſea, animi anxietas, & frigidus ſudor. Hinc totus homo fit imbecillus, & pallet,

let, & extremis partibus refrigeſcit. Ut plurimum autem aliquis ante incubuit in veſicam violentus caſus, quem aliquamdiu ſanguinis ſecuta mictio eſt, ſubitoque ſine certa cauſa deſiit. Tum vero ſubinde rigor incidit, ceteraque protinus poſt hunc ſequuntur ſigna, quæ modo propoſuimus. Tardius cruenta mictio, veſicæ affectu nata, curatur, quam quæ a ſuperioribus locis profecta eſt.

Veſicæ exulceratio.

Comprehenſis veſicæ mails, haud raro ejus ſuccedit ulceratio: major quidem atque gravior in cervicis muſculo, poſt abſceſſus ruptionem ab inflammatione relicti: levior autem in veſicæ corpore, quam forte exulcerationem vel acrior urina, vel oſtendens calculus fecit.

Si ex abſceſſu ulcus manſit, id cavum eſt ac ſordidum, unde alias ſanies, alias multum fœtidi puris cum urina craſſa fertur, in qua id ipſum per quietem ſubſidet. Jam vero ſi interior veſicæ pellicula leviter abraditur, craſſa quoque urina eſt, quæ exiguum modo puris, modo cruoris trahit: &, cum paulo altius ulcus inſedit, pelliculas, & furfuraceâ quædam ducit. Hæ pelliculæ magis craſſæ, albæ, magnæque ſunt, ſi ulcus in altiore veſica eſt: ſi juxta urinæ ductum atque fiſtulam, minus albæ, magiſque tenues, & parvæ redduntur. Ingens in propoſito caſu mingendi cupiditas eſt, ſic ut teneri urina vix poſſit, tumque gravis dolor pubem & perinæum exercet, maximeque hic noviſſimam ſequitur emictionem. Idem etiam dolor, ubi quis ſeſe erigit, augetur. Quod ſi ſerpens fit ulcus atque depaſcens, aliquis etiam ſubinde cruor cum ſanie, pureque fœtido in urina cernitur. Sæpiſſime quoque ulcere admodum ſordido, maxime ſi a Venereo ſeminis profluvio id natum fuit, quædam veluti filamenta in urina verſantur, primum tenuia, mox ita craſſa, ut ſpiſſam quoque urinam faciant: tandem craſſus & viſcidus veluti mucus, quale candidum ovi eſt, ſubſidet. Quæ proxime dixi filamenta, longo poſt tempore, quamquam ulcus curatum eſt, cum urina feruntur.

Inter renum & veſicæ ulcera ſic diſtinguitur. Renibus ita affectis, non æque difficulter urina redditur, & quod ex his deteritur, rubet, ſeu tenues trahuntur carunculæ, ſeu filamenta capillis ſimilia: minor etiam incidit dolor, ſæpiuſque cruor, & majore copia mejitur, magiſque toti urinæ permiſtus eſt. At vero exulcerata veſica, major fit urinæ tum cupiditas, tum difficultas. Quicquid decedit, album eſt (niſi id tamen a renibus huc deſcendit) & dolores magis urgent: minus ſanguinis, minuſque urinæ miſti fertur. Ceterum ſi is urinæ meatus, quem ὑρητῆρα Græcis appellari dixi, exulceratur, urina ſubcraſſa eſt, particeps modi cruoris, vel certe puris, quod capillorum ſpecie natat in urina. Æque etiam ſub hoc caſu pelliculæ, ac quædam quaſi furfuracea redduntur: ſed dolor inter renem & pubem verſatur. Ulcera renum, aliorumque urinæ itinerum promptius, quam veſicæ ſaneſcunt. In ſenibus nullam penitus hæc ipſa curationem habent, in aliis ætatibus difficillimam.

Urinæ retentio.

Varia fieri noxa in reddenda urina ſolet. Ea enim aut paulatim deſtillat, aut ſumma difficultate redditur, aut denique prorſus cohibetur. Primum Græci στραγγουείαν, alterum δυσουείαν, poſtremum ἰσχουείαν nominaverunt. Priora duo leniora eſſe poſſunt. Tertium graviſſimum, ac, ſi diutius immoratur, mortiferum eſt. Ubi ſuperioribus inhæreſcit urinæ ductibus obſtructio, in lumbis doloris eſt aliquis vel gravitatis ſenſus, notæve affectorum renum anteceſſerunt: veſica inanis nihil vel dolet, vel tumet, neque quicquam urinæ adhibito inſtrumento reddit, quare ne ullum quidem mictionis urget deſiderium. Contra hoc ipſum

ma-

maximum eſt, cum veſicæ obſtructæ cervix urinam impedivit, tumque pubes tota intumeſcit atque dolet, multumque urinæ intromiſſo ferro prorumpit. Ad ſuppreſſam urinam ſi teneſmus accedit, intra ſeptimum diem occidit, niſi febris intervenerit, quæ liquefactione iter urinæ expediat. Ceterum in eo malo quod δυσουρίαν vocari dixi, urina difficulter magnoque dolore redditur, idque interdum affatim, interdum paulatim. Stillicidium autem eſſe urinæ dicitur, cum ea guttatim ſemper conatu quodam, at dolore alias nullo, alias vehementi, exprimitur. Id vitium ſi dolore caret, retentioni urinæ finitimum eſt, ſin minus, difficultati. Si urinæ ſtillicidio volvulus acceſſerit, primis diebus ſeptem hominem tollit, niſi febris quoque interventu fluere ubertim urina cœperit. Omnino autem id malum ſenibus diuturnum eſt, junioribus brevius, neutris (niſi quid accedit) lethale. Quod ſi id a ſanguinis grumo qui intus impegit, oritur, horrendum eſſe graviſſimis caſibus ſolet: nam nativus homini color perit, pulſus fit parvus, & frequens, & languidus, idemque totus ſubinde concidit: accedit rigor, febricula, nauſea, defectio animi, frigidi ſudores, & id genus alia, quæ concreto intra veſicam ſanguine fieri diximus. Porro nonnunquam invitis urina ſine acrimoniæ & doloris ſenſu profluit, quod vitium in ſenibus curari non poteſt. Idem, ſi per febres incidit acutas, viribus infirmis, peſtiferum eſt.

Urinæ difficultas.

Urinæ ſtillicidium.

Urinæ incontinentia.

Ubi veſicæ illatum vulnus eſt, dolent inguina, quæque juxta pubem ſunt loca intenduntur. Ex vulnere urina fertur, aut certe pro urina ſanguis mejitur. Accedit vomitio bilis, ſingultus, delirium, & horum ſequax comes mors.

Veſicæ vulneratio.

Obſervationes in vitiis naturalium utiles.

SEmper tædiorum, ſæpe etiam plenum periculorum vitium, humani ſeminis profluvium eſt, γονόῤῥοιαν Græci vocant. Semen præter voluntatem, præterque modum, ſine pudendi tentigine, ſine Venere, aut nocturnis imaginibus elabitur: idque adeo interdum diu & impenſe fit, ut interpoſito ſpatio, hominem conſumat. Paulatim enim corpus labefit, cumque indies aliis id locis omnibus, tum maxime circa lumbos emacreſcit. Ipſum vero quod ita fertur ſemen, crudum, aquoſum, liquidum, tenue, nec prorſus album eſt. Maxime autem id vitii eos adoriri ſolet, qui puberem ætatem Venereis libidinibus corrupere. Idem noſtro ſæculo contagioſum eſſe cœpit, digniſſimum ſcortatoribus flagellum; a quo recta ad morbum Venereum via eſt. Sub eo caſu virus quoddam album aut ſubcitrinum per colem noctu atque interdiu latenter ſine ſenſu elabitur: id interpoſito ſpatio admodum fit putre, atque acre, ideoque ipſum etiam intus exulcerat penem. Id vero jam factum eſſe, dolor oſtendit, qui colem, cum is erigitur, ſic afficit, ut veluti fune ſubſtringi videatur. Idem dolor per mictionem, maxime cum ea fieri vel incipit, vel deſinit, ſeſe prodit, ſic ut vel difficultas ſubeſſe urinæ, vel calculus putetur. Is morbus tum viris accidit, tum fœminis: ſed in his frequentius eſt, ægriuſque quam in illis tollitur. In eo autem, cum uterino convenit fluore, quod humor aſſidue promanat: verum diſſidet contra, quod multo hic ſit craſſior, quodque vix unquam deſit ulcus ab acri virulentoque natum excremento: adhæc quod fuſis menſtruis, hæc iſta fluxio non deſinat, quum uteri fluor in ipſis menſtruis, & paulo poſt ceſſare ſit ſolitus.

Profluvium ſeminis.

Quodvis colis interioris ulcus diu trahere conſuevit: interdum ita fit ca-

cavum, maximeque per Venereum ſeminis profluvium, ut foras etiam ad ipſam uſque penetret, emergatque cutem. Si id ulcus negligitur, non raro carnoſum tuberculum urinæ ductui innaſcitur, itemque ex aggeſtis ſordibus quidam veluti callus verrucæ ſimilis: tum urina vel retinetur, vel non pleno impetu fertur, ipſeque homo ſic ad omnem corporis poſitum urgetur: compreſſo pene, itemque intromiſſo inſtrumento tuberculum deprehenditur.

Σατυείασις, ἢ πεπαπισμὸς. Eſt etiam in cole vitium, quo is continenter erigitur cum laſciva quadam palpitatione, multaque opinione libidinis, σατυείασιν Græci nominaverunt. Eſt & ejus pene generis aliud, quod πεπαπισμὸν vocant: in eo arrectum aſſidue pudendum, ſine Veneris deſiderio, præter naturam increſcit, quodam quaſi tetano diſtentum. Raro id malum incidit, quo tolli etiam hominem poſſe nonnullis placere video.

Ramex. Proximum eſt ſcroti vitia proponere, in quibus inflammatio eſt, & ſine hac durus tumor, maximeque ramex, quem Græci κήλην, noſtri etiam Herniam vocant. Ejus multæ formæ, multæque eſſe cauſæ poſſunt. Quum rumpitur aut etiam relaxatur ea tunica, quæ diducere ab inferioribus partibus inteſtina debuit, Græciſque πεεριόνωσις appellata eſt, protinus devolvitur aut omentum, aut inteſtinum, ac ſenſim ab inguine (niſi in eo tamen immoratur, vitiumque τῆς βυβωνοκήλης gignit) in ſcroti dimittitur ſinum. Commune eſt evidentem in ſcroto, vel in inguine tumorem, eumque non permanentem eſſe, ſed curſu, labore, ſatietate, & retento ſpiritu creſcere: iterumque reſupino homine, vel ſponte, vel per lenem digitorum impulſum, eo quod intus eſt remeante, perire. Si id quod deſcendit omentum eſt, ægerrime intro revertit, ſive inedia fuerit, ſive varius corporis poſitus, atque figura: ubi vero remeat, id penitus ſine murmure fit. Idem hic tumor ſi tangitur, inæqualis eſt, & mollis, & lubricus. Græci id genus ἐπιπλοκήλην, nos Ramicem omenti nuncupamus. Quod ſi inteſtinum illapſum ſcroto eſt (quod vitium ἐντεροκήλην, id eſt, Herniam inteſtinorum, appellant) tumor ſine dolore, ſine inflammatione, modo minuitur, modo creſcit, idemque, quieſcente homine aut etiam vigili, ſed tamen diutius reſupino, interdum ex toto perit: verum clamore, ſatietate, violentoque corporis motu, propterve grave tollendum pondus nixu crescit, frigore omni contrahitur, calore laxatur. Id temporis rotundum eſt ſcrotum & tactu læve. Quod intus eſt, ubi premitur, lubricum eſt, & modo ſponte, modo ſi leniter digito impellitur, quodam veluti rugitu ac flatulento murmure recurrit. Ubi grave id vitium fit, inteſtinum accepto ſtercore vaſtius tumet, ſic ut retro compelli non poſſit, ex quo caſu gravis oritur volvulus, qui tollere etiam hominem ſolet. Inter quæ dolores magni, & ſcroto, & inguinibus & abdomini accidunt. Incipit ſubinde affici ſtomachus, ſequiturque bilis vomitus, primum ruffæ, dein viridis, ac interdum ipſius etiam atræ. Ceterum ſit ne ex ruptione ejus, quam dixi, membranæ Ramex ortus, an vero ex laxatione, certis internoſci notis poteſt. Nam ſi inteſtinum ab initio protinus, atque univerſum devolvitur, prægreſſa ſola violenta cauſa, tumorque prægrandis eſt, ſi compreſſum inteſtinum multo rugitu ſurſum recurrit, iterumque recto corpore protinus, vel tuſſi, vel retento ſpiritu delabitur, ſcire licet factam ruptionem eſſe. At laxationis hæ notæ ſunt. Longiore temporis tractu inteſtinum paulatim magis magiſque quamlibet ob cauſam deſcendit, tumor æquabilior & magis eſſe in profundo deprehenditur, neque aliquo murmure id quod deſcendit recurrit, neque ita facile, ubi erectus homo eſt, elabitur. Quin etiam ramex ex laxatione, vix

unquam

unquam extra inguina procedit: ex ruptione autem, prope ſemper in ipſum promovetur ſcrotum. Ramex ex ruptione per initia, primus forte ſeptem diebus, non difficillime tollitur, maximeque in pueris: ubi inveteravit, vix unquam curari, niſi manu, poteſt. Quod tamen auxilium anceps, & plenum periculorum eſt. Porro ſcire licet, interdum ſimul, & omentum, & inteſtinum poſſe deſcendere, quod vitium Græci ἐπιπλοέντερο-κήλην, id eſt, Ramicem omenti, atque inteſtini, vocaverunt. Jam vero ſine peritonæi offenſa aliqua, ſcroto accidere alia genera ramicis ſolent. Nam interdum aquoſus humor intus collectus, interdum caro increſcens, nec raro varicoſus tumor cauſam morbi hujus dedit. Cum aqua ſubeſt (quod vitium Græcis ὑδροκήλη, nobis aquoſus ramex dicitur) tumor, quantum in ſe eſt, dolore omni caret, & firmus in intento ſcroto inhæreſcit, fame quidem, aut febricula, aut etiam de die (maximeque ſi puer) is utcumque extenuatur, at nunquam ex toto tollitur. Idem tactui cedit, ſi paucior intus humor eſt: verum ubi is multum crevit, æque ut uter repletus, & ſtrictus digito renititur, & oppoſito lumine, ut cornu, pellucet. Quod ſi in utraque parte ſcroti, hæc ipſa quæ proponimus, cernuntur, conſtat utique duplicem ibi ramicem aquoſum eſſe. Ubi diutius retenta intus aqua vehementer computruit, ipſum etiam ſubinde corrumpit teſticulum. Inſidiatur autem magis hoc genus ramicis iis corporibus, quorum ſucci non boni ſunt (Græci hæc κακοχυμικὰ nominaverunt) & his etiam multo magis, quæ in hydropem inclinant. Quare extracto per ferri uſum humore, facile novus denuo ingeneratur, niſi toti quoque corpori adhibita curatio eſt. Ad hanc ramicis aquoſi ſpeciem non alienum ſit, hunc quoque referre, qui ex flatibus ortus, nimia diſtentione gravem dolorem movet. Flatulentum appellari eum a quibuſdam video. Raro quidem, ſed aliquando tamen dura caro intra teſtium tunicas increſcit, idque vitium Græce σαρκοκήλη, id eſt carnoſus ramex, dicitur: cujus tumor etiam perpetuus, ut in ſuperiore eſt, ſed pondere gravior, itemque durior, obſcurior, coloris ubique ejuſdem, neque pulſatus reſonat, idemque longiore ſpatio temporis paulatim increvit. Supereſt modo ramex varicoſus, qui Græce κιρσοκήλη dicitur, durus, & ad modum virgarum oblongus tumor, quem ſcire licet ægerrime tolli remediis poſſe.

Inflammatione etiam affici nonnunquam teſticulus ſolet: tumque acutus dolor, rubor, calor, atque durus tumor ſubeſt: eaque omnia magis ſeſe foris produnt, ſi inflammatio in ſcrotum effunditur: obſcuriora autem ſunt, magiſque tangendo, quam intuendo explorantur, ſi vitium ſolum occupans teſtem in profundo occulitur. Prout autem gravis eſt inflammatio, febris etiam modo eſt aliqua, modo nulla. Poſt male curatum morbum, durus ſæpe manet tumor ſine dolore, ſine calore, atque rubore, qui tumor nunquam fere auferri ex toto poteſt. Teſticuli inflammatio.

Proximum eſt ad uteri morbos tranſire, qui & varii eſſe, & pleni tædio periculiſque ſolent. Graviſſimum ejus malum inflammatio eſt, ea quidem quæ totum uterum, non autem ſolam (quod ſæpius fit) ejus cervicem occupat. Vehemens dolor atque pulſans locum urget: iſque, ſi anteriora magis afficiuntur, ad pubem pervenit, & urinæ difficultatem aliquam, vel ſtillicidium parit: ſi poſteriora magis inflammantur, alvus cohibitur, & dolor lumbos fatigat. Jam ſi in latere plus vitii eſt, protinus inguen intenditur, cruraque gravia difficulter moventur. Semper autem acuta febris ineſt, & multus capitis dolor, magiſque anteriore ejus parte, & circa radices oculorum. Dolent quoque cum diſtentione atque Uteri inflammatio.

gravitate imus venter, pubes, coxæ, vicinæque his id genus partes. Lumbis etiam multus infeſtus ardor eſt. Incipit affici ſtomachus, doloreque, & nauſea, & ſingultu ſollicitari. Ipſa autem fœmina adeo parum commode in omnem partem corporis movetur, ut non ſedere, non ſurgere, niſi ſumma difficultate, non pedibus ingredi niſi quadam claudicatione poſſit. Eadem moleſte in id latus cubat, quod morbo caret. Porro ſi uteri cervix inflammationem ſuſtinet, id quod frequentius fieri dixi, abdomen dolet, ipſumque uteri os, admoto digito durum occurrit, fervidum, atque præcluſum. Atque is ſane caſus reperire aliquam curandi viam poteſt, prior fere nullam poteſt. Nonnunquam uteri inflammatio in durum, ſenſuque carentem tumorem deſciſcit: rarius in cancrum: ſæpius in abſceſſum, qui, ſimul atque fieri incipit, pulſantem dolorem atque febres exauget, hæque cum horrore crebro ſunt, & nullo ordine exaſperantur. Confecto pure, protinus hæc iſta paulum increſcunt: ac tum quidem alias urina cohibetur, alias alvus, interdum tumor juxta pubem attollitur, & quaſi inundatio profluentis rei alicujus intus ſentitur. Id temporis pus erumpit alias in uteri cavum, alias in abdominis ſpatium, ibique inter inteſtina ſubſiſtens, copia imum ventrem diſtendit, ac veluti pondere onerat. Quod autem pus per uteri cervicem foras excluditur, id ſi album eſt, leve, æquale, & odoris non mali, ſanitas fœminæ redditur: ſi vero virulentum eſt, male olens, & multis coloribus variegatum, ſcire licet rem in periculo eſſe. Rupto atque exinanito abſceſſu, ſordidum ulcus manet, ſub quo acer mordaxque oritur dolor, ſanies, & colluvies fertur, non eadem uſque copia, ſubſtantia, atque colore: odor huic modo gravis adeſt, modo etiam nullus, ſic ut ab albo uteri fluore, id quod ita exit, profectum eſſe creditur. Si in uteri cervice malum inhæreſcit, ipſo etiam deprehendi tactu poteſt: ſin altius inſedit, eorum quæ efferuntur utendum nota eſt. Ergo ubi ſimplex ulcus non a rupto natum abſceſſu, interiorem uteri, aut ejus cervicis pelliculam abraſit, aut modice excavavit, humor paucus, æqualis, craſſus, albicans excernitur. Quod autem ulcus e rupto abſceſſu ſordidum eſt, plus quidem humoris fundit, at minore dolore. Uteri ulcus ita interdum malignum fit, ut ſerpendo proxima quæque loca eroſione violet. Id Græci νομὴν appellaverunt, eſtque hoc tum multo magis ſordidum, fœtidum, ac rebelle, quam prius fuit. Tum ſub hoc caſu, tum ſub duro, longoque uteri tumore proclivis eſſe cancer ſolet. Dolor eo tempore circa inguina, & imum ventrem, & abdomen, & lumbos verſatur: moles intus gravis eſſe quaſi pondus aliquod videtur, jungiturque febris, non æque tamen ardens ea, ut in uteri inflammatione: ipſum denique malum maxime diuturnum eſt. Quum exulceratio quoque cancro acceſſit, ulcus, præterquam quod dolet & durum eſt, etiam labris eſt præ-tumidis, & ex concreta ſorde lividis atque horridis. Quod ex eo manat, id graveolentiſſimum eſt, tenue, nigrum, vel etiam fulvum. Hoc genus vitii, vel ipſo judice Hippocrate, inanem omnem medicinam experitur.

Uteri exulceratio.

Interdum ex inflammatione neque reſoluta, neque in abſceſſum verſa, itemque aliis de cauſis durus naſci uteri tumor poteſt: idque modo totius hujus, modo alicujus in eo partis. Is tumor tactu durus, atque retinens deprehenditur, cui nullus, aut certe obſcurus ineſt dolor, ſed difficulter vel urina, vel alvus redditur: & ubi recta fœmina eſt, grave pondus pudenda urget, quaſi foras prolapſurum: totum corpus fit impotens, ægreque mobile, maxime inferioribus ejus partibus, ſic ut difficilis admodum hoc nomine omnis inceſſus ſit: nonnunquam venter inflatur, & ſpeciem hydropis (qui ſubinde tamen ſequitur) præbet.

Uteri durus ſine dolore tumor.

Uterus

Uterus quoque certis de cauſis inflatur, id quod duraſſe nonnullis per omnem vitam obſervandum eſt. Venter imus ingentem tumorem habet, & tenditur, & dolore urgetur: hic dolor ad ſeptum uſque tranſverſum, & ad ſtomachum pervenit. Idem latera etiam utrimque perſtringit, ſæpeque alterum inguen, interdum utrumque: adhæc umbilicum, lumbos, pectinem, ipſumque ſubinde afficit per conſenſum caput. Non raro flatum manifeſto elidi per naturalia fœminarum contingit, itemque murmura intus, ſtrepituſque, ubi corpus flectitur, exaudiri ſimiles omnino his ſonis, qui cieri ſub torminibus ſolent. Ipſe autem venter digito percuſſus, tanquam tympani ſonum edit, utique ſi capax uteri ſpatium flatus implevere. Quod ſi is ipſe rarioribus ſubſtantiæ meatibus inhæreſcit, dolores movet longe atrociſſimos, & ægrius remediis tollitur. Solet hic morbus puerperas magna ex parte tentare, non ſine magno periculi metu. Uteri inflatio.

Eſt etiam aliquis uteri hydrops tota ejus capacitate aquarum plena. Venter inflatur, magnamque gravitatem, & converſus in aliquam partem, ſonum fluctuantis intus humoris exhibet. Eum humorem quibuſdam ex utero ſingulis menſibus, nullo vitæ incommodo eſſe expurgatum, doctorum hominum conſtat animadverſione. Uteri hydrops.

Sequitur modo id uteri vitium, quod Græcis μυλῆ, id eſt, mola, appellatur, quodque nulli accidere fœminæ ſine viri conſuetudine poteſt. Informis in utero conſiſtit caro, cute, vel membranis circumdata, venaſque intus multas habet, ſine viſceribus tamen, ſine inteſtinis, atque oſſibus. Ea caro aſſumto per venas ſuas alimento, indies creſcendo, uterum omnem ingenti mole implet, ut vel octimeſtris etiam ſubeſſe partus exiſtimetur. Hæc vero moles non ſæpe per omnem vitam intus tuto manet: paucis etiam quarto anno, aut quinto excidit: pleriſque omnibus tertio quartove excluditur menſe, ſpemque prægnationis omnem falſo conceptam ludit. Siquidem in hoc vitio, menſtrua retinentur, mammæ intumeſcunt, urget cibi faſtidium, facies decolor eſt, venterque indies magis ac magis grandeſcit. Verum ut his notis imprægnationi conſentit, ſic rurſus ab ea diſtat, quod durior hic eſt tumor, & quod nullo id quod intus eſt motu proprio cieatur, ſed ſtabile inhæreſcat, gravitate fixum ſua, neque unquam, niſi ubi vel premitur, vel ubi ſeſe fœmina in latus convertit, moveatur. Tum enim, non ut fœtus, leni blandoque impulſu, ſed impetu quodam, in quam partem corpus inclinat, provolvitur. Quam etiam ſubinde informis hæc caro, aut multus ſanguis cum humoribus cumulatis, nec raro etiam flatus excluditur. Quibuſdam quales inter pariendum eſſe ſolent dolores atque preſſiones, ab eo, quem dixi, flatu oriuntur. Omnibus autem inter hæc corpus extenuatur: inceſſus fit difficilis, ſic ut propendere pondus aliquod ex utero videatur: tandem vero cum jecur quoque una jam affici cœperit, ipſe ſequitur hydrops. Mola omnis, niſi inter initia curetur, ægerrime tolli poteſt. Quum menſes ſine certis imprægnationis notis retinentur, ſimulque venter ſine hydrope intumeſcit; ſcire licet aliquid in utero, quod præter naturam ſit, ineſſe, irritum videlicet conceptum, vel molam, vel flatum. Mola.

Uterus etiam ferri e ſua ſede poteſt, iſque modo aſcendere, modo deſcendere, vel prolabi, & interdum in alterutrum latus inclinare. Aſcenſio adeo in quibuſdam vehemens eſt, ut ad ventriculum etiam uterus velut globus aliquis afferatur, eumque graviter premat, indeque manu depelli ſuum in locum poſſit. Ubi id vitium incidit, fœmina præcordiis dolet, & ſpirandi urgetur difficultate, & animi defectione, idque illæſa penituſque Uteri aſcenſus atque deſcenſus.

incolumi mente. Ubi autem deſcendere incipit uterus, mulier, ſi recta eſt, gravem in pudendum molem ſentit incumbere, quæ digito etiam explorari, tangique, quoniam pudendo occurrit, poteſt: ſi ſupina eſt, vel alvum dejicit, rectum urgeri inteſtinum ſentit: ſi prona, difficulter mejit. Idem morbus longe gravior redditur, cum everſus uterus (quod tamen rarius incidit) foras provolvitur. Quo tempore ingens dolor pectinem fatigat, orituruque ſubinde nervorum diſtentio atque tremor. Uteri fundum magnitudine ovi anſerini aut ſtruthiocameli foras prominet admiſſo digito obvius. Is ſi ſic diu perſiſtit, vix ullum auxilium periculo fœminam ſubtrahit. Jam vero ſi convulſus uterus in inguen dextrum vel ſiniſtrum contorquetur, crus totum maximeque femur torporem atque frigus habet, inguen, & interdum coxendix gravi dolore conſiſtantur. Is dolor vehementius increſcens, nervorum infert diſtentionem, & quendam (ut vocant) uteri furorem.

Uteri convulſio.

Uteri ſtrangulatus.

Haud leve vitium eſt ab utero factus ſtrangulatus, qui Græcis πνίξ ὑστερικὴ vocatur. Eo incipiente nauſea multa fit, fereque ſine vomitu: ſequitur cibi faſtidium, cum ventris quodam rugitu, tametſi hic iſte non ſemper comitatur; poſt hæc incipit eſſe difficilis ſpiritus, creber, ac brevis: idemque poſt paulum ita arctatur, ut veluti vinculo præſtrictæ fauces videantur, magno metu præfocationis, inter quæ leviter anima deficit, ex qua tamen re vix pulſus immutatur. Tandem vero incipit affici caput, mentis ſedes, quæ tum iracundia, tum metu, ſimilibuſque paſſionibus turbatur. Sæpius autem altus incidit quaſi ſopor, ſub quo obmuteſcit fœmina, totaque palleſcens atque oculis clauſis corruit, ac veluti attonita jacet, ſenſus, motuſque expers, ſic ut comitiali morbo videatur proſtrata. Spiritus huic ſumme parvus, rarus, & obſcurus eſt, adeo ut vix ſupereſſe ullus credatur: pariterque ipſe prope concidit pulſus, tametſi etiam is (ubi levius malum eſt) interdum conſtet: cum remittit acceſſio, uterus paulatim laxatur, & humoris quippiam emittit: tum obmurmurant inteſtina: oculi aperiuntur: malæ rubeſcunt, protinuſque mens, ſenſus, ac motus fœminæ redeunt: ſic ut eorum quæ inciderunt, pene omnium ſuppetat memoria. Differt hoc iſtud vitium a morbo comitiali, quoniam neque oculi vertuntur, neque ſpuma ex ore movetur, neque admodum nervi diſtenduntur. Strangulatus cauſa uteri genitus, multis crebro revertens perpetuus eſt: aliis protinus in ipſa eſt acceſſione, aut paucis poſt eam horis lethalis, quo tempore hæc fere comitantur. Diu immoratur acceſſio: fit ſumme ſpiritus difficilis, pulſuſque creber & ordinis expers, tametſi is interdum totus etiam aboletur: perit inſuper ſenſus & motus; ſummum corpus frigido ſudore imbuitur: poſt quæ ſyncope incumbit, & mors. Minus grave vitium eſt, in quo hæc quæ propoſuimus inſunt omnia, ſolo illæſo ſpiritu. Eo rurſus minus grave, in quo ſenſus etiam, motioque, non tantum ſpiratio integritatem habet, cetera adſunt. Morbus hic quibuſdam intervallis quaſi circuitibus ut comitialis movetur, inciditque magis hyeme atque autumno, maxime calidis atque humidis puellis, ac viduis etiam quæ præter morem conſuetudine viri diu caruere: itemque his etiam fœminis, quibus ſterilitatem medicamenta, non ætas, conciliaverunt.

Menſtrua.

Proximum nunc eſt ad eas obſervationes quæ de menſtruis haberi poſſunt, tranſire. Ergo ubi hæc opportune juſto modo, & æqualis, bonique coloris ſingulis temporibus, & iiſdem prope menſium diebus feruntur, optima, ac pro natura eſſe putandum eſt. Hiſce autem erumpentibus hor-

horrores incidunt, & laſſitudines, & captis gravitates, & colli dolores: At vero periculum graviſſimorum afferunt morborum, quæ nimium vel cohibentur, vel profluunt. Neque enim illud ab Hippocrate dictum ratione caret; utriſque his, quarum menſtrua plus juſto vel retinentur, vel fluunt, ab utero morbos fieri. Ubi præter modum, præterque ætatem retinentur, totum corpus fit grave, doletque caput cum gravitate, præcipue anteriore parte: hic dolor ad cervices etiam pervenit, ad ſcapulas, ad lumbos, & ad fundamenta oculorum. Sæpe fœmina, ac ſi concepiſſet, inhorreſcit, ſæpiſſime nauſeat, ac cibum faſtidit: nec raro etiam febricula urgetur: ipſa tota triſtis, & inquieta eſt, ſubindeque viri conſuetudinem concupiſcit: urina craſſa eſt, turbida, rubicunda, & interdum nigricans. Longa menſtruorum retentio, graviſſimarum fomes ægritudinum eſt: ut furoris, melancholiæ, morbi comitialis, reſolutionis nervorum, caliginis oculorum, tuſſis, difficilis ſpirationis, præfocationis duri viſcerum tumoris, hydropis, podagræ, tremoris cordis, ſyncopes, & hujuſmodi. Quæ fœmina lac habet, ſi neque peperit nuper, neque gravida eſt, ea a menſtruis defecta eſt: tum vero neceſſe eſt, ſi ea diu ſic manet, acerbiſſimos in capite dolores fieri, vel morbo aliam quampiam partem infeſtari. Quod ſi inter hæc ſanguis e naribus fertur, res omnis in tuto eſt. Quæ fœmina non peperit, gravius & citius retentione laborat menſtruorum, quam ea quæ peperit: in hac enim venæ magis ad hanc fluxionem patent, in illa minus.

Menſtruorum retentio.

Æque horrendum eſt, nimium menſtrua fluere cœpiſſe, ex quo totum fit infirmum corpus, ejuſque color vitiatur: labaſcit cupiditas, atque concoctio: crebri oriuntur febriles ardores, noviſſime pedes molli tumore inflantur, indeque reliquum corpus, ex quo ipſa gignitur inter cutem aqua. Hoc genus fluxionis, ſi ob partum grandiorem incidit, fere tutum eſſe, ac ſuapte ceſſare ſponte ſolet. Cum abortum ſequitur, exanimare etiam fœminam, & præceps afferre exitium poteſt. Si rupta aut patefacta intus grandior vena eſt, cruor profuſe effluit. Si minor vena fuit, paulatim is ipſe nec multus fertur. Ubi autem eroſio venam afficit, non ſolum paulatim ſanguis manat, verum etiam cum ſenſu doloris. Menſtrua humidioribus fœminis diutius durant, citoque hæ, niſi illa profluunt, intumeſcunt.

Menſtruorum fluor.

Huic fluori is quodammodo affinis videatur, quem Latini muliebrem, Græci ῥοὴν γυναικεῖον dicunt. In eo tamen non purus fertur ſanguis, ſed quid corruptum, idque aſſidue, nullove certo vel ordine, vel circuitu. Quod promanat, alias liquidum eſt cremori ſimile, alias citrinum, aut pallidum, idemque acre, atque mordax, cui modo nullus odor, modo gravis adeſt: utrique autem vitio commune eſt, locos humoribus madeſcere, fœminam decolorem fieri, eamque neque appetere cibum, neque ejus fructum ſentire, oculoſque (ubi fluor inveteravit) habere prætumidos, & difficulter ſpirare. Uteri fluor non ſolum ætate maturas, verum etiam virgunculas afficit juniores, quas eſſe fœdas triſtis pallor facit.

Fluor muliebris.

Ultimo hoc loco ea jam proponenda animadverſio eſt, quæ de abortu, atque incommodo haberi partu poteſt. Sed prius quædam de conceptione dicere non alienum eſt. Primum itaque ſcire licet, non concipere fœminam poſſe, cui nimium frigidus ac denſus eſt uterus, in quo nimirum viri ſemen extinguitur; nec etiam, cui is ipſe præſiccus atque calens eſt: nam ſemen, deficiente nutrimento, corrumpitur. Nec concipit, cui præter naturam craſſæ os uteri ab omento comprimitur, nec cui nimis tenue corpus atque macrum eſt. Si finitis menſtruis os uteri non ſiccatur, ſed humi-

Impregnationis impedimenta.

midum manet, ſignum eſt, conceptionem fieri nondum potuiſſe. Quæ fœmina concepiſſe ſe rata, non concepit, & per multos fallitur menſes, menſtruis jam tum ceſſantibus, ſimulque ventre augeſcente; ea caput dolet, & præcordia, neque lac, niſi modicum, & id aquoſum habet. Verum quæ concepit, ea his doloribus (niſi ſi familiares ſunt) caret, & lac non improbum habet. Fœcunda mulier ſanitate utitur firmiore, at citius eſt anus: ſterilis autem diutius juventæ decorem ſervat, at non firmæ valetudinis eſt. Concepiſſe autem fœminam hinc ſcire licet, cum ea ſimul cum viro aut paulo poſt magna voluptate ſemen emittit, idque intus, cum eo quod viri eſt, retinet, ſic ut muliebres minime madeſcant loci. Tum horrore mulier eo ipſo afficitur die, aut veluti quadam titillatione contrahi uterum ſentit: cujus deinde os ita clauditur, ut ne ſpecilli ſummam admittat apicem: idemque, interpoſito tempore, interius retrahitur, ut vix explorari digito obſtetricis poſſit. Inter hæc menſtrua compreſſa ſunt, niſi ſi primis aut noviſſimis menſibus, non ex ipſo quidem utero, ſed ex iis quæ ad cervicem ejus pertinent, venis (ut in virginibus fit) ſanguis nullo fœtus incommodo feratur. Poſt hæc mammæ grandeſcunt, latera, lumbique exporriguntur, ac venter totus ſine ullo moleſti ponderis ſenſu intumeſcit: ut hoc quoque diſcrimine, tum a mola, tum ab uteri hydrope verus differre conceptus poſſit. Per hæc tempora frons interdum maculis fœdatur, vel citrinis, vel lividis, ipſeque oculorum ambitus aſpectu languido aqueum livorem exhibet: urina citrea eſt aut ſublivida, itemque craſſa ac turbida, quæ levi concuſſione bullat, vel granula e ſumma corona demittit: hujus ſedimentum craſſum eſt, atque inſtar carptæ lanæ non bene junctum: eadem urina, ſi vinum album accepit, ſimilis fit juſculo coctarum fabarum. Tandem vero fœtus moveri incipit, certiſſimum ſui præbens judicium: id quod aliis citius, aliis tardius, pleriſque omnibus media imprægnatione contingit. Atque hæ concepti fœtus certæ notæ ſunt, qui, priuſquam abſolvatur, edaturque in lucem, multis ſollicitare incommodis matrem poteſt. Ea enim, ſi alicui opportuna morbo, aut humorum vitio ante fuit, id ſecundo, tertiove menſe ſentire incipit. Itaque tum tota ea laſſa redditur, lumborumque, & inguinum, & femorum dolorem, gravitatemque patitur, ac gravi ſomno per diem urgetur. Inter hæc cibi amittitur cupiditas, ſitque ingens nauſea, quæ modo irrita eſt, modo bilis vel pituitæ vomitum ciet. Hic ipſe ſi non ſequitur vomitus, fit protinus difficilis ſpiratio, & vertigo, animique tum anxietas, tum levis defectio: interdum etiam abſurda oritur rerum alienarum appetitio, ut terræ, carbonum, teſtarum, & hujuſmodi. Sed perire hæc omnia poſt quartum aut quintum prægnationis menſem conſueverunt. Ceterum ubi jam gravida eſſe fœmina cœpit, ſi ſubito mammæ macreſcunt, abortus periculum ſignificatur. Si cum eadem gemellos fert, altera mamma extenuatur, alterum abortit: marem quidem, ſi dextra emacruit: fœmellam autem, ſi ſiniſtra. Hac enim parte magis fœmellæ, illa potius mares geſtantur. Æque magnum abortus periculum eſt, mulierem utero ferentem acuto morbo rapi, aut ſanguine per inciſam venam inaniri, aut potentibus medicamentis perpurgari: utique ſi longo jam ſpatio grandior redditus fœtus eſt. Quin etiam ſine medicina partum elidere cita alvus poteſt. Prægnantibus hæmorrhois, valde malum: Eryſipelas in utero, pernicioſum: lac etiam ubi e mammis profluit, præcipueque aquoſum, imbecillum eſſe arguit, quod prægnans intus gerit. Duræ mammæ, incolume id eſſe teſtantur. Si gravidæ menſtrua ſolito more fluunt, ſanus eſſe fœtus non poteſt. Si febribus eadem conflictatur, aut vehe-

Imprægnationis notæ.

Prægnantium incommoda.

vehementer ſine cauſa manifeſta emacreſcit, magno negotio periculoque parit: aut certe abortiens, in diſcrimine verſatur. Fere autem præter naturam tenuis tantiſper abortit, donec facta ſit habitior. Quæ autem mediocriter corpulenta ſecundo aut tertio imprægnationis menſe ſine evidenti occaſione abortit, huic acetabula (Græci κοτυληδόνες vocant) plena lentoris ſunt: ſic ut fœtum continere nequeant, pondere gravem ſuo. Quicunque autem prægnanti inciderit caſus, ſpem ſecuritatis amittere non oportet, mammis nondum gracileſcentibus. Ceterum ſi fœtus vita caret, nullus intus motus eſt, qui ante frequens fuit: venter gravis eſt, & quaſi procidere velle videtur, nihiloque ſecius ac ſi hydrope urgeretur, intumeſcit, diſtenditurque, & cadaveris pondere oneratur: idem ſimulque latera refrigeſcunt, quæ ante caluerant: ingens dolor circa umbilicum verſatur: ſtomachus mordetur: ſpiritus male olet: oculi minuuntur, dolentque: nares, atque aures frigidæ fiunt: totus vultus pravo colore fœdatur: ipſa mulier crebro inhorreſcit: & in animi labitur defectionem: interdum convulſionibus quaſi comitialibus diſtenditur: fere autem ſemper gravi vigilia urgetur. Porro futuri abortus hæc ſigna traduntur. Mammæ ſponte extenuantur, aut ex his lac aquoſum fertur: latera, ſuperiuſque venter arctantur: lumbi, coxæque gravitatem inſolitam habent, & pigre moventur: fœtus, ſi vitam habet, vix movetur: poſtremo aqua profluit ſanioſa, tenuis, dein ſanguinea, poſt quam ipſe ſanguis, hinc grumus, atque tum protinus fœtus excluditur. Ceterum quum hoc ipſo incolumi partus incipit tempeſtivus, plus laboris eſſe ſolet in pingui muliere, quam in tenui: plus in puella edenda, quam in maſculo. Fere etiam plus negotii abortus, quam maturus partus exhibet. Præſagire autem difficilem partum licet, ſi totus ante fœtum aquoſus humor effluit: aut longa, copioſaque ſanguinis eruptio anteceſſit: ſi ipſa fœmina crebro inhorreſcit, & languidiore dolore, perque longiora intervalla urgetur. Recte enim Hippocrates judicavit, partus ſine debito dolore periculoſos eſſe. Ubi mulier a partu haud commode purgata eſt, venter, & interdum crura tument, dolor atque rigor lumbos atque imum ventrem occupat: fitque interdum animi defectio. Quod ſi ex partu febris cum ingenti continuoque dolore capitis infeſtat, ſcire licet in magno rem metu eſſe.

Signa emortui in utero fœtus.

Abortus præſagia.

Difficilis partus notæ.

Ubi uterus vulnere percuſſus eſt, inguina dolent, & coxæ, & femora: ſanguis partim ex plaga, partim obſcœnis locis effertur, ſequiturque bilis vomitus. Noviſſime, ubi in propinquo exitium eſt, eadem quæ corde vulneratis ſolent accidere, ſequuntur.

Uteri vulneratio.

Obſervationes in vitiis articulorum utiles.

MOrbus articularis, Græce ἀρθρῖτις appellatus (ſub quo nomine ποδάγραν, χειράγραν, & ἰσχιάδα comprehendimus) diu trahere, & per intervalla recurrens, gravibus tormentis dolorum afficere hominem ſolet: neque ullus fere morbus eſt, qui magis a parentibus trahitur. Is ipſe interdum repente in omnes irruit articulos: ſæpius paulatim accedit, oriturque levis chiragra, vel etiam podagra, maximeque calidioris naturæ hominibus: ſic ut hunc dolorem nemo niſi expertus, morbi eſſe articularis crederet. Ab his partibus, multo ſpatio dolor ad ceteros articulos irrepit, quibus ex more eſſe infeſtus ſolet. Quin etiam cum malum invaluit, vertebræ quæ in ſpina ſunt afficiuntur, genæque dolent, atque ipſum interdum guttur, nec ulla fere oſſium connexio hujus expers cruciatus eſt. Quæ pars huic vitio

Morbus articularis.

patet, ex leve occaſione fatigata, æque frigido, calidoque offenditur. Hic autem morbus, ubi ad ſenectutem uſque inveteravit, aut certe in ea eſſe cœpit, itemque ubi extra hanc ætatem callum contraxit, nunquam ex toto ſanatur. Dum callum dico, nodoſam illam intelligo arthritidem, ſub qua deducuntur articuli, diſtorquenturque, & motu pereunte curvi fiunt. Juveni autem ſemper facilius ſuccurritur, ſi amans laboris eſt, & accurate victitat, & facilem alvum habet: præcipue, ſi quæ morbum fecit materia, non ex diverſis miſta humoribus eſt. Quæ omnia tamen ſic ſpem faciunt, ut interea nondum aliquis contractus ſit callus. Nihil æque propemodum hoc morbo affectos adjuvat, atque tormina, vel quocunque modo fluens alvus. Nihil pene gravius eſt vino, atque Venere, ſi modo carent. Propter febrem quoque, & fieri vitia articulorum, & ſanari poſſunt. Salutiferum in his ſignum eſt varices naſci, aut urinam craſſam & multam eſſe. Atque hæc quidem communia ſunt in omni Arthritide.

Χειράγρα. Nunc illa, quæ magis propria cuique vitio cenſentur, ſequar: Χειράγρα in manu eſt, ejuſque vel carpum affligit, vel partem externam, vel articulos ac vincula digitorum: circum ſæpe tumor, rubor, calor, pulſanſque

Ποδάγρα. dolor eſt. Ποδάγρα autem pedes infeſtat, ingeritque tormentum, vel malleolis, vel plantæ, præcipueque pollicis articulo: eademque hic, quæ in priore ineſſe vitio diximus, ſequuntur. Podagra raro caſtratos, vel pueros ante Veneris uſum, vel mulieres quæ menſtruis carent, adoritur. Quæcunque pars tum hic, tum in ſuperiore vitio, morbo patet, ea debilior fit, & emacreſcit. Podagræ dolores, ceſſante inflammatione, intra dies quadraginta conquieſcunt: iidemque magis Autumno, atque Vere

Ἰσχιάς. moventur. Coxæ autem dolor (Græci Ἰσχιάδα nominant) altius ad ſummum natem, non in magno ejus articulo defigitur, inde in femur quoque ſeſe, & in ſuram, & in extremum pedem extendit. Idem interdum circa inguina inhæreſcit, & urinæ difficultatem laceſſita veſica parit. Ipſum vero crus modo calidum, modo frigidum eſt. Raro evidens emergit tumor, minus ſæpe calor aut rubor. Id autem vitium graviorem præ ceteris generibus dolorem movet: fereque poſt longum morbum, inclinata in coxam materia, gignitur. Porro longiſſimum erit, atque nequaquam anno finiendum, ſi ingens torpor ſubeſt, & crus, coxaque, & lumbi multum frigent, alvuſque nunquam, niſi ubi coacta eſt, reſpondet, & nil niſi ſtercoraceum mucum reddit: ſi denique arrigi pudendum non poteſt, hominiſque ætas annum jam emenſa quadrageſimum eſt. Huic vitio ſuccurrere Ver atque Æſtas poteſt: parum ſperare vel Hyeme, vel Autumno licet. Junioribus æque graves dolores atque ſenioribus, at non æque longa morbi hujus ſpatia ſunt: ante quadrageſimum enim diem juvenes liberantur: minus etiam vehementes his torpores fiunt, minuſque crura, ac lumbi frigent. Jam vero ſi ſub eodem morbo dolor lumbos, coxamque deſerit, & ad inferiorem vertitur partem, ſperare utique bene licet: ſin contra, coxa, lumbiſque non deſertis ad ſuperiora pervenit, rem difficilem eſſe teſtatur. Quod ſi eo jam ipſo in vetuſtatem incidente femoris caput elapſum extra coxam eſt, protinus femur contabeſcit, homoque niſi uſtus eſt, claudicat. Obſervatum haud raro eſt, ex hoc coxæ dolore natum hydropem eſſe. Sanata podraga, atque iſchias, facile reverti conſueverunt: at ceterorum vitia articulorum non item. Ubi in humerum articularis doloris tormentum incubuit, nullus evidens tumor, vel calor, vel rubor eſt: ubi cubitum, aut genu affligit, multum & doloris, & tumoris exhibet, at ruboris, coloriſque perexiguum.

Obſer-

Obſervationes in vitiis cutis utiles.

VAriis incommodis tædiique plenis noſtra expoſita cutis eſt, quæ quamvis per ſe periculo vacent, fœda tamen eſſe, & propter malum fieri corporis habitum ſolent. Primo itaque loco ſcabies ponatur, ξυσμὸς Græce appellata, durior illa ſcilicet cutis aſpretudo, leviſque exulceratio pruriens, & interdum rodens. In hac puſtulæ oriuntur modo humidiores, modo ſicciores: his ruptis, ulcus fit. Id purgata ſanie cruſtula tectum obdureſcit. Eo autem gravius malum eſt, quo magis cutem aſperat, quoque prurit magis, & quo plures occupat partes, & quo ſomnum magis aufert. Pravis ea radicibus, quæ talis eſt, nititur, magnoque negotio tollitur. Itaque hanc Græci ἀγρίαν, id eſt feram, nominaverunt. Scabies omnis aliis quidem ex toto deſinit, aliis certo anni tempore revertitur. Ægerrime autem in ſenibus ſaneſcit, peſſimaque eſſe in capite ſolet. Scabies.

Hoc vitio gravior impetigo eſt, dura nimirum, aridaque cutis aſpretudo, multa moleſta prurigine. Ea fere vel manus occupat, vel pedes, habetque ſpecies numero quatuor. Ex his minime mala eſt, quæ ſcabiem repræſentat, in qua aſperata cutis rubet, ſubduraque eſt, & erodente pruritu laceſſitur. Id communiter pruriginem vocant. Pejor eſt ea quæ aſperior, rubicundior, & majores puſtulas exhibet, eſtque ea impetigo, quæ Græce λειχὴν appellatur. Prorſus autem hic varia cutis figura eſt, & roſio major, multæque ſquamulæ decedunt, tum iplum etiam malum latius vagatur, celerius ſerpit, certioribus temporibus & fit, & ceſſat. Tertia autem longe hac atrocior, pejorque eſt, quæ circum tempora oritur, aut certe ibi eſſe deſinit, neque unquam ex toto poſſe tolli videtur. Præcraſſa cutis eſt, longeque durior, ac magis tumens, eademque ſiccitate dehiſcens, paſſim finditur: magis etiam eroditur, ſquamulas ſubnigras remittit furfuribus ſimiles: iſtud vitium Græci Ψώραν dicunt. Peſſimum, atque inſanabile quartum impetiginis genus eſt, quod Græce λέπρα appellatur: id eroſine latius procedit, totumque cum ſubjecto humore ſubalbidum eſt, ac ſpeciem recentis cicatricis repræſentat: adhæc cutis fiſſa ac vehementer dura eſt, ex qua cum ſquamulis (quas ea habet ſubalbas vel pallidas) ſanguis fertur. Facile Lichen neglectus in pſoram, & hæc in lepram vertitur. Fere paulatim emacreſcunt hi quos ſemel vel pſora, vel lepra contaminavit. Impetigo hoc a ſcabie diſtat, quod ſiccas puſtulas habeat, omnis tum humoris, tum ſaniei expertes: contra ſcabies habeat. Impetigo. Ψώρα.

Nunc de vitiligine dicam, in qua cutis alienis maculis, iiſque non continuatis, at varie disjunctis vagantibuſque fœdatur. Sub hoc vitio ſenſus affectæ partis vel obtorpeſcit, vel totus amittitur. Eſt autem generum id duorum, Ἀλφὸς ſcilicet, & λεύκη. Sub priore ſumma tantum afficitur cutis, eſtque maculis quibuſdam ceu umbra obſcurata, fitque hoc modo Alphus vel albus vel niger: itaque noviſſimus hic Melas appellatur. Porro Leuce longe altius totam cutem, non tantum ſummam prehendit, magiſque quam Alphos albet. Pili e cute excidunt, & viciſſim naſcuntur novi, tenues, albi & omnia lanugine ſimiles. Alphos vix unquam, niſi cum inveteravit, cutem penetrat. Leuce non ſolum hanc, ſed ipſam etiam ad oſſa uſque afficit carnem: ille curationem non difficillimam habet: adhæc vix unquam remediis tollitur, aut ſi certe tollitur, ſemper eo loco pravi relinquit coloris veſtigium. In Leuce cani pili ſunt: in Alpho naturales. Ex hoc, ubi quis locum acu pupugit, cruor fertur: ex illa, ſanies Vitiligo. ἀλφὸς. λεύκη.

aquoſa

aquoſa duntaxat, utrumque autem vagatur, verum in aliis citius, in aliis tardius. Experimento diſcitur utrum ſanabile quid horum ſit, nec ne. Nam cutis inciditur, aut intromiſſa pungitur acu: tum ſi cruor promanat (quod fere in utroque Alpho fieri diximus) ſperari curatio poteſt: ſi tenuis ſubalbaque ſanies, non poteſt. Æque inanis omnis medicina eſt, ſi id vitium inveteravit: ſi magnum ſpatium multaque occupat corporis loca: ſi alte intra carnem demerſum eſt: ſi locus ex toto colorem amiſit ſuum, ac quidvis potius quam ruborem habet: ſi denique aſpero panno perfricta cutis, colorem non mutat. Omni vitiligini malus jungitur corporis habitus, quem qui habet, is huic vitio magis opportunus eſt.

Exanthemata. Exanthematum quoque hoc loco proponenda obſervatio. Hæc ubi quidem intus immorantur, nondum tamen foras emerſerunt, talia fiunt. Totum corpus fit grave, & punctionibus quibuſdam afficitur: dolor vehemens in capite, aliquis etiam in pectore, in faucibus, & in dorſo eſt: ſicco ore craſſum ſputum vix extunditur: oculi intumeſcunt, pruriunt nares: rauceſcit vox, ſpiritus difficulter, crebreque trahitur: totus vultus ardore, ruboreque quaſi efflureſcit: inter hæc multa ſomni cupiditas eſt, orituruque febris Synocho non uſquequaque diſſimilis. Ubi vero id vitium foris quoque ſeſe in cute prodit, increſcunt quæ modo dixi omnia, præcipueque capitis dolor, & ſpirandi difficultas: ipſeque pulſus æque ut ante creber, velox ac vehemens manet. Fere autem incipiente eruptione, facies quibuſdam maculis imbuitur, quæ mox ſubeunte humore, vel aguntur in altum, vel in latum exporriguntur: illa, ſublimia exanthemata: hæc, lata vocamus: priora exulcerantur, & pruritum movent, quo certe lata carent. Id autem genus vitii, aut corrupti excrementi dejectione, aut copioſis ſudoribus conquieſcit. Vix quiſquam hominum eſt, quin vel ſemel ſic laboret ante legitimam ætatem. Magis autem expoſiti exanthematis ſunt infantes atque pueri: ſeniores rariſſime, & non niſi ſummo periculo ita ægrotant. Quanquam autem exanthemata in quælibet cadere anni tempora poſſunt, magis tamen Vere, & ſub Autumni finem oriuntur, idque humidis magis, quam ſiccioribus corporibus. Tutiora autem ſunt quæ cito emergunt (aliis enim protinus id accidit, aliis tertio, vel quarto, & interdum quinto poſt infirmam valetudinem die) & quæ cito (ſi ſublimia ſunt) matureſcunt, quæque rubra, magnaque ſunt, minimeque ſibi mutuo contigua: adhæc quæ febrem non vehementem movent, eamque egreſſa ipſa finiunt. Ceterum mala ſunt, quæ lente prodeunt, magiſque ſi violacea ſunt, ſub his enim frequens fit ſyncope. Commoda quoque non ſunt, quæ vel lividi coloris, aut viridis, aut atri ſunt, quæque iteratis vicibus modo rurſus occuluntur. Æque mala ſunt ea quibus ingens accedit febris, vehemenſque ſpirandi difficultas, & inquietudo corporis, & multa ſitis, & infirmæ naturæ vires. Hiſce ita concurrentibus, magna ex parte ægri pereunt, magiſque ſi lata exanthemata ſunt. Certæ mortis ſyncope eſt index, itemque urina ſub imbecillo robore viridis. Pernicioſum etiam eſt poſt cruentam urinam, nigram meji cœpiſſe. Nihil æque attente obſervari, atque vox & reſpiratio debet. His enim integris, magna ſpes eſt; violatis, dubia. Quiſquis huic malo ſuccumbit, fere tanquam ex angina præfocatus moritur, aut certe propter tormina, alvique profluvium labaſcente natura exanimatur. Exanthemata ſæpe ſine ullo vitæ periculo, ſine peſtis nota in populum aeris vitio graſſantur: ſæpe hæc ipſa peſtem, malaſque judica-

dicationes ſanguineæ febris comitantur: raro aliquis ex ſublimibus moritur, multos lata tollunt.

Obſervationes in vitiis utiles, quæ non certam partem aliquam, ſed variam occupant.

INflammatio, quæ Græcis φλεγμονὴ dicitur, his ſeſe notis prodit. Pars affecta tumet, prementi digito renititur, tenditur, calet, rubet, & pulſanti dolore urgetur: is morbus aut latente materiæ reſolutione finitur, quod probandum eſt: interdum citra hæc malignus eſſe incipit, quod peſſimum eſt. Mala etiam curatione, in durum, ſenſuſque vertitur expertem tumorem, quod bonum non eſt. Inflammatio.

Grandiorem inflammationem ſubinde gangræna, atque ſphacelus conſequuntur. In priore, pars emori incipit, tenditque ad innati caloris exſtinctionem: tum autem floridus inflammationis color perit, ſimulque dolor & pulſatio. In ſphacelo autem (qui Latinis Syderatio dicitur) pars ſenſum, motum, ipſamque vitam tota amiſit, fitque prorſus nigra, mollis, putris, & male olens, & cadavereſa. Hic caſus (niſi corrupti membri amputatione mature ſuccurritur) præceps exitium affert. Gangræna. Syderatio.

Utilis quoque in eo vitio obſervatio eſt, quod Græcis ἄνθραξ, nobis Carbunculus appellatur. Locus primum prurit, dein rubore picis, aut bituminis more ſplendeſcente efflореſcit, & maximo dolore urgetur: tum protinus puſtula vel una, vel multa oritur, flagrantiſſima, non nimium eminens, eaque nigra eſt, & interdum livida, vel pallida. Hac rupta ulcus cum cruſta gignitur, qualis inuri ferro candente ſolet, eademque inflammatione cingitur, atque vi ardoris extorretur. Itaque cutis eo loco ſic inferiori carni adſtricta, affixaque eſt, ut inde deduci ea, dividique non poſſit: quæ in proximo ſunt partes, caloris, doloriſque incommodum conſenſu quodam omnes percipiunt: præter hæc, horrore ſubinde homo concutitur, ac febre perturbatur, cui multa accedit nauſea, & ſomni cupiditas, & cordis tremor: ipſe vero tumor nunquam ſuppurat, ſed excidente tandem, corruptæ, propter exuſtionem carnis, particula cavum accipit, & ſordidum ulcus. Id genus mali acutum, & ex toto mortiferum eſt, magiſque ſi febrem excitavit, ſi non longe a præcipuis abſiſtit viſceribus, in axillis ſcilicet, & in inguinibus. Metus enim eſt facile id intro reverſurum: quod ubi incidit, in certo vitæ periculo homo verſatur, maximeque ſi plura etiam ſigna comitantur non bona. Sæpe etiam cum id vitium circa ſtomachum fauceſve ortum eſt, ſubito ſpiritum elidit. Minus lethalis Carbunculus ruber eſt, atque hinc pallidus. Niger ex toto peſtilens ac pernitioſus eſt. Grave autem peſtilentiæ tempus omnis pene carbunculus & antecedit, & comitatur, idemque tum penitus eſt exitialis. Qui vero alias oritur, is, etſi maximis quoque doloribus terrere poſſe videatur, curationem tamen non difficillimam habet. Carbunculus.

Ερυσιπέλατος quoque proponenda animadverſio, tum ſimplicis, tum ejus quod exulceratum eſt. Utrique commune eſt, horrorem fere, ubi incipit, & febrem movere, ſemperque minus inflammatione, tum dolere, tum intumeſcere, perque corporis ſumma late diffundi, coloris eſſe ex rubro flaveſcentis eoque colore ubi digito urgetur privari, iterumque ubi laxatur imbui, ad hæc pulſationem non habere, multoque minus tenſionem, itemque ex una ſede in aliam ſerpendo migrare, & locum quem obſidet, mordere atque urere. Simplex Eryſipelas ardorem ceu quandam deflagrationem & ruborem ſine ulcere exhibet. Hippocrates Aphoriſmo- Ερυσιπέλας.

rum

rum libro, ἐπιφλόγισμα, noſtri ſimilitudine coloris ducti, Roſam vocant. Quod vitium is author per anginam peſtiferum eſſe ſcripſit, ſi poſtquam ſemel exortum in pectore eſt, ſubito rurſus intro revertit. Ceterum ubi exulceratum eſt Eryſipelas, quod proprie ſacer ignis appellatur, cutis alias ſumma afficitur, in eaque cruſtulæ tanquam furfuraceæ oriuntur, alias tota ulcus ſuſtinet, ruptiſque puſtulis ſaniem purulentam reddit. Eryſipelas ſæpiſſime in facie verſatur, eamque ſubinde ſerpendo, totam occupat, multumque tum intumeſcit, tum expanditur, ac, niſi remediis ſuccurritur, rapere etiam hominem ſtrangulatu poteſt. Pravum quoque eſſe ſolet, quod propter confractum, aut nudatum os natum eſt. Semper autem utile eſt ab interiore parte ad externam Eryſipelas verti: peſtiferum ab hac ad illam demigrare. Ab eodem vitio putredo aut ſuppuratio inimica ſunt, id quod nunquam prope accidere ſimplici Eryſipelati ſolet, ut quod magis perſpiratione cuticulari latenter diſſipatur.

Ignis ſacer.

Papulæ.

Nunc propter cauſæ affinitatem de papulis dicam, quas herpetis appellatione ſignificari video. Earum duo genera ſunt, alterum ſimplex, & mitius: alterum exedens ac ferum, quod ideo Græci ἄγριον dicunt. Simplex minimis puſtulis ſummam cutem exaſperat, leviterque rodit, & rubore ſuffundit, & pruritu ſollicitat, in orbemque fere procedit, ac plerumque ſaneſcente medio extrema longius vagantur. Id vitium, quoniam puſtulas exhibet milio ſimiles, Græce ὁ τῆς κιγχρίας ἕρπης appellatur. Ubi vero fere papulæ ſunt quas Græci ἐσθιομένας, id eſt exedentes, vocant, ſimiliter quidem, verum magis cutis, non ſumma, ſed tota exulceratur: magiſque, & roditur, & rubeſcit: ex puſtulis ruptis ulcuſcula ſunt arida ſine ſanie, ſine pure. Ut hic quoque nomine id vitium ab igne ſacro, cui alioqui omnia prope ſimile eſt, differat. Nam huic magnæ ſunt puſtulæ, exulceratæ, humidæ, e quibus pus ſanioſum. Papula omnis minime omnium ulcerum, quæ depaſcendo ſerpunt, periculoſa eſt. Verum curationem difficilem & longam habet, maxime ea quæ minus rotunda eſt. Talis enim in impetiginem, ſi ſublata eſt, tranſit.

Laxus ſine ſenſu tumor.

Οἴδημα, tumor laxus & mollis, & albus eſt, ſine dolore, ſine calore, idemque digito preſſus foſſulam quandam reddit. Frequens id vitium pedibus, interdum & toti corpori eorum eſt, quos aqua inter cutem, aut tabes, aut malus habitus conſumſit. Idem ſæpiſſime reſolutum conquieſcit, nec raro in nodos quoſdam & excreſcentia tubera degenerat. Promptius per hyemem crapuloſis & ſenibus accidit.

Durus ſine ſenſu tumor.

At vero ὁ σκιῤῥός prædurus ac renitens tumor eſt, ac ſenſus (ſi quidem exquiſitus eſt) expers, colore inter rubrum nigrumque medio. Idem initio exiguus, paulatim ad grandiorem molem inſurgit. Sæpe eo vitio jecur, ſæpius lien tentatur, non ſine certo metu graviſſimorum ac lethalium morborum. Interdum aliis etiam partibus accidit, quum perperam curata in ipſis inflammatio, vel Eryſipelas fuit. Recens ſcirrhus, ſi premitur, doloris exhibet ſenſum aliquem, & locum medicinæ præbet. Conſummatus ſenſu penitus caret, neque tolli remediis poteſt. Scirrhus aliis reſolvitur, aliis perpetuo durus manet, quibuſdam etiam in cancrum vertitur.

Struma.

Finitimæ huic vitio ſunt ſtrumæ, Græcis χοίραδες appellatæ, duri ſcilicet glandularum tumores, maximeque in collo, in quo longa ſerie diſponuntur: unde interdum ad alas perveniunt, itemque in pectus, & in mammas fœminarum: inguinibus etiam quorundam infeſtæ eſſe ſolent.

Hoc

Hoc ipſum vitium interdum mitius eſt, tumque tumorem exhibet æqualem, rotundum, circumſcriptum, non maxime durum, inflammatione doloreque carentem, omnia ſcirrho ſimilem. Porro ubi vetus id graveque factum eſt, malignum ulcus, & ſerpens, & erodens accipit: unde ipſe quo comprehenditur ab eo locus locaque proxima exeduntur. Idem interdum malignitate adeo efferatur, ut haud multum a Cancri abſit natura: tum febris etiam movetur, tumorque eſt inæqualis, in quo pulſantes dolores inſunt, ipſæque venæ eminent. Idem manuum contrectatione fit pejor, & per omnem vitam, quoniam non matureſcit, durat: ac ſive ferro, ſive medicamentis hæ ſtrumæ curantur, fere juxta cicatrices reſurgunt. Strumæ omnes magno negotio tolluntur, acciduntque maxime (quibus etiam minus noxiæ ſunt) pueris, præcipue ſi breve his collum, & preſſa tempora, & largæ maxillæ ſunt. Adultioribus, magiſque ad ſenilem ætatem provectis, raræ quidem, at difficillimæ omnes ſunt ſtrumæ. Deteriores etiam eſſe volunt, quæ dolore carent.

Cancer.

Periculorum, & propter longam durationem plenum tædiorum Cancri vitium eſt, Græci καρκίνον vocant. Tumor eſt durus, rotundus, inæqualis, aſpectu teter magis, quam inflammatio nigricans, at non juxta fervidus. Idem late circum circa dolet, qui quidem eſſe mollis intuentibus videtur, verum tactui occurrit duriſſimus. Circa eum venæ interdum plenæ, vel pallidæ, vel lividæ tenduntur, & quaſi incurvantur; ſic ut animantis cancri diductos pedes ſimilitudine quadam repræſentet. Ubi id malum incipit, forma ciceris exiguum eſt, durum, rotundum, obſcuri coloris, idque alias aliquo cum dolore & calore, alias ſine his: atque interpoſito ſpatio creſcens, magnitudine fabam & hinc nucem juglandem, aut quid his majus æquat. Idem tumor modo ſine ulcere, modo cum eo eſt. Ubi id eſt, ſupra hæc quæ propoſui, pars aſſidue exeditur, ejuſque profundum roſione ſuffoditur, corruptæ carnis exhibens formam, exitque ſanies peſtilentiſſima, tenuis, nigra vel fulva, copia, & odore abominabilis: ulcus ipſum inæquale, labiis cum tumore præduris & inverſis, concretaque humorum illuvie teterrimum eſt: lenta febris aſſidue tenet, crebroque anima deficit; maxime ſi vitium non procul a corde eſt: interdum multus ſanguis ex ulcere propter exeſam venam fertur, ſemperque malum creſcendo, donec occidat, ſerpit. Scire autem licet, ut omnibus corporis partibus ineſſe hoc vitium poſſe, ita ſæpius fœminarum accidere mammis conſueſſe, itemque ori, oculis, vulvæ, peni vel ano, magiſque ſi menſtrua diu ſuppreſſa ſunt, vel ſi diuturnæ curatæ fuerunt hæmorrhoides, aut longa quartana febris afflixit. Ubi recens cancer eſt, neque adhucdum aliquo in membro vetuſtate penitus inſedit, curationis aliquam viam præbet. Quum vero is inveteravit, aut penitus etiam inhæreſcit, nulla medicina vincitur, magiſque ſi ſimul etiam ulcus acceſſit. Sed & curationibus magis laceſſitur, quam juvatur: nam ſi ferro quis aduſſit, multo magis id tum concitatur efferaturque, & exitii cauſam certi præbet. Tum etiam etſi ſcalpello exciſum eſt, tamen poſt inductam cicatricem revertit, creſcitque donec vitam adimat.

Vulnus.

Proxima nunc eſt vulnerum atque ulcerum obſervatio. Tutiſſimum vulnus eſt, quod lineæ modo rectum, & in carne, & tantum diſciſſione illatum, non etiam colliſione eſt: præſtat enim acuto teſo percuſſum aliquem, quam retuſo eſſe. Malum autem vulnus eſt, ex quo aliquid exciſum eſt, aut alia parte abſciſſum, alia dependet. Omniumque peſſimum rotundum eſt. Lethale eſt quod cor accepit, vel cerebrum, vel ven-

ventriculus, vel jecinoris portæ, vel ſpinæ medulla, vel pulmo medius, vel tenuium aliquod inteſtinorum, vel circa fauces magnæ, tum venæ, tum arteriæ. Æque certum periculum, at non æque præceps affert, quod membranas, quibus cerebrum continetur, violavit, aut jecinoris craſſum, aut renes, aut lienem, aut vulvam, aut veſicam, aut ſeptum tranſverſum. Anceps etiam caſus, & metu plenus eſt, in alis, & in popliti-bus grandes venas intuſque conditas ictas eſſe, itemque eas quæ ad anum, & ad teſticulos perveniunt: tum enim periculum omne in nimia vertitur ſanguinis profuſione. Non tuto etiam loca inania, & articuli, & quæ pars inter digitos eſt, itemque alæ, & fœmen, & caput muſculorum, vel nervus, arteria, membrana, os, & cartilago vulnerantur. Periculo quoque ſubjacet quodcunque magnum eſt. Porro ex omni vulnere facilius ſaneſcit puer, vel adoleſcens, quam ſenior: firmus homo, quam impotens: quadratus, quam nimis vel gracilis, vel plenus: temperans, quam vino, Venerique deditus. Vulnus citiſſime ſaneſcit Vere, tardius Æſtate, atque Hyeme, tardiſſime Autumno. A vulnere diſtentio nervorum lethalis eſt. Malum etiam eſſe vulneratis compreſſam alvum Hippocrates judicavit.

Ulcus. Quædam etiam in genere dici de ulceribus poſſunt. Neque enim ſimplicia ea eſſe ſemper, ſed & tumorem interdum colliſionemque habere conſtat: eademque alias nimia carne, quæ ſuper increvit, onerantur: alias varicibus implentur: nonnunquam duris labris ac decoloribus cinguntur. Non raro etiam ubi facta cicatrix fuit, interpoſito tempore rurſus inflammatione laceſſuntur, ac diſrumpuntur: maximeque iis caſibus, ubi os ſubtus corruptum eſt, incidit, id quod hic ſciri licet, quoniam os primum pingue fit, dein nigrum, vel carioſum. Jam etiam malignum eſſe ulcus (κακοήθες Græci dicunt) atque ægre admittere cicatricem ſolet, quod δυσεπούλωτον vocant. Id magis fieri per pravum corporis habitum, aut per jecinoris lieniſque affectiones compertum eſt: ac tum fere vel calloſa labia ſunt, vel varices juxta inhæreſcunt, ipſeque fœdi homo coloris eſt. Fit quoque exedens ſubinde ulcus, quod ſanas etiam carnes in vicino poſitas, non tantum corruptas, atterit, depaſcitque, Græcis νομὰδες appellatur. Id vero oriri maxime poſt ea conſuevit vulnera, quæ medici imprudentia, mordacibus agitata medicamentis ſunt: aut certe poſt ignem ſacrum, poſtque eas puſtulas, quas acer bilis multo prurito excitavit. Hujus ipſius generis ἡ φαγέδαινα eſt, quæ φαγέδαινα. late vagando, cutem & primam tantum carnem exedit: ulcus etiam interdum eſt cavernoſum, cujus oſculum anguſtum eſt, fundum alte intro deſcendit, ac late ſeſe in varios ſinus tanquam in cuniculos diffundit, Fiſtulæ. id modo intus durum calloſumque eſt, modo non eſt. Ubi eſt, fiſtulæ nomen accipit, cujus multa haberi obſervatio poteſt: ſiquidem alia curatu facilis, alia difficilis, & quædam penitus incurabilis eſt. Expedita medicina eſt, cum id vitium ſimplex atque recens intra carnem conſiſtit, magiſque ſi juvenis aliquis ac firmo corpore eſt. Difficilis eſſe fiſtula judicatur, quæ os, vel cartilaginem, vel nervum læſit: itemque ea quæ articulum violavit, vel ad veſicam, ad pulmonem, ad vulvam, ad grandes venas & arterias, vel ad inania loca, ut ad guttur, ſtomachum, pectus, aut inteſtina penetravit. Sub his enim caſibus, modo periculum anceps, modo certa pernicies eſt: idque multo magis, ſi ſenex homo, ſi ægrum corpus, aut mali habitus eſt. Ex eodem autem ulcere ſi plus materiæ fertur quam quod ſimplici ſpatio convenit; ſcire licet,

cet, plures intus ſinus eſſe : atque hinc, ſi ſola eroſa caro eſt, pus leve, album, & majore copia fertur : ſi locus nervoſus, ejuſdem quidem pus coloris eſt, verum tenuius, & minus. Ab ipſo nervo quod promanat, pingue, & oleo ſimile eſt, ad quod etiam dolores accedunt : ſi vena affecta eſt, cruor ſubinde puri miſcetur : ſi os, tenuis inde liquor fertur. Fere autem, ut quodvis ulcus, ita etiam id quod altum, anguſtum, atque calloſum eſt, ſi diutius anno duravit, os afficit. Id autem cognoſcitur, ſi, quod ultimo ſpecillo exploratur, renititur, ſic ut non elabatur idipſum, verum æquali in loco ſiſti videatur : tum enim levis caries eſt. Si vero æquale, atque aſperum ſubeſt, vehementius os eroſum eſt. Fiſtula omnis difficillime ſaneſcit, præcipue quæ inveteravit, quæque profunde inhæreſcit, & multos ſinus habet. Quodcunque ulcus inducta cicatrice ſemel curatum, paulo poſt iterum rumpitur, id ad fiſtulam inclinat. Ceterum ulcus adeo interdum fit malignum, atque virulentum, ut partem putrefactione corrumpat. Id ſane viſcidum quid, aut carnem intus mollem habet, aut male olenti obſitum cruſta eſt, ex quo teter vapor fertur, qualis e cadaveribus corruptiſve carnibus ſpirat. Tale vero ulcus eripere etiam homini vitam poteſt, & cum ulterius efferatur, in exedentem ſphacelum verti. Porro ſcire licet malum ulcus eſſe, quod diu durat, quodque morbis ſuccedit, itemque quod in ambitu glabrum eſt. Pilos autem, qui ſemel defuerunt, iterum innaſci ſalutare eſt. Inimica etiam judicatur a forti in ulceribus pulſu, ſanguinis profuſio. Si tumores ſupra ulcera ſubito occultantur, idque in parte acciderit corporis anteriore, prorſus vel lateris acutus dolor, vel inſania timenda eſt. Quod ſi id a tergo factum fuit, periculum e nervorum diſtentione, vel rigore eſt : optatiſſimumque inter hæc eſt, citam alvum fuiſſe. Malum etiam ſignum eſt, multam exulceratis vigiliam eſſe, & ſpiritum difficilem, & ſitim, & cibi faſtidium, & febrem : itemque pus habere nigrum, aut fæculentum, & fœtidum. Animam autem deficere, peſſimum omnium eſt.

Proximum eſt quædam de ſanguine, ſanie, atque pure communia vulneribus ulceribuſque dicere. Sanguis per ſe notus eſt. Sanies non ſolum hoc tenuior, verum etiam omnium quæ defluunt tenuiſſima, minime glutinoſa, ſubalbida, aut ſubrubicunda. Græcis ἰχὼρ dicitur. Quod hoc craſſius, & magis glutinoſum eſt, id noſtri quidem virus, & ab eo ulcus virulentum, Græci autem (quoniam albo prope melli ſimile eſt) μελικηρὸν appellant. Ceterum pus omnibus his craſſius eſt, & albidius : nequaquam tamen ſic glutinoſum ut ſordes, quæ veluti concreta adhæreſcit ulceri, unde ſordidum eſſe ulcus dicitur. Sanguis optimus eſt calidus, rubens, modice craſſus, non tenax. Malus eſt, nimium tenuis, aut craſſus, lividus, niger, aut pituita imbutus, aut varius. Sanies inutilis eſt multa, nimium tenuis, livida, pallida, nigra, glutinoſa, fœtens, calida, erodens : utilior non multa, modice craſſa, ſubrubicunda, aut ſubalbida. Meliceria improbatur multa & præcraſſa : huic contraria, tolerabilior eſt. Pus inter hæc eſt optimum, meliuſque habetur quo minus eſt, & quo craſſius & albidius. Idemque probatur quod leve & æquale, & coloris unius eſt, & nihil olet : quodque modo & magnitudini vulneris, ut tempori convenit. Siquidem plus ejus ex majore vulnere, & nondum ſolutis inflammationibus fertur. At vero malum pus eſſe ſciendum eſt, quod te-

Sanguis. Sanies.

Pus. Sordes.

nue

nue atque dilutum ſeri colorem refert: magiſque ſi protinus ab initio tale eſt: æque ut ſi pallidum id alias, vel lividum, vel fæculentum, vel fœtidum eſt. Illud quoque obſervari poſſe videtur, cruorem ex vulnere ferri, vel recente, vel jam ſaneſcente: pus vero ex eo ulcere, quod ad ſanitatem inclinat, ſaniem ex incipiente, atque crudo; virus ex maligno.

Ἀνεύρυσμα. Κιρσὸς. Noviſſime venæ proponatur, aut arteriæ dilatatio, quæ in hac ἀνεύρυσμα, in illa nobis varix, Græcis κιρσὸς appellatur. Utrinque ſanguine multo vaſa implentur: ſed in vena craſſo, in arteria ſpirituoſo. Hic magna, turgida, ſæpeque moleſta ineſt pulſatio; illic nihil horum; utrinque pars ſine dolore tumet, preſſaque cedit, reditque. Varici magis crura quam ceteræ partes patent, maximeque in fœminis, quæ utero gerunt, & in his quibus ſoluta quartana, aut curata longa hæmorrhois eſt. Aneuriſma modo in externis eſt membris, circa jugulum atque pectus; itemque in manibus & pedibus: modo intus quoque inhæreſcit; præcipue ſub pectore juxta lienem & meſenterium.

MEDICINALIUM OBSERVATIONUM

LIBER III.

Quo hi eventus eaque proponuntur judicia, quæ tam de univerſalibus haberi morbis poſſunt, quam de particularibus.

QUUM ſuperioribus Libris morbos propoſuerim, qui vel totis corporibus inſunt, vel ſolam particulam occupant; proximum nunc eſſe videatur, in genere quædam de utriſque dicere. Neque enim parvi referre arbitror, quæ cujuſque morbi vis, aut acumen, aut duratio, aut eventus ſit, obſervare: æque profecto, ut in quem alium aliquis verti morbus poſſit, quibus ætatibus magis accidere, quibus temporibus anni, quibus cœli tempeſtatibus, quibus locis. Nec inutile quoque videatur, ipſius ægri mentem, mores, orationem, inſomnia, vultum, præcordia, ſpiritum, pulſum, appetentiam, victum, geſtum, decubitum, ipſum denique habitum, omniaque corpore exeuntia in morbis omnibus intueri, & ex his obſervationes utiles petere. Quæ quidem ſingula, quoad poſſum, noviſſimo hoc libro proponam.

Ergo acuti eſſe morbi, & perniciem afferre magna ex parte laborantibus ſolent, febris peſtilentialis, morbus attonitus, cerebri inflammatio, quam Græci φρενῖτιν dicunt, itemque veſicæ inflammatio, & nervorum rigor, quem τέτανον vocant. Acuti quoque morbi, at commemoratis minus ſunt, minus etiam pernitioſi, verum ſic anticipites ut modo occidant, modo ſaneſcant, febris ardens, lethargus, uva, angina, inflammatio lateris, vel pulmonis, itemque ventriculi, jecinoris, lienis, renum, uteri. Ceterum is morbus, quem χόλεραν dicunt, æque ut hi quidem anceps, at longe tamen acutior eſt. Breves morbi ſimulque ſalutares ſunt, febris diaria, & tertiana intermittens exquiſita. Longi autem, & ſine periculo ſunt (niſi quid ipſis tamen acceſſerit) febris quartana, gravedo, reſolutio nervorum, morbus articularis, ſive totum is occupat corpus, ſive partem: adhæc, ſcabies, impetigo, ceteraque pene omnia cutis vitia. Longi & anticipites ſunt, morbus comitialis, melancholia, deſtillationes omnes excepta gravedine: adhæc, abſceſſus in pectore, coli dolor, alvi profluvium, tormina, teneſmus, lævitas inteſtinorum, hydrops ſubdurus in jecinore, liene, & in renibus tumor, ulcus & calculus renum, & veſicæ: itemque hæmorrhoides, & fœminarum fluor: ipſa demum Elephantia, & Venereus morbus. At vero ut longi morbi, ſic etiam peſtiferi eſſe ſolent, febris hectica obfirmata, ulcus pulmonis, itemque ſubſtantiæ tum in hoc, tum in jecinore corruptio: tabes, marcor, cancer tum exulceratus,

Morbi acuti & lethales.

Acuti morbi & ancipites.

Morbi breves & ſalutares.

Longi morbi & ſalutares.

Longi morbi & ancipites.

Longi morbi & lethales.

tum occultus, & qui febrem acutam, aut durum jecur lienemve secutus hydrops est, quæque intestinorum lævitas torminibus accessit. Longus morbus, cum penitus insedit, æque ut acutus difficilis est: & acutus quidem, quo vetustior, longus autem, quo recentior, eo facilius curatur.

Tranſitiones morborum aliorum in alios.

Morbi autem transire alii in alios interdum solent, idque priore alias cessante, alias manente. Itaque diaria febris in hecticam transire, & in putridam potest. Erratica autem, & ex variis nata humoribus, sæpe in quartanam: atque hæc interdum in quotidianam vertitur: itemque quævis alia febris in morbum articularem, vel resolutionem nervorum, vel in abscessum. Febris vero ardens, & lateris inflammatio, & angina, transire in inflammationem pulmonis possunt: atque hæc rursum ad insaniam. Morbumque quoque comitialem melancholia, atque hæc illum interdum excipit. Sæpe etiam lateris inflammatio, atque pulmonis, in pectoris abit suppurationem: itemque hæc in tabem, atque in alvi fluxionem. Adhæc post longas destillationes, tabes: post sanguinis sputum, puris sputum; & post hæc, tabes. Post morbum attonitum nervorum resolutio, itemque post coli dolorem: post hunc etiam, morbus articularis, vel comitialis, vel volvulus, vel hydrops. A lienis vitiis, & a sinceris dejectionibus, tormina: ab his lævitas intestinorum, post quam hydrops, idem etiam post durum jecur atque lienem hydrops, & post auriginem, & post malum corporis habitum, siquidem hic a pituita crudus est: a melancholia autem natus magis in elephantiam vertitur. Post tormina, teneſmus, & vicissim post teneſmum, si bilis subest, tormina: vel si magis pituita, coli dolor, aut volvulus. Post longum coxæ dolorem, claudicatio, itemque hydrops. Post fluorem etiam uterinum & profusas hæmorrhoides, aut undecunque immodice promanantem sanguinem, hydrops: post cœcas hæmorroides, ani inflammatio: post grandissimam inflammationem, gangræna, atque sphacelus: post impetiginem, lepra, quam Græci sic nominant. Porro qui morbus ex alio nascitur, is fere occidit: a priore enim fatigata natura secundum sustinere vix posse videatur. Est tamen hujusmodi transitio interdum tuta. Nam pro valetudine est, pulmonis inflammationem verti in abscessum pone aures, qui suppuret: aut certe in partibus inferioribus, qui ad fistulam perveniat. Febrem quoque continuam, quæ vicesimum jam diem excessit, recte abscessus ad articulos natus excipit. Tuta etiam est post acutam febrem aurigo, si quidem molle præcordium & elapsus septimus dies est. Adhæc non incommoda febris post nervorum est solutionem, itemque post horum distentionem, nisi ea siccitatem inanitionemque secuta est. Attonitum autem morbum, & coli dolorem, tuto nervorum excipit resolutio: lippitudinem, alvi profluvium: tormina, teneſmus: insaniam, varix vel hæmorrhois, vel tormina: singultum, sternutatio: longas dejectiones, vomitio: surditatem, bilioſa alvus: sanguinis in fœmina vomitum, profusi menses: lienis tumorem, tormina: dolorem præcordiorum, qui sine inflammatione fit, itemque volvulum ex urinæ natum difficultate, febris. Ac sub his quidem casibus fere priorem morbum alter superveniens depellit. Jam vero a viliori parte morbum ad nobiliorem verti, adeoque ab summo corpore ad viscera, vitæque penetralia transire, periculosum est, æque profecto ut cum ex calido morbo alius fit frigidus: veluti si post acutam febrem hydrops oritur, aut post jecinoris inflammationem prædurus in eo sine sensu tumor.

Qui morbi commodum aliis succedant.

Qui

Qui morbi ſub bonis ſignis non levantur, & ſub malis remittunt, difficiles eſſe conſueverunt. Semper vero benigniores ſunt hi, quorum principia affecti ſpiritus dedere: pejores ex atra bile naſcuntur: ex aliis humoribus ancipites. Morbi difficiles, itemque faciles.

Haud raro ſemel curatus morbus revertit. Id vero hinc ſcire licet: quoniam depulſo morbo, homo imbecillus manet: aut certe aſſumptum cibum non ſentit: quoniam neque appetit, neque concoquit, ſed multa nauſea afficitur, & ructu vel nidoroſo, vel acido. Æque certum recidivæ præſagium eſt, ſi inter hæc iſta ſpiritus male olet, ſi vehemens ſitis eſt, & multa vigilia: ſi præcordia, quæque juxta ſunt loca, tument: ſi denique facies inflata eſt, maxime ad palpebram ſuperiorem. Quæ omnia eo certius reverſuram ægritudinem denuntiant, quo evidentiora iis temporibus ſunt, quibus eſſe vehementior morbus ſolet. Sed & ægritudinis genus aliquid ad prædicendam recidivam facit. Facile namque hæ febres repetunt, quibus adfuit inflammatio, tum cum hæ quidem finirentur, calorem tamen æſtumque in viſceribus aliquem reliquerint. Ejuſdem ordinis ſunt morbus comitialis, caligo, hemicrania, pertinax capitis dolor, deſtillatio, anhelatio quam ἄσθμα vocant, dolores renum, dolor colicus, morbus articularis & hujuſmodi. Autumnus recidivæ opportuniſſimus eſt. Quælibet morbi reverſio tutior eſt, ſi malam victus rationem tantummodo ſecuta eſt, non etiam relictum a priore morbo vitium. Quo quid citius revertitur, & quo vires ſimul infirmiores ſunt, eo pejus eſt. Quicunque morbus ſubito ſine ratione, ſine bonis ſignis finitus eſt, fere redit. Porro certis quibuſdam ætatibus, & anni temporibus, & cœli tempeſtatibus, & locis, certi etiam morbi magis eſſe familiares ſolent: quod cum aliis de cauſis, tum ideo quoque obſervatur: ut ſcire liceat, minore in periculo verſari ægrum, cujus naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, itemque anni temporibus morbus conſentit. Ergo infantes, teneroſque etiamnum pueros vomitus exercent, tuſſes, vigiliæ, pavores, aurium humores, fervida oris ulcera, umbilici inflammationes, & cum illi dentire incipiunt, gingivarum pruritus, nervorum diſtentiones, alvi profluvia, febres. Quæ omnia eo ſunt graviora, quo plenius corpuſculum eſt, atque alvus magis impedita ac pigra. Ubi paulum annis proceſſum eſt, ſic tamen ut nondum perventum ad puberem ætatem ſit, tonſillæ fiunt, & vertebrarum ſpinæ luxationes, anhelationes; itemque lumbrici, urinæ ſtillicidia, calculi veſicæ, ſtrumæ, verrucæ, pluraque alia tubercula. Ut primum pubertas venit, quæ comprehenſa ſunt, incidunt, & febres longius trahunt, & ſanguis e naribus fertur. Adoleſcentia morbis eſt expoſita acutioribus, itemque comitialibus, & præcipue ſanguinis ſputo, & poſt hoc tabi. Juvenibus autem lethargus accidit, & lateris pulmoniſque inflammatio, & anhelationes, & inſania quam φρενῖτιν dicunt, & ardentes febres: adhæc longa alvi profluvia, choleræ morbus, tormina, lævitas inteſtinorum, hæmorrhoides. Ceterum ſenes exercent ſpirandi difficultas, frequens cum tuſſi deſtillatio, vertigo, morbus attonitus, nocturna vigilia, aurium, oculorum, & narium madores, & viſus, audituſque hebetudo. Accedunt renum dolores, urinæ tum difficultas, tum ſtillicidium, præcipueque lævitas inteſtinorum, tormina, ceteraque hujuſmodi citæ alvi incommoda. Sæpius etiam incidunt dolores articulares, totiuſque corporis pruritus, ac malus habitus. Magna autem ex parte minus juvenibus ægrotant ſenes: verum ſemel diuturnis correpti malis, fere opprimuntur. Præſagia recidivæ. Primæ ætatis morbi. Puberum morbi. Adoleſcentum morbi. Juvenum morbi. Senum morbi

Quando pueris morbi finiuntur.

Longis morbis ſenectus, acutis adoleſcentia magis patet, ætas media tutiſſima eſt. Pueris maxime judicantur morbi vel quadraginta diebus, vel ſeptem menſibus, vel totidem annis, interdum etiam ad puberem ætatem trahunt. Poſt hanc autem ipſam qui manent, ac neque prima Venere, neque primis menſtruis finiuntur, longi eſſe ſolent. Porro omnis ætatis hominibus, gracilibus magis, accidunt tabes, dejectiones, deſtillationes, laterumque & viſcerum dolores, obeſis ſpirandi difficultas, & præfocatio, cujus occaſione interdum ſubita irruit mors: quem caſum vix accidere gracilibus poſſe hominibus conſtat. Tenue vero corpus, imbecillum: obeſum, hebes eſt.

Qui morbi gracilibus, qui obeſis magis familiares.

Morbi vernales.

Jam autem quod ad anni pertinet tempora, ſcire licet, etſi omnes morbi omnibus fieri temporibus poſſunt; Vere tamen eos magis incidere conſueſſe, qui humoris motu novantur: deſtillationes intelligo, tuſſes, ſanguinis profuſiones, puſtulas, abſceſſus, omnia denique nervorum & articulorum vitia, quæ modo accedere ſolent, modo rurſus conquieſcere. Junguntur his lippitudines, inſania, tum ea quam φρενῖτιν dicunt, tum quam μελαγχολίαν: morbos item comitiales, angina, impetigo, lepra, & hujuſmodi. Ver (quantum in ſe eſt) inter cetera anni tempora ſaluberrimum eſt, minimeque exitioſis morbis opportunum. Multa ex his in Æſtatem incidunt: verum habet etiam id tempus febres continuas, & ardentes, & tertianas multas, itemque lippitudines, vomitus, alvi fluxiones, aurium dolores, ulcera oris, naturalium putredines, & quicquid ſudore hominem reſolvit: quod noviſſimum quidem eo magis fuerit per febres proclive, quo Æſtas Veri fuerit ſimilior. Periculoſior autem Æſtas Hyeme, Autumno tutior eſt. Idem Autumnus vix ullo horum vacat morborum: ſed febres etiam adjicit incertas, & quartanas: itemque morbos comitiales, inſaniam, melancholiam, ſpirandi difficultatem, lienis tumores, hydropem, tabem, urinæ difficultatem. volvulum, tormina, lævitatem inteſtinorum, & coxæ dolores. Autumnus plenus eſt periculorum, neque ullum æque tempus morbis exitioſis & peſtilentiæ patet. Fere autem diutinis morbis fractos tollit, alioſque homines novis incommodis, iiſque longiſſimis, ac potiſſimum quartanæ implicat. Idem tabidis longe inimiciſſimus eſt. Hyeme capitis fiunt dolores, vertigines, morbi attoniti, lethargi, gravedines, raucitates, tuſſes; & ſi qui in faucibus, in lateribus, & in imis viſceribus contracti morbi ſunt, eos exaſperat. Idem tempus ſalubritate a Vere ſuperatur: Æſtate autem, multoque magis Autumno tutius eſt. Illud in genere noviſſe licet, conſtantibus temporibus, & naturam ſervantibus ſuam, conſtantes etiam morbos & judicii non difficilis naſci; incertos autem eſſe, ac difficulter judicari inæqualibus temporibus. Tum etiam, ſi talis pergat eſſe annus, qualem ſemel adeptus conſtitutionem eſt, ſcire licet ſimiles pene morbos ſemper expectari oportere. Meminiſſe autem convenit pueros, & his ætate proximos, ipſo Vere, primaque Æſtate, melioris eſſe valetudinis: Senes, ipſa Æſtate ad aliquam uſque Autumni partem: reliquo Autumno, itemque proxima Hyeme, eos qui in mediis ſunt ætatibus.

Morbi æſtivi.

Morbi autumnales.

Morbi hyemales.

Præſagia morborum ſumta ex cœli variis tempeſtatibus.

Varios etiam præſagire morbos, prout varie a ſua natura anni tempora deficiunt, licet. Nam ſi Hyems ſicca, Septentrionalibus ventis perflatur, Ver autem pluvium cum Auſtris ſucceſſit, prædicere licet febres acutas Æſtate futuras eſſe, & lippitudines, & tormina, in fœminis potiſſimum, atque in his viris quorum humidior natura eſt. Si vero clementior Hyems Auſtros exhibuit, atque pluvias, Ver autem ſiccum

cum

cum Aquilonibus fuit; prægnantes, quibus Vere partus fiet, abortu periclitantur: & si quæ in tempore pariunt, imbecillum id quod excluditur erit morbosum, ac minime vivax. Aliis hominibus lippitudines instabunt aridæ, & tormina, &, si seniores sunt, destillationes, quæ subinde occidant. Jam vero cum sicca & Aquilonaris Æstas, Autumnus pluvius, atque Austrinus est, tum quæ proxima est Hyems, capitis inferet dolores, tusses, destillationes, raucitates, & ipsam in nonnullis tabem. Quod si antecedente sicca & Aquilonari Æstate, ipse quoque siccus Autumnus Aquilonibus perstringitur; non inutile quidem hujusmodi tempus ad commodam valetudinem humidioribus fuerit corporibus, maximeque fœminarum: verum siccæ lippitudines, & febres tum acutæ, tum longæ, & hi morbi quos atra bilis concitat, fient.

Quod cœlum.

Porro Cœli tempestates, prout serenæ sunt, vel nubilæ, vel pluviæ, vel his aut aliis ventis perflatæ, adventum variarum ægritudinum denunciant. Saluberrimum est cœlum serenum atque purum. Itaque præstare creditur rusticum urbano, agreste pratensi, mediterraneum maritimo, montanum palustri, terrestre fluviali, siccum pluvio, sudum nebuloso, meridianum matutino, diurnum nocturno. Sub optimo cœlo certior valetudo est, prioresque morbi (si qui fuerunt) promptius sanescunt. Optimum vero Hyeme cœlum est, quod omni vento caret: Æstate quod Favoniis perflatur. Post serenum cœlum, optimum est id quod æquale est, sive frigidum, sive calidum. Pessimum autem est quod variat maxime, eoque nomine multos Autumnus, qui cetera parte anni traxerunt, tollit. Recte enim Hippocrates judicavit, si eodem die modo calor est, modo frigus, Autumnales morbos expectare oportere. Semper autem pluviis salubriores sunt siccitates. In his tamen febres acutæ fiunt, & tabidi morbi, & lippitudines, & tormina, & urinæ difficultates, doloresque articulorum. Pluviæ vero longas febres exhibent, alvi fluxiones, putredines, morbos, tum comitiales, tum attonitos, anginas, resolutiones nervorum, cancros. Porro ex ventis salubriores sunt Orientales, atque Septentrionales, quam vel Subsolani, vel Austri: etsi ea res tamen pro regionibus variat. Ubi Aquilo cœlo imperare incipit, prædicere licet dolores lateris & pectoris, tusses, faucium asperitates, alvi & urinæ compressiones, & horrores: sanum tamen corpus is ventus firmat, & vegetius mobiliusque reddit. Spirantibus autem Austris expectare convenit oculorum caliginem, aurium hebetudinem, sensus tarditatem, vertiginem, gravitatem capitis, alvi fluxionem, totiusque denique corporis imbecillitatem, atque pigritiem. Ceteræ tempestates cœli, prout vel Aquiloni, vel Austro propiores sunt, modo hos, modo illos potius morbos creant.

Qui morbi ab Aquilone, qui ab Austro fiant.

Officium ægroti.

His ita animadversis, proximum est ad ipsum spectare ægrotantem: qui, si in propria curatione officio non deest suo, & morem imperatis Medici gerit, neque quicquam proficit tamen, graviter utique ægrotat: omnino autem contrarium fit, si, cum nusquam in officio sit, mediocriter tamen habet. Ejus quoque non constare mentem, in primis grave est. Qui sic est, is, etsi parte aliqua corporis dolorem habet, nullo tamen ejus videtur affici sensu. In omni autem morbo hominem compotem mentis esse, bonum est. Aliquid etiam spectari in moribus potest. Tutum enim non est levi animo natum, asperum in morbo responsatorem esse cœpisse, aut quædam violenta manu facere eum, qui semper imperium in animum non difficile habuit. Turbulentus vero natura homo, etsi non modo ferociter loquitur, verum etiam desipit per febrem ardentem, non usque-

Mens ægroti atque mores.

quaque tamen periclitari videtur. Si quis ſupra modum, ſupraque conſuetudinem vel loquax, vel taciturnus eſt, malum ſignificatur: tacenti enim ſoporis, aut melancholiæ principium eſt: garrienti, delirationis. Jam vero falſis imaginibus propter vim morbi mentem turbari, ſine magno metu non eſt: veluti cum quis digitis micat, aut floccos feſtucaſve de ſtrangulis legit, aut armatos adeſſe ſibi hoſtes putat, maloſve dæmones, vel quid ſpectrorum hujuſmodi. Longeque gravius eſt, ſi judicio amiſſo neceſſarios, vel domeſticos non agnoſcit: aut ſi quæ animus concupiſcit, eorum ipſe protinus homo obliviſcitur. Ad extrema autem ventum eſt, ſi inter hæc æger neque audit, neque videt, aut movetur, extremis jam tum frigeſcentibus, & livore fœdis.

Præſagia ex ſomno atque vigilia.

Haud levis etiam in ſomno animadverſio eſt: ubi is enim auxiſſe malum videtur, mortalis eſt: ubi levaſſe, non mortalis. Ab eodem itaque delirium ſedari valde bonum. Peſſimum eſt, ex toto ablatum eum eſſe: vis enim hoc modo infirma conſumitur. Eo minus malus eſt, qui nocte non accedit, etiam ſi interdiu venit. Qui autem tantum de die ſit, is melior eſſe matutinis temporibus cenſetur, ad tertiam uſque diei partem. Æque malum eſt ſomni nimietatem eſſe, ſic ut quidam veluti ſopor interdiu noctuque immoretur. Plenior per noctem ſomnus qui delirio ſucceſſit, quique cum frigore partium eſt extremarum, periculum oſtendit. Altus ſopor cum debili pulſu, & delirio, & extremis frigeſcentibus, mortalis eſt. Ut ſine modo continuatus ſomnus, ſic etiam nimia vigilia malum ſignificat. Hæc enim, niſi dolorem afflictionemque ſequitur, delirii metum oſtendit. Quem longa vigilia confecit, huic tuſſi accedere, admodum periculoſum eſt.

Præſagia ex inſomniis.

Aliquid etiam in inſomniis eſt. Nam ſi ea alia ſunt, quam diurna negotia fuere, turbationem eſſe in corpore aliquam teſtantur. Itaque ſi incendia videri videntur, flava luxuriat bilis: ſi vero fumus aut denſa caligo apparent, atra bilis abundat: ſi imbres, itemque nix, glacies aut grando objiciuntur, multa intus pituita eſt. Qui in fœtido ſe loco verſari putat, putrem is humorem intus fovet: cum vero rubra quædam dormientibus per inſomnium obverſantur, ipſique criſtas habere ſe gallinaceorum credunt, ſcire licet ſanguinem intus abundantem eſſe. Luna, ſi apparet ſub inſomnio, eas potius affectiones notat, quæ in medio corporis cavis ſpatiis ſunt. Sol, quæ in medio: cetera aſtra, quæ in ambitu. Si quid igitur horum offendi videtur, aut obſcurari, ſuove circuitu ſiſti; quæ pars ſingulis debetur, in ea morbus verſatur: levis quidem, ſi vel aer, vel nebula luminibus cœleſtibus impedimentum dedit: gravior, ſi aqua. Quod ſi ea ipſa ita ſuperari interjectis elementis videntur, ut penitus evaneſcant, metus eſt ægrum morbo ſuccubiturum. Ceterum, ſi fugatis obſtaculis, clara fieri ſigna ſplendidaque incipiunt, in multa ſpe eſſe homo poteſt: quum vero celerrimo impetu feruntur, inſaniæ metum oſtendunt: ſi deſcendere ad occaſum, itemque in mare præcipitare, vel in terram videntur, morbos etiam ſignificant. Turbatum mare ventris affectum notat. Terram autem aquis inundari videri, bonum non eſt. Humidum enim id morbum arguit, multoque magis, ſi quis ſtagnis aut fluminibus mergi ſe putat. Pejus eſt aridam terram, ac Solibus toſtam vidiſſe: magnæ enim id argumentum ſiccitatis eſt. Si quis per ſomnum avide quid edere, aut bibere velle videtur, alimenti vel potionis ſignificatur inopia. Aquam puram potari videri, bonum: cetera pocula, malum. Monſtra vero apparere, aut armatos hoſtes, unde ingens terror dormienti incutitur, morbum

bum oſtendit, & inſaniæ metum. Ex æditiſſimo loco præcipitari videri, vertiginem minatur, morbumque vel comitialem, vel attonitum; utique ſi tum quoque caput multo humore oneratur.

Sed miſſis nunc mentis erroribus, exteriora ægri intueamur, in quibus vultus locum habere præcipuum poteſt: is enim ſignis minime dubiis affectum principium partium commonſtrat. Ergo in omni morbo bene ſperare licet, ſi quis non nimium diſſimilem vultum ſani hominis retinet. In magnis malis facies bona, metum morbi minuit: in parvis autem non bona, exauget. Extremum periculum oſtendunt oculi vitio morbi concavi, collapſaque tempora, & nares acutæ, inverſæque imis partibus ac frigidæ, aures & cutis circa frontem intenta atque dura, color lividus, aut niger, palpebrarum denique, & labrorum & narium pallor. Hæc facies, ſi vim morbi, non autem effrenatam ſecuta exinanitionem eſt, periturum ægrum intra triduum oſtendit, maximeque ſi ſimul dejectiones, urinæque pingues exierint. Frequentiſſimus hic vultus eſt, cum maxima febris corpus extorret, colliquatque: præcipue ſi juvenis eſt, qui laborat, & negotiis implicitam vitam degit. Sive autem morbus acutus, ſive longus ac magnus, ut tabes, faciem ſic violavit, idque ſive inter initia factum eſt, ſive poſterioribus temporibus: mortem, etſi non æque ubique celerem, ſemper tamen certam præſagit. Præſagia ex ægri vultu.

Multum etiam obſervationis haberi ex præcordiis per morbos poteſt. Ea enim ſine ullo ſenſu doloris, æqualiter utraque parte mollia, magnam ſalutis ſpem faciunt. At vero metum auget, ſi inflammata, & dolentia, & dura intentaque ſunt: ſi inæqualiter dextra parte ſiniſtraque affecta. Quod ſi ſic tumida ſunt, ut digitis tamen cedant compreſſa, & non doleant, morbum quidem ut non periculoſum, ita longum fore ſignificant. Præcordiorum venæ ſi pulſant, aut turbationem, aut delirium portendunt. Æque vero in omni morbo utile fuerit, partes circa umbilicum & pubem obſervaſſe. Præſagia ex præcordiis.

Bonum enim craſſitudinem eas habere, planamque ibi cutem eſſe; at vero emacruiſſe, atque liquatas eſſe, valde malum.

Circa decubitum iſta quoque animadvertuntur. Si æger in latus aut dextrum, aut ſiniſtrum pro arbitrio cubat ſuo, cruribus paulum reductis, & facile convertitur, convaleſcere poſſe videtur. Contra vero periclitatur, ſi hians, & ſemper dormiens ſupinus præter ſolitum jacet, expenſis manibus pedibuſque, aut ſi has partes dejicit, aut (quod pejus eſt) ſi ſubinde ad pedes delabitur. Pedes autem nudare & manus, quibus vehemens calor non eſt, malum eſt, & ſummæ afflictionis indicium. Pronus decubitus delirium eſſe, aut dolorem juxta ventrem oſtendit. Haud leve etiam malum portenditur, ſi æger ex morbo debilis nullum ſuſtinere decubitum poteſt, ſed erigi volens, ſeſſionem expetit: aut ſi adſtantes averſatus, ſeſe in ultimum cubile convertit. Ex manibus etiam aliquid obſervatur, quas ſi ſine cauſa æger ſæpius naribus admovet, tanquam inde abſterſurus aliquid, nihil tamen cum ſit, malum id eſſe judicatur: parque periculum eſt, ſi digitis floccos de ſtragulis vellere conatur, aut quæ in proximo pariete minuta eminent, carpere. Præſagia ex decubitu corporis.

Jam vero quod totum corpus attinet, id nimium celeriter per morbos emacreſcere; aut contra æque bene habitum, morbo quantumvis diutius trahente, videri, malum eſt: prius enim, magnam naturæ infirmitatem, ſecundum longam invaletudinem arguit. Æque vero inutile eſt, modo ca- Præſagia ex toto corpore.

lidum esse corpus, modo his coloribus, modo aliis affectum. Diuturni enim id judicium morbi.

Præsagia ex respiratione.

Sed corporis quoque ægrotantis intueri facultates oportet, & ex his utilia præsagia sumere. Spiratio itaque bona cum in longis morbis, tum maxime in acutis, qui cum febre sunt, & intra quadraginta dies conquiescunt, promittere salutem solet: difficilis autem, periculum minari. In primis vero horrenda spiratio est, quæ inæqualiter intorciseque ducitur, ut dupla videatur aeris intra pectus revocatio. Mala quoque & præfocans ea est, quæ hominem supinum esse non sinit, sed e cubili cogit consurgere: sub qua thorax atque scapulæ plurimum attolluntur. Ea autem difficilem destillationem, vel anginam, vel suppurationem, vel crudum pulmonis tuberculum comitatur. Magna autem & frequens, qua fervidus vapor ore, naribusque efflatur, vehementis sine obstructione incendii argumentum præbet. Itaque hæc per ardentes febres maxime editur. Frequens autem, & parva, infirma esse vires testatur, aut certe impedimentum, quo pulmo urgeatur, arguit. Proin inflammatis pulmonibus, aut lateribus, aut septo transverso, aut jecinore, aut liene, subinde talis esse deprehenditur. Magna autem, & ex longis intervallis rara, insaniæ nota est. Perniciem autem minatur ea, sub qua spiritus ex ore atque e naribus frigidus fertur: ubi spiritus vix ore, sed totus pene naribus emittitur: magisque si harum contrahi pinnæ, dilatarique cernantur, certum oppressarum virium judicium est. Incumbente per febres morte, spiratio alta, crebra, & difficilis est.

Præsagia ex pulsu.

Nunc de pulsu dicam arteriarum, qui, quoniam cordis vitæque nuncius est, magnas ad recta præsagia vires habet. Is enim si per morbos haud multum a natura defecit sua, talisque esse perseverat, validum corporis robur, spemque secundæ valetudinis ostendit. Optimus censetur is, qui medius inter magnum est & parvum, inter celerem & tardum, inter crebrum & rarum, inter vehementem & languidum, inter mollem & durum, inter plenum & vacuum, quique bonam ictuum inter se proportionem, æqualitatem, ordinemque retinet. Idem hic variis de causis suæ naturæ legem amittit, prout vis est ægrotantis, aut usus pulsationis, aut affecta arteria. Magnus pulsus usum sequitur inauctum, naturæque vim: sed priusquam a naturali statu in magnum degeneret, primum fit is, qui omnium naturæ facillimus est, creber, crescenteque magis usu etiam celer. Si imbecillus sub his casibus homo est, magnus esse desinit pulsus, fitque cum crebro parvus & languidus. Dura etiam arteria pulsus non admodum esse celer potest. Contraria autem ratione de parvo dicendum est: sub quo vis infirma est, & nequaquam urgens usus: hic primo rarus, dein, crescentibus imbecillitatis causis, tardus, & tum parvus esse incipit. At tarditatem quoque & raritatem facere siccitas arteriæ potest. Durus etiam pulsus arteriæ notat duritiem, mollis humiditatem. Itaque hic peculiaris esse sopori, lethargo, pulmonis inflammationi, mollibus viscerum tumoribus, aquæ inter cutem, similibusque morbis solet. Robustus vehemensque pulsus, ægrotis spem secundæ valetudinis ostendit: languidus, exitii metum. Scire autem licet, non tantum periculi in pulsu verti maximo, vel celerrimo, vel creberrimo, vel vehementissimo, vel mollissimo, quantum in eo qui minimus est, maximeque tardus, rarus, languidus, durus. Hi enim nunquam sine gravi periculo subsunt. Ex priore ordine, optimus quidem vehementissimus est, dein maximus: praviſſimus autem est, maxime mol-

Optimus pulsus.

Magnus pulsus.

Parvus.

Durus, itemque mollis.

Robustus.

Languidus.

mollis. Ex poſteriore autem deterrimus, languidiſſimus: poſt quem tardiſſimus, & rariſſimus, atque hinc minimus. Languidus autem omnis ſemper naturæ ſignificat imbecillitatem, quæ imbecillitas ſi longa vetuſtate morbum contracta eſt, reddit eundem etiam pulſum parvum, rarum, atque tardum, ſi quidem febris deeſt: & crebrum, velocemque, ſi ea ſubeſt. Ubi imbecillitatem nimius dolor, aut vigilia, ſubitæve inanitiones intulerunt, pulſus ſupra languiditatem parvus eſt, & celer, & creber. Si autem non in ſe debilis, ſed aliqua re impedita, oppreſſaque natura eſt, ut in magnis fit grandium vaſorum obſtructionibus, itemque in repentinis humorum in præcordia confluxionibus, & in ipſis denique peſtilentialibus febribus: pulſus maxime continenterque eſt inæqualis, idemque præter languiditatem parvus, tardus, & rarus: tametſi ſubinde paucis ictibus, vel vehemens, vel magnus, vel celer, vel frequens apparet, qua in re maxima ejus deprehenditur inæqualitas. Semper autem major imbecillitas eſt, ſi pulſus intermittit: maxime, ſi is deficit. Idem hic ſi non recurrit, ſed ex toto deficit (quod ἀσφύξιαν Græci dicunt) horrendiſſimus eſt, & certæ mortis index. Is pleriſque omnibus vita defuncturis ſub noviſſimum ſpiritum accidit: quibuſdam aliquot ante cum horis, & interdum (quod mirum videri poteſt) pluribus etiam diebus. Minus autem periculi in eo vertitur, qui ſenſim gracileſcens minuitur (Græci μύουρον appellant). Hic alias reciprocus eſt, alias non eſt: ut ut eſt, magno ſemper metu terret. Et quidem ſi non reciprocat, deterior etiam deficiente reciproco judicatur. Haud leve quoque diſcrimen intermittens pulſus habet, qui, quo diutius a motu quieſcit, eo periculoſior eſt: & cum duarum tempus pulſationum intermittendo tranſigit, mortem denunciat, niſi alicui tamen is pulſus ſecundum naturam eſt: quanquam in ſenibus, longa febre, vel anhelatione affectis, itemque alias in pueris obſervatum eſt, poſt intermittentem pulſum, vitam manſiſſe, id quod nulli contigiſſe juvenum credibile eſt. Longe hoc pulſu formidabilior, & certior exitii nuncius exiſtimatur, qui in una intermittens pulſatione eſt. Intercurrens autem pulſus bonam judicationem morbi pollicetur, & futuram ſalutem: utique ſi cetera quoque ſigna reſpondent. Bis feriens, ſeu interciſus, calidum humorem, eumque vehementer putrem & facultatem non penitus invalidam ſequitur. Undoſus, morbos denotat nimio humore corpus irrigantes, febres ſcilicet quotidianas, & continuas has, quæ perpetuis ſudoribus hominem labefactant, τύφλεις Græcis appellatos conſtat: itemque id genus hydropis, quod ipſi λευκοφλεγματίαν dicunt. Tum in hiſce febribus, tum etiam in aliis, undoſus pulſus ſudorem antecedit judicialem, ſi quidem plures ſunt ictus alti, & vehementes, notæque concoctionis cernuntur. Sub undoſo pulſu, neque viſcerum ſubeſſe inflammatio, neque durus in his ſine dolore tumor, minuſque vel diſtentio nervorum, vel nimia ariditas poteſt. Eundem pulſum in vermiculantem (qui ab illo ſola differt parvitate) verti tutum non eſt. Tum enim vis, etſi nondum deficit, tamen paulatim labaſcit. Idem vermiculans attritam vacuatione naturam comitatur, itemque pulmonis id vitium, quo ipſe totus putris nimio ſacet oneraturque humore: utique ſi jam tum quoque vires corporis infirmæ ſunt. Quemadmodum de undoſo dixi, ita quoque dicere de vermiculante oportet, quod uterque mollem requirit arteriam: neuter deprehendi in tabe, inflammationibus, & duris, ſenſuque carentibus viſcerum tumoribus, & in ſuppurationibus pectoris,

Deficiens.

μύουρος.

Intermittens.

Intercurrens.

Bis feriens.

Undoſus.

Vermiculans

ne

ne propinqua quidem jam morte, poteſt. Nulla febris, niſi quæ leviſſima eſt, ac lenta, vermiculantem pulſum exhibet: quoniam creſcens calor, tardam eſſe arteriæ diſtentionem non permittit. Proin poſt intemperatam inanitionem ortus vermiculans, ſi febris accedit, tollitur. Ut vero undoſus, ſi debilior fit, a vermiculante excipitur: ita vermiculans, a formicante. Quare hic quoque incommodi plus, quam ille portendit. In febribus autem lentis, quæ non vi, ſed ſpatio, longaque vetuſtate vires exhauſerunt, mortis eſt nuncius. Tum hic ipſe, tum vermiculans, ubi ab iis cauſis fiunt, quæ vim corporis ſubito exſolvunt, iterumque corrigi non difficillime poſſunt, non æque magnum metum inferunt. Ad quem caſum expoſiti ſunt ii, quibus propter balnei calores anima deficit, aut vires, ob profuſum e vulnere, aut naribus ſanguinem, ſubito collabuntur. Caprizans autem pulſus naturæ notat robur: & ſecundæ ſpondet valetudinis expectationem: niſi tamen poſterior pars diſtentionis fuerit languidior: tum enim anceps naturæ morbique pugna eſt. Hecticus pertinacius immoratur, ac morbum longum, ſiccumque, ac male ſanabilem oſtendit: peculiaris eſt tabidis aut aliqua demum ratione emaciatis. Serratus inflammationes ſequitur, præcipueque partium nervoſarum: quare etiam lateris inflammationi familiaris eſt. Idem eo pejor, quo manifeſtior eſt: id quod nimia tenſio & durities facit. Eſt etiam comes crudorum intus tuberum, quæ hominem ſubinde tollere, ubi multæ vires non ſuppetunt, ſolent: niſi ſi ea tamen tempeſtive ſuppurant. Raro convulſiſſimus incidit pulſus, idemque periculum habet: præcipue ſi poſt magnam vacuationem, famem, febres ardentes, ſimileſve ærumnas oritur. Tutior eſt is, qui protinus inter morbi initia repente incidit. Accedit etiam ad inflammatorios cerebri affectus, & ad id maxime genus inſaniæ, quod φρενῖτιν dicunt, itemque ad morbum comitialem, ipſis ægris (contra quam in ſyncopa fit) ſub corporis calore morientibus. Vibratus autem, ſeu turbulentus pulſus in ægrotis, qui magnas inflammationes, vel tenaciſſimas patiuntur obſtructiones, itemque nervorum diſtentionem, naturæ cum morbo pugnam oſtendit. Tremens pulſus, vel qui vere eſt talis, vel ex trementibus ad carpum muſculis, ſi vi morbi, non ex natura ineſt, ſyncopem præſagire, & mortem ſolet. Idem ſemper languidus eſt, ac parvus. Ordo in bonis pulſibus, bonum: in malis (tametſi quidam non mediocres viri repugnant) malum ſignificat: tantoque ſemper ordo magis improbatur, quo pulſus ſimul deteriores ſunt. Illud in genere noviſſe oportet, pulſum morientibus non eundem omnibus eſſe. Aliis enim prorſus is ante obitum ceſſat: aliis ad noviſſimum prope ſpiritum deficiens eſt: aliis non talis, ſed creberrimus fit, & minimus, & languidiſſimus: quibusdam μύουρος eſt: nonnullis intermittens: aliis formicans: aliis vermiculans.

Caprizans.

Hecticus.

Serratus.

Vibratus.

Tremens.

Pulſus morientium.

His etiam animadverſis, proximum eſt, appetentiam, aut faſtidium ciborum, omnemque denique victus rationem contemplari, atque inde præſagia, judiciaque morborum depromere. In omni morbo, ſalutis nota eſt, bene ad ea ſeſe habere ægrum, quæ vice cibi potioniſque offeruntur: contra male habere, periculoſum eſt. Parvis aſſumtis, ſi nihilo æger habet deterius, tolerabilis morbus ſubeſt: verum omnibus recte oblatis, ſi non modo æger non juvatur, ſed etiam offenditur, ſcire licet id difficilis morbi indicium eſſe. Si quis per initia morborum cibos averſatur, aut etiam juxta ſtatum, viribus etiamnum ſufficientibus, nihil terreri debet; verum quæ, declinantibus morbis, cibi

Præſagia ex appetentia & faſtidio ciborum.

oriun-

oriuntur faſtidia, aut alias etiam viribus admodum invalidis, periculo non vacant. Eadem ſub longa invaletudine peſſima ſunt: ſed & in convaleſcentibus recidivam minantur, magiſque ſi una frequens acidus ructus eſt. Poſt morbum, ſi expetitis & ſumtis epulis, homo neque corpore, neque viribus proficit, malum eſt: nam plus eſtur, quam par eſt. Verum ſi idem caſus modice comedente accidit, ſcire licet inanitionis eum egentem eſſe: quo auxilii genere niſi ſuccurritur, metuenda recidiva eſt. Nemque ea ſcilicet tum demum proclivis eſt, cum quædam in corpore poſt judicationes relinquuntur. Jam autem in ipſo etiam morbo, quicunque initio probe comedit, nec proficit tamen, is tandem fere ciborum urgetur faſtidio: contra qui magna prius uſus inedia, cibum poſtea concupiſcit, is morbo facilius liberatur.

Sequitur nunc eorum obſervatio, quæ corpore excluduntur: ſputum dico, alvi excrementum, urinam, ſudores, quibus omnibus ſic comparatum eſt, ut, cum imbecilliter & diminute, parvaque portione efferuntur, mala ſint; magiſque, cum propinque inter ſe invicem prodeunt. Quin etiam tum ingentem oſtendunt metum, cum pravæ quoque notæ comitantur: ſin minus, morbi longitudinem. Illud fere commune eſt, quicquid exit cujuſcumque ſit ſubſtantiæ, aut molis, aut qualitatis, etiam id fiat vel modo, vel tempore, ſemper ſalutem promittere, ſi poſt notas fertur concoctionis, ſi die judiciali, ſi cum ægri levamento: quod contra vacuatur, id peſſimum atque mortiferum eſt. Sputi, atque ejus, quod vomitu extunditur, animadverſio, ſuperiore libro propoſita eſt, quare hoc loco dejectionem tantummodo, & urinam, & ſudores exequar. Præſagia ab excrementis.

Ergo optima dejectio eſt, mollis, cohærens, compactaque, & ſubruffa, quæque odore ſimilem alvum ſani hominis non excedit: quæ denique juſtæ molis pro ratione aſſumtorum eſt, & eodem tempore, quo per ſecundam valetudinem redditur. Mala autem eſt, nimium dura, aut liquida, cito diffluens, aut conſiſtentiæ inæqualis. Bona quoque non eſt, vehementer vel ruffa, vel alba: hæc enim cruditatem arguit, illa morbum bilioſum: tametſi ruffa non incommode eodem declinante morbo editur, abſcedente, quæ hunc fecit, materia. Viridis quoque dejectio mala eſt, æruginoſæque ſoboles bilis. Nigra autem, atram bilem; livida validum notat in internis frigus. Pinguis item tuta non eſt: quemadmodum nec viſcida, ac tenax. Sub utraque enim (niſi ſi talia aſſumta ſunt) corpus liqueſcit. Quæ vero male olet dejectio, commoda non eſt, ut quæ caloris magnæque putredinis habetur nota. Mala quoque ſpumoſa eſt, aut quæ more ſtercoris bubuli flatibus plena ac lævis eſt. Spumoſa quoque incommodum magni intus fervoris oſtendit. Ad hæc noxa non vacat, quæ vel pauca vel nimia eſt: varia item, qualis ramentoſa eſt, & abunde bilioſa, cruenta, & purulenta: adhæc praſſina, & nigra, mala eſt. Pejor eſt, ſi ſimilem etiam odorem ſtercoris infantis habet. Quocunque morbo incipiente, ſi atra dejicitur bilis, vel etiam per os evomitur, lethale eſt. Sub acuto morbo ſpumoſa alvus, & undique bilioſa, admodum mala eſt. Splendentem ſanguinem dejici, maxime ſi qui ante dolores tenuerunt, periculoſum eſt. Liquida dejectio vel acervatim, vel paulatim incidens nocet: altera enim nimis imbecillum facere hominem, altera vigilem ſolet. Mala quoque per morbos acutos alvus aquoſa eſt: magiſque, ſi ſitis deeſt. Eadem opere detentis atque torpore, peſſima eſt: Præſagia ex dejectionibus.

eſt : itemque his, quibus una venter in tumorem intenditur. Ex liquida dejectione refrigeratio cum ſudore, malum : quæ vero in morem atri ſanguinis nigra eſt, ſive cum febre, ſive ſine hac, admodum mala eſt. Peſtifera etiam eſſe conſuevit, quæ ſenſum ægri fugiens elabitur, aut quæ ſubito præter rationem in eo homine ubertim profluit, quem longus morbus labefactavit. Obiter etiam aliquid de ventris flatu dicam, quem præſtat ſine ſtrepitu elidi : nam ſi is acuto in morbo ſtrepit, dolorem arguit vehementem, vel ipſum certe delirium. Malum etiam eſt, flatum jam jam erupturum impedimentum eſſe : pejuſque, ad ſuperiora revertiſſe.

Præſagia ex urina.

Urina optima.

Urina alba.

Nunc ad contemplationem veniam urinæ, quam ſcire licet optimam eſſe, cujus ſubaureus color, ſubſtantia mediocris, juſta ſecundum potionem moles, ſedimentum album, leve, & in acutum faſtigatum eſt. Urina autem alba, cruditatem, aut magnam eſſe in urinariis ductibus obſtructionem docet. Eadem in acutis febribus delirium portendit : aut certe eam inſaniam, quam Græce φρενῖτιν dicunt. Fere etiam ſi hæc ipſa diu nihil variat, frigida prænunciat vitia capitis, ut vertiginem, ut morbum attonitum, vel comitialem, & hujuſmodi : faſtidia quoque arguit ciborum, & dolores in articulis, & nervorum reſolutionem. Alba remiſſior, ut lactea, & glauca, incipientibus, & increſcentibus febribus reddita, copiam putris materiæ, naturæque laborem demonſtrat. Quod ſi hæc diutius fertur, longi frigidique indicium morbi præbet. Tenuis autem urina, & diluta, vereque aquea, morbi diuturni nota eſt : & quidem ſub hoc, ſi diu talis ea cernitur, ceteris ſignis ſalutem ſpondentibus, dolorem abſceſſumque in partibus fore ſepto tranſverſo inferioribus indicat : eadem in pueris peſſima eſt. Subaurea, ſeu ruffa, ſeu citrina, ut modo retuli, probæ concoctionis notam habet, omniumque (ſi ad colorem ſpectes) eſt media. Hinc ſequitur flava, & mox rubra, exaucti caloris teſtes. Rubra perſpicua, quæ etiam igneſcens, flammeaque dicitur, ardentem indicat febrem, aut jecur immodice calens : eadem ſi nihil habet ſedimenti, vel nubeculæ, febris principium, cruditatemque materiæ commonſtrat. Ac ſi quidem diutius per acutam febrem talis fertur, periculum etiam interitus, priuſquam ſpatio matureſcat, minatur. Rubra autem, ſimulque craſſa & obſcura, qualis obſtructo vitiatoque fieri jecinore, & decedentibus febrium acceſſionibus ſolet, flavam ſubeſſe bilem, aut rubram, aut vitellinam oſtendit. In Synocho itaque putrida, nunquam pene talis mejitur. Rubram urinam ſequitur vinea, & paſſea : illa aſſati ſanguinis, hæc toſtæ bilis nuncia : ambæ ſimilem uvæ nigræ colorem adeptæ. Magna autem ex parte, ſi ſic diutius feruntur hæ, auriginem prænunciant. Viridis autem, corruptiſſimæ bilis nota eſt : ad quam ſi vehemens ſitis, atque æſtus accedunt, periculum a diſtentione nervorum eſt. Veneta autem urina, humoris frigidi, ſiccique ſoboles eſt. Livida pereuntis exhibet nativi caloris indicium : quamquam plagas interdum ſequi, & accepta verbera poteſt. Nigra urina, ſi rubram viridemque ſequitur, extremi caloris index eſt : ſi poſt cæruleam, & poſt lividam fuit, ſummæ frigiditatis. In utraque mortis periculum vertitur, idque eo magis, quo ea ipſa eſt paucior, quoque id, quod in ea ſubſidet, nigrius eſt. Ceterum, ubi morbus ex atra bile natus præceſſit, utpote lienis tumor, quartana, melancholia, & hujuſmodi : tum profecto nigra urina (maxime ſub iſtorum morborum deceſſu) certam ſpem

Rubra.

Rubra perſpicua.

Rubra craſſa.

Vinea & paſſea.

Viridis.

Veneta.

Livida.

Nigra.

ſecun-

ſecundæ valetudinis facit. Urina cruenta, quæ ſcilicet cum refrixit, ſe- Cruenta.
dimentum veluti ſanguinis concerti habet, renes a calculo atteri ſignifi-
cat: utique ſi hi nullo ictu, aut caſu percuſſi fuere. Quæ mali coloris
urina eſt, quo ea copioſior, hoc minus mala eſt. Poſt urinæ autem colo-
rem, ejus quoque obſervanda ſubſtantia eſt. Ea ſi tenuis eſt, cruditatem, Tenuis.
arctamque eſſe obſtructionem teſtatur: maxima ſi ſimul etiam diluta eſt,
qualis ſpectari in quartana, & ingraveſcentibus renum doloribus ſolet.
In febribus autem longis, & incertis, & non magnis, ſi diu tenuis uri-
na mejitur, lienem eſſe affectum conſtat. Ceterum craſſa urina copiam Craſſa.
oſtendit crudorum humorum, qui magna ex parte jecinoris cavum, item-
que inteſtina & ventriculum obſident. Crudiſſima eſt tenuis aquoſa ſic per-
manens: minus hac cruda tenuis eſt, quæ poſt craſſeſcit: hanc ſequitur,
& micta, & perſiſtens craſſa: quæ ſub firmis viribus, morbi longioris;
ſub invalidis, mortis præſaga eſt. Rurſus minus cruda cenſetur craſſa
reddita, quæ poſt ſedimentum deponit: ea nempe breviorem fore mor-
bum ſignificat. Omnia verò genera hæc cruditatem arguunt, & morbi
principium, eumque ipſum (ſi quidem diutius hæc immorantur) lon-
gum & judicationis non expeditæ. Si accedente primum febre, urina
craſſa mejitur; copiam materiæ, virium infirmitatem, & periculum oſten-
dit. Craſſa & alba crudæ ſoboles pituitæ eſt. Ea ſi in longis laborioſiſ- Craſſa alba.
que febribus, quæ in abſceſſum eſſent abituræ, copioſa profluit, ab abſceſ-
ſu & a dolore liberat. Craſſa & ſubrubra urina, magiſque ſi tale quoque Craſſa ſubru-
nacta ſedimentum eſt, tutum quidem morbum, at longum fore porten- bra.
dit. Craſſa vero & penitus rubra qualis in febribus, cernitur conti- Craſſa rubra
nentibus, multitudini ſanguinis atteſtatur: tametſi ea res non uſque certa
perpetuaque eſt. Nam ſæpe non abundante ſanguine talis urina fertur,
tum in quartana & tertiana intermittente, tum in aurigine. Quod ſi ſine
hoc caſu, urina craſſa rubraque in febre ad quadrageſimum uſque diem
manet; ſolvi profecto febris ante diem ſexageſimum non poteſt. Craſſa Craſſa nigra
& nigra in totum exitioſa eſt: eoque magis, quo pauciore redditur
mole. Tuta tamen eſſe interdum, & ſalutaris poteſt, ubi declinantibus (ut
ſuperius retuli) atræ bilis morbis, noxius humor robore naturæ excludi-
tur. Quo craſſior in morbis acutis urina eſt, eo deterior eſt. Jam etiam
cruditatis nota plus terrere in urinæ conſiſtentia, quam in colore debet.
Quæ urina lentore craſſitieque oleum, vel etiam commota, refert, lique- Oleacea.
ſcere corpus, vel tabe, vel hectica febre, vel hydrope, ſignificat. Si urina
prius ſplendida, externo frigore craſſeſcit, & matulam alba lentaque ſor-
de onerat, iterumque igne ſoluta, colorem recipit ſuum; in acutis mor-
bis cœptam eſſe concoctionem oſtendit, alioqui nullius præcipue notæ eſt.
Si vero urina ex ſeſe, qualis jumentorum eſt, craſſa turbidaque mejitur, Craſſa turbi-
neque igne ſolvitur, & huic multa innatant corpuſcula ex pure aut mu- da.
co conflata, quæ per quietem ſpecie craſſi ſedimenti deſcendunt, reliqua
tum fere inclareſcente urina, ſcire licet in renibus ulcus, vel in veſica, ma-
ximeque calculi cauſa, eſſe; aut certe has partes crudo humore præpediri.
Quod ſi integris his, ſic turbida urina eſt, craſſi humoris totis venis abun-
dantiam, morboſque longos & difficiles oſtendit: maxime vero capitis,
judice Hippocrate, vel præſentes, vel imminentes dolores. Quin enim hinc
interpoſito tempore ſequi vel lethargus, vel altus ſopor poteſt. Sæpe
cum quartana ſolvitur, itemque jecinoris, & lienis morbi, & quum ab-
ſceſſus intus erupit, urina repente turbida mejitur.

Porro ſi urina ita confuſa eſt, ut nullis ſolvi ignibus, nulla quiete poſſit,

ſed

sed nec suspensum habere ullum, nec sedimentum videatur, continuas febres, easque periculosas, & malignitate graves commonstrat. Ceterum molem quoque urinæ observare non inutile est. Multa enim, aut copiam indicare serosi humoris (ut in hydrope & diabete) potest, aut corporeæ molis consumtionem, ut in colliquantibus febribus, aut certe exiguam alvi dejectionem. Recte enim Hippocrates animadvertit, ex multa per noctem mictione, paucam dejectionem sequi. Urina pauca redditur bibentibus pauca, aut alia parte corporis abunde vacuatis, aut nimio calore laboreve exhaustis atque siccatis. Sæpe etiam itinera impedita esse, vel crasso humore, vel calculo, paucitas urinæ docet. In acuta febre, quæcunque pauca redditur propter vim morbi, aut deficiente humido, aut expellendi facultate infirma, certæ mortis indicium exhibet. Quæ modo pauca urina est, modo iterum copiosa, & interdum penitus cohibetur in acutis morbis, pessima: in longis multæ durationis nota est. Aliquid etiam in urinæ odore est. Nam quæ fœtet, simulque crassa est, & alba, cum sedimento purulento, renum aut pudendi ulcus ostendit. Quod si hæc eadem mucum quiete deponit, & multo dolore excluditur, calculum esse in vesica monstrat. Qui fœtor non ab his locis proficiscitur, verum ex altiore corpore venit, sive in rubra turbidaque urina est, sive etiam (quod rarius fit) in tenui atque clara, semper gravioris alicujus nota putredinis est. Nunc ad urinæ veniam contenta, quæ generis non unius sunt. Sedimentum quod ὑπόςασις Græce dicitur, incolumem naturæ calorem ostendit: idque eo magis, quo citius in emicta urina cernitur. Sed discernere sedimentum, ab ea sorde non difficillimum est, quæ a renibus, vel e vesica descendens, urinam turbat, & post in ea ipsa veluti crassamentum quoddam subsidet. Quod in medio suspensum est (ἐναιώρημα Græci dicunt) infirmiorem naturæ vim arguit: nubes eo adhuc magis debilem. Imbecillissima ostenditur, si nihil urina vel sedimenti, vel suspensi, vel nubecularum habet: estque ea res in ægrotis aprimæ horrenda: sanis autem accidere interdum citra magnum incommodum potest. Porro optimum sedimentum est, quod mole substantiaque mediocri ad imum matulæ subsidens, album, leve, & æquale est, idemque latum inferius, & superius acuminatum. Optima quoque, & suspensum, & nubes sunt, alba, levia, & æqualia. Minus bonum suspensum est, quam sedimentum: utrumque melius nube est. Quodcunque autem tenue contentum est, est cruditatis, & incipientium argumentum morborum præbet: crassum autem multum esse materiæ non coctæ docet; tametsi id quoque judicationem comitari longarum ægritudinum solet. Contentum rubrum, bilis caloriſque soboles est. Venetum & lividum, magisque etiam nigrum, oppressi naturæ caloris. Contenta bona, quo magis ad imum sidunt, matulæ tamen non contacto fundo, hoc meliora sunt. Quibus per morbos cito contenta in urina cernuntur bona, hi cito quoque judicantur. Omnia autem contenta inferiora, potiora sublimioribus sunt. Quæ quarto die in febribus nubeculam subrubram urina exhibet, septimo liberat: modo reliqua etiam pro ratione respondeant. Tenuis autem urina ac biliosa, quæ vicissim modo melior fieri, modo pejor videtur, longioris mali nota est: quæ si diutius sic fertur, periculum non leve habet. Urina præter rationem colore, & substantia, & contentis matura, semper in morbis, potissimum acutis, suspecta est. Si quid boni in urina subsedit, idque repente non amplius sequitur; dolores & mutationes significantur. In febribus incertis nubeculæ nigræ quartanam prænuntiant. Proxi-

Multa.

Pauca.

Male olens.

Urinæ sedimentum.

Suspensum urinæ.

Nubes.

Sedimentum optimum, itemque suspensum & nubes.

Contentum tenue.

Crassum.

Rubrum.

Venetum, itemque lividum & nigrum.

mum

mum nunc eſt ea intueri, quæ urinæ permiſcentur. Si ſemen ineſt, id tenue ac leve eſt, ſemperque urinæ innatat: pituita autem craſſa, tenaxque, & cohærens eſt. Pus permota urina diſſolvitur, ac quoquoverſum fertur. Utrumque hoc quiete ſubſidet. Porro ſi quædam in urina quaſi ramenta cernuntur, toſtos eſſe in venis ſuccos docent. Si ſimilia capillis ſunt, extorrentem in renibus calorem, tenacemque eſſe humorem teſtantur. Quamquam filamenta albis capillis ſimilia ſæpe in Venereo ſeminis profluvio, & fœminarum albo fluore cernuntur. Si veluti exiguæ innatare carunculæ in urina craſſa cœperint, renes docent exulceratos. Scabies autem veſicæ ſignificatur, ſi cum urina craſſa quædam furfuri non diſſimilia feruntur. Eadem ſi in tenui apparent, colliquantem ardorem febris notant. Arenarum autem mictio, calculum in rene, aut in veſica arguit. Si in urina fœtida pus aut ſquamulæ ſunt, veſica exulcerata eſt: ſin minus, extorrens ex ſquamulis febris ſignificatur. Squamulæ tamen tutiores, quoniam tenuiores, quam furfuracea ſunt. Si in urinæ ſuperficie quædam pinguia, ac aranearum telis quid ſimile, innatant; aut ſi (quod levius eſt) divulſa, & quaſi ex oleo injecta puncta ſunt, ſcire licet ardentiſſima febri, vel certe hectica, vel tabe corpus liqueſcere. Si vero cumulatim hæc, brevique eſſe cœperunt, calore renes occupante, eorum ſubeſt colliquatio. Peſſima ante rigorem oleacea urina eſt. Corona quoque urinæ obſervari non ſine cauſa debet. Nam ſi hæc meliorem, quam reliqua urina colorem exhibet, ſalutem prænunciat: ſi deteriorem, periculum. Tenuis, albaque corona, pituitoſi: ruffa, temperati: rubra, itemque ignea, bilioſi & vehementer toſti: livida atque nigra, melancholici. Itaque utraque hæc peculiaris, tum morbo comitiali, tum melancholiæ eſt. Si bullæ in corona multæ integra ſerie circumſiſtunt, caput dolere oſtendunt: idque eo magis, quo illæ coloratiores ſunt: & minus, quo magis albæ. Bullæ per urinæ ſparſæ ſuperficiem, nihil ſuper capite ſignificant, ſolius cruditatis, obſtructionis, imbecilli caloris nunciæ. Quibus in tenui urina, & ſedimentis vacua, bullæ cernuntur, fere hi longa, magnaque renum obſtructione affecti ſunt. Tum autem bullas has in craſſa urina eſſe cœpiſſe melius eſt. Majores bullæ, lateque per urinæ coronam fuſæ, dolores minui, qui prius fuerant, docent. Subeſſe autem deſtillatio creditur, ſi bullæ inſtar exigui grani parvæ in corona hærentes, agitata urina, deorſum pelluntur, iterumque ad coronam aſcendunt. Illud in genere noviſſe oportet, urinæ colore intemperiem ſignificari: ſubſtantia craſſa aut turbulenta, humoris vitium: confuſione, putredinem: admiſtis, certam loci affecti cognitionem.

Semen in urina.
Pituita.
Pus.
Ramenta.
Capilli.
Carunculæ.
Furfuracea.
Arenæ.
Squamulæ
Pinguia.
Urinæ corona.
Bullæ.

Noviſſime de ſudoribus dicam, quos eſſe bonos conſtat, ſi poſt notas concoctionis toto corpore erumpunt: itemque ſi per febres intermittentes, decedentibus acceſſionibus, aut per judicationes continuarum febrium ubertim effluunt, morbumque vel finiunt, vel multum levant: tum, qui veluti guttis quibuſdam effunduntur, & evaporant, quique expurgatæ alvo ſuccedunt, & jam craſſiore demta morbi materia, id quod reliquum eſt tenuioris, exhauriunt. Mali vero his contrarii ſunt, maximeque ſi ex capite ſolum, aut e fronte cervicibuſve feruntur. Peſſimi autem iidem hi ſunt, ſi ſimul etiam frigent. Siquidem in acuta febri, mortis indices: in mitiore, longæ durationis ſunt. Mali etiam judicantur non continuati, ſed interfecti, parique ratione inutiles nimium multi, quique morbum non minuunt. Hunc enim ipſum tum longum fo-

Præſagia ex ſudoribus.

re,

re, manifeſtum eſt. Horrorem poſt ſudores incidere, tutum non eſt; Sub exſoletis viribus, atque ſyncope, pauco tenacique ſudore frontem madeſcere, valde malum: concidente vero jam tum pulſu, citæ mortis indicium eſt. Copioſi ſudores calidi frigidive, quique continenter fluunt: frigidi, graviorem morbum: calidi, leviorem teſtantur. Fere autem ſic incidit, ut cum erupturi ſudores ſunt, primum ferri a capite incipiant, ac dein paulatim e reliquis membris. Magna autem ex parte, abundantius ſudores poſteriore corpore emergunt, quam anteriore, & ſuperiore quam inferiore. Eos etiam magis ſomnus fundere quam vigilia ſolet.

FINIS MEDICINAL. OBSERVAT.

JODOCI LOMMII

Medici olim celeberrimi

DE CURANDIS FEBRIBUS CONTINUIS

LIBER.

IODOCI LOMMII

Medici olim celeberrimi

DE CURANDIS

FEBRIBUS

CONTINUIS

LIBER.

CELEBERRIMO VIRO

JOANNI FREIND,

M. D.

Collegii Medicorum Londinenſis, & Societatis Regiæ Socio. *

CUm morbi, quo jamdiu laboro, depellendi ſpe, ad te, Vir clariſſime, nuper confugerem, cumque ei Profeſſioni, in qua tu inter primos locum obtines, me nomen dediſſe intelligeres: non modo cum ſumma benevolentia valetudinis meæ ſuſcepiſti curam, ſed etiam de ingredienda Studiorum via permulta mecum es humaniſſime collocutus. Ita cum ſanitatem mihi quotidie reſtitueres, iis interim me præceptis informabas, quibus aliquando aliis etiam ſalutaris eſſe poſſem. Illud quidem conſervatæ vitæ beneficium quamquam magni æſtimare debeo, atque, uti par eſt, æſtimo: huic alteri tamen nequaquam eſſe cenſeo comparandum, per quod efficis, ut quam vitam nolim otioſe traducere, eam, per Medicinæ devia errando, laborioſe inutilem non transigam. Siquidem hortabaris, ut quamprimum oſtenderem, memet eſſe, quoad ætas pateretur, aliorum commodis inſerviendi cupidiſſimum. Id autem fieri poſſe judicabas, ſi ex hominum prope memoria jam elapſum, Lommii, De Curandis Febribus Continuis, Tractatum *Orbi Literato redonarem. Ego vero lubenter hoc ſuſcepi munus, quippe quod neque reconditioris ſcientiæ, neque ingenii quicquam, ſed curæ duntaxat aliquantulum deſideraret. Hoc in te ſimul, tanquam præſtantiſſimi ingenii notam, nequeo non ſummopere admirari: quod, dum noſtræ ætatis*

* Hæc epiſtola, & ſequens lectori admonitio exſtant accurata in editione Amſtelodami ann. 1745.

tis authores ſcriptis obſcuras tuis, aliorum etiam de Re Medica bene merentium opera inter mortua excitare, atque in lucem proferre contendas. Quod tu quidem per alium recte facis; quoniam, quod ægrorum aſſidua curatione tempus tibi reliquum eſt, id, tum in legendis, atque illuſtrandis veterum monumentis, tum in arte præclariſſima per tuas lucubrationes ulterius promovenda, ſtudioſius impendis. Ecquid autem inſperatius mibi nunquam evenire potuit, quam ut hujuſmodi quicquam mibi demandares, & operam ullam, cui quidem ego defungendæ par eſſem, tui nominis celebritate commendari permitteres? Ecquid revera mibi magis fructuoſum, quam ut a te, quem propter incredibilem tuam, & in ſingulis Medicinæ partibus, & in omni Literaturæ genere ſcientiam, ſummis laudibus efferunt principes gentis noſtræ Medici, a te, inquam, ego prima artis elementa haurirem, & ſtudia mea in tua ipſius domo feliciter auſpicarer? Ea perſequi in Æde Chriſti gratiſſimum erit; quam tu quidem non ſolum amas, & colis: ſed etiam claritatem eam, quam ab illa quondam accepiſti, nunc in illam viciſſim refundis. De qua Æde bona omnia ſperare nemo non poteſt, quandiu ei præſit, qui nunc præeſt, Pater Colendiſſimus, tua nuper arte celeriter a morbo liberatus: & quamdiu Frater tuus eruditiſſimus uberem ei quotannis artibus optimis inſtructæ iuventutis copiam ſuppeditet. Illic, ſi non tuo, at amici ſaltem tui, Medici ſcientiſſimi, cui Opus immortale non ita pridem dicabas, colloquio nonnunquam perfruar; illiuſque monitis, haud ſecus ac ſi eſſent tua, obtemperare ſemper geſtiam.

Omni gratitudine
Tibi devictiſſimus

Joannes VVigan.

L E-

LECTORI EDITOR S.

LIbrum tibi in manus trado, Lector benevole, nisi semel antehac, quod sciam, idque annis supra centum & quinquaginta, non impressum. Ea Artis scientia fretum, Authorem habet Lommium, ut Medentium studiis sit apprime utilis: ea loquendi venustate, ut inter aliarum etiam Literarum cultores non defuturos esse sperem, quos opusculi brevitas, sermonisque elegantia ad ejus lectionem, ipsis fortasse non mediocriter profuturam, invitare possit, atque allicere. Nam si quem in utilissima, jucundissimaque Medicinæ cognitione, plusculum operæ collocare neque animus ferat, neque tempus sinat; pauculas ei tamen horas otioso licet insumere, ut adversus *Febres Continuas* se tueri queat, atrocissimum morbi genus, maximeque vulgare. Fere autem, inter initia valetudinis, ex quorum procuratione vitæ mortisque magna ex parte pendet eventus, ab ipsis ægris gravissime peccatur; vel quia, propter nimiam securitatem, non velint; vel quia, ob loci incommoditatem, Medicum non possint arcessere. Itaque nemini supervacaneum esse poterit, ut in Morbo hoc acuto, ac brevi, vel sibi aliquam ipse opem prestare, vel saltem noxam non inferre addiscat.

Cui rei maxime idoneum esse hunc, quem jam publici juris facio, Tractatum, quisquis eum legerit, facile percipiet. Neque enim reperietur ille falsa philosophandi specie perplexus; quo scribendi genere ita nonnulli Medicorum insaniunt, ut ægrorum deliria, pro veris rationibus, æquo jure amplecti potuerint: neque contra præscriptorum formulis confertus; quibus adeo recentiorum intumescunt volumina, ut inter varia remediorum genera ipsam fere Medicinam jamdiu amiserimus. Nihil certe proponit Author prudentissimus a communi pene omnium sensu, captuque semotum; frequentem vero medicamentorum ingestionem acriter impugnat: curationem fere hujus Morbi, per tempestivum debitumque venæsectionis usum, ac victus rationem exequens.

Quod ad Sanguinis attinet detractionem, locum hunc tam dilucide, atque ample pertractavit, ut, qui in Medicina non sit versatis-

simus, haud gravibus sane in hac re erroribus implicari posse videatur. Quod quidem leve videri non debet; cum febricitantium plurimi, vel, neglecto per initia morbi hoc remedio, sanguinis abundantia, atque impetu tandem obruantur: vel, juxta vigorem præpostere adhibito, dejectis viribus ocyssime jugulentur. Sane, quod ad hoc argumentum spectat, si vel recentiorum, vel etiam veterum scripta consulamus, invenietur nemo, qui venæ secandæ leges, hac in febrium specie tenendas, judicio tam exquisito tradiderit.

Ceterum, in instituendo Victu, quod alimenti genus, tanquam apprime conveniens, Hippocratem maxime secutus, proposuit, id etiam ægrotantibus plerumque gratissimum esse contingit, nullique unquam non parabile. Porro refrigerantia pocula non parca manu porrigit; quæ quoniam, & febrilem materiam diluunt, & æstum temperant, ægris & tutam, & jucundam curationem præstant. Ita ut frustra sint ii, qui, recenti satis memoria de Sanguinis missione, & de Potionum diluentium usu, nova se quædam, ac prius inaudita protulisse jactitarint, cum nihil in eorum scriptis de his rebus occurrat, quod non antea, vel ab Hippocrate præceptum, vel ab hoc ipso Lommio uberrime fuerit explicatum.

Illud autem animadversione dignissimum est, quod, in ultimo fere Incremento febris, novam, ut ipse prædicat, maximeque interdum efficacem secutus sit medendi rationem. Lenem scilicet Purgationem appropinquante Morbi vigore, cum judicio adhibuit, ita ut neque in summo discrimine, intro manentis materiæ corruptione opprimeretur natura, neque vires tum, cum iis maxime opus esset, acrioribus medicamentis labefactarentur. Id quod etiam in variolis, jam ad maturitatem provectis, præclarissimi nostræ ætatis Medici, magno cum ægrotantium commodo, sapienter imitati sunt.

Ad curanda Febrium symptomata, quæ mortales gravissime exercent, atque cruciant, remedia tradit, uti admodum utilia, ita communia maxime, ac facilia, ubi illum, non solum ad ægrotantium salutem, sed etiam ad levationem, & solatium non parum attendisse reperiemus.

Jam in ipso dimicationis puncto, naturæ optimum sese adjutorem, atque socium adjungit; quam quidem non uti fidus fortasse, sed hebes famulus, quocunque trahat, retrahatque, subsequitur: sed tanquam vetus minister, & sagax, magistræ suæ quasi nutum observans, viam illi quamcunque ingredi velle videatur, intercluſam aperit, impeditam explicat, laboranti novas ad assequendam metam vires opportune suppeditat. Siquidem, quo tempore & Medentis solertia præcipue perspicitur, & desideratur ars, tum diversarum evacuationum imminentium præsagia, tum promovendarum rationes, cum admirabili brevitate, atque elegantia descripsit.

Atqui per universum Operis tenorem summa ipsius prudentia, ac moderatio eluceſcit; quod neque aliorum, neque suæ pertinaciter addictus opinioni, ubique servet mediocritatem quandam, ac modum.

dum. Hoc etiam Authoris noſtri laudibus merito adjici poteſt: quod ſive ætatem ejus, ſive gentem reſpicimus, tam diſertum illum, tamque doctum extitiſſe, jure mirari valeamus. Etenim haud facile invenietur quiſpiam, inter Medicinam factitantes, qui quidem iiſdem temporibus vixerit, niſi * amicus ejus Fernelius, qui ob lectionis varietatem, vel ob ſcriptionis excellentiam, ei ullo modo comparari poſſit. Suam nempe ſententiam veterum Medicorum, maximeque Hippocratis, experientia, atque authoritate comprobatam, ſemper fere munit, & corroborat. Quos quidem authores celeberrimos, nec ſolum ut exſcriberet, perlegit, ſed etiam ad examen revocavit. Eumque legendo multum profeciſſe ſciet, quicunque artem illam eximiam, qua veterum monumenta, hoc in Libro, aut lucem, aut ornatum accepere, perpenderit. Quod ſi ii nonnihil aliquando inter ſe diſſidere videantur, eorum opiniones, exponendo, & dilucidando, quantum fieri poteſt, conciliat; ſi plane repugnent, collatis inter ſe diverſis ſententiis, ac fideliter, accurateque penſitatis, ſuum cuique momentum tribuit. Hinc, quam longe Arabes Medici Græcis inferiores fuerint, ex eo ſatis intelligemus. Neque vero ſuſpicari quiſpiam poterit, quod, vel propter invidiam aliquam, vel partium ſtudium, iniquus in hac re judex fuerit. Nam eundem inter Arabas Scriptorem, Avicennam ſcilicet, cujus præcepta ſæpiſſime repudiat, quemque ex ipſius ore falſi nonnunquam arguit, alias collaudare non dubitat. Si quando Veterum ipſe veſtigia deſerit, non in eos, tanquam erroris authores, temere invehitur: ſed id liquido commonſtrat, omnes, qui eundem ſibi proponunt finem, non iiſdem ſemper, præſertim ob diverſarum regionum diſparem ſitum, viis debere inſiſtere.

Hæc, aliaque permulta, Lector benevole, in hoc Libro, obſervatu utiliſſima reperies, quæ digniſſimum effecere, qui, in magna certe bonorum Scriptorum raritate, ab interitu jamjam imminenti vindicaretur. Ceterum opus hoc adeo mihi vitio non vertes, ut etiam felicitati meæ haud illibenter tribuere velis: cum Virum illum doctiſſimum, qui ſuperiore anno Commentarios ſuos in Hippocratis Scripta *Epidemia* (harum *Continuarum* Hiſtorias enarrantia *Febrium*) ſumma arte, ac ſcientia elaboratos, ingenio perpolitos, eloquentia illuſtratos, publici fecit juris, edendum mihi hunc libellum in manu tradidiſſe cognoris. Tibi autem ego munuſculum hoc gratiſſimum fore confido, cum id ab illo valde comprobatum, tuæ verò lectioni commendatum, ex ipſius domo in lucem denuo prodiiſſe reſcieris.

* *Præf. Commentar. in* Celſ.

ILLUSTRISSIMO HEROI

CAROLO A BRIMEU,

Comiti de Meghen, Domino de Humbercourt, de Houſdain, &c.
Equiti Aurei Velleris, Gubernatori Geldriæ, atque Zutphaniæ,

IODOCUS LOMMIUS

S. D.

Haud levibus ſane de cauſis, Heros Illuſtriſſime, videtur accidere, ut homo præ ceteris animantibus graviorum pluriumque inſultu morborum pulſetur. Nam etſi temperamenti elementorum perfectionem, cauſam ſanitatis meliorem acceperit brutis, quæ indies cernimus ſuavem fere vitam, tædiique morborum caſſam tranſigere, luxu tamen, varietateque epularum ac poculorum præclara hac valetudinis ſeminaria corrumpit. Præter hæc, permultos quoque videre eſt temperantes homines, ſimplicique contentos menſa, vitioſo quodam corporis ſtatu morbis haud parum multis naturaliter implicari. Scilicet non ſolum victus, aerque circumfuſus tædia conciliant ægrotationum, ſed & ipſa primitus inſita natura, quæ ſæpe haud æque ſtabilem nobis valetudinem, atque ceteris animalibus, videtur contuliſſe. Tum adverſus horum improſperam ſortem hominum, tum ad corrigenda vitia aliorum, quibus vitæ intemperantia ſanitatem labefecit, vi præſtantiaque mentis, quam ſoli homines inter reliquas animantes divinam æternamque poſſidemus, ars quædam eſt reperta medendi quam ideo Therapeuticen *appellaverunt. Cum enim a primi Parentis Adæ lapſu corpuſculum hoc non æque, ut ante, abſolutum vacuumque miſeriis, at mille tædiis tum malorum opportunum aliorum, tum etiam ægritudinum, experiri homo cœpiſſet, ſicuti magna fuit neceſſitate coactus, terram, quo feracem alimenti redderet, indefeſſis laboribus colere, reliquaque vivendi præſidia duriter emoliri, ita plane quoque debuit adverſus ærumnas morborum certa quædam remedia ingenti ſolertia quærere atque experiri, ut ita ſcilicet melius ſaltem traduci vita poſſet, quæ optime non poteſt.*

Tan-

Tantopere vero hæc ista morbos depellendi cupiditas, ne dicam necessitas, omnibus injecta est, ut iam inde ex tam longo ævo nusquam gentium non sit Medicina. Facile enim omnes sensere sanitatis esse incomparabilia commoda; ægritudines autem, tædii ac periculi plenas, animi corporisque functionibus officere. Itaque Virum Medicum, qui hac in parte mortales juvaret, apprime coluerunt, tanquam multis aliis, ut Homerus ait, præstantem. Cujus rei gloria complures olim ad Medicinæ studium excitavit sapientes viros, qui, cum se scirent non modo sibi, verum juvandis etiam aliis hominibus esse natos, salutaris quoque artis hujus professionem agitaverunt. Quorum ego insistere vestigiis, ex quo puerilibus literis sum exemptus, quantum pro virili licuit, cœpi. Vel aliquam ratus laudis partem, inter reliqua societatis hominum officia, eo comparari labore posse, qui indies in avertendo excludendoque humanæ valetudinis hoste desudat. Itaque hactenus etiam eo operam meam omnem contuli, conferamque posthac, non solum medendo, id quod iam totum factito decennium, verum etiam commentarios scribendo Medentium studiis utiles.

Ut autem pro tempore alia memoriæ prodidi, ita nunc visum fuit continuæ febris versare curationem. Continuam voco, quæcumque vel ex omnibus nata putrefactis intra vasa humoribus, vel ex unico tantum, jugi continuataque accessione hominum exercet. Dignum apprime id genus morbi visum est, cujus recta curatio proponeretur. Creber enim est, ac ferme populari per æstatem insultus, plurimosque is ipse mortales medio flore ætatis tollit. Siquidem præcipiti ac periculoso movetur impetu, adeoque celeriter vel resolvitur, vel occidit. Ut ne dicam etiam vix ullum morbum reperiri alium, in quo sanando æque hodie frequenter, æqueque turpiter, ne dicam flagitiose, peccetur. Nam vel sanguinis missio, sive intemperanter, sive alienis suscepta temporibus, quot acute febricitantes neci dedit? quot item male conciliata perdidit purgatio, jugisque continuatio medicationum? Nimirum in ea febri, quæ unicam non est superatura septimanam, ut multi factitant, primo die alvum solvere; secundo sesquilibram sanguinis, incisa vena, detrahere; tertio lenitivum bolum purgandi causa dare; quarto injicere clysterem; quinto per-

pur-

purgare; sexto septimove, *ferocientibus juxta statum symptomatis*, rursus secare venam, *quid hercle aliud est, quam ægrotantis vires, vitamque una cum morbo studere tollere? Cujusmodi errores (quos certe gravi dolore animi committi video) ideo sunt detestabiliores; quod cum aliis in morbis, natura longis, correctionem interpositis admittant temporibus, in acutis tamen febribus, ceu multum alioqui mobilibus, non admittant, semperque multam in sese secuti exitii claudant culpam. Ergo etiam hic, quid quaque parte sit peccatum, & quæ vera curandi sit via, propono: quam quidem ipsam ratione comprehensam viam, atque antiquorum fultam præceptis, longaque medendi experientia comprobatam semper pro voto memini respondisse.*

Hos tibi labores, Illustrissime Comes, *ideo dicavi, quod nullum sentiam officii atque obsequii genus a me præteriri oportere, quo saltem aliqua fieret grati animi significatio, pro favore illo præcipuo erga me tuo. Qui quidem favor, inter cetera sui argumenta verisimilia, vel ex eo quoque perspicitur, quod ab aliquot jam elapsis annis me tuæ delegeris valetudinis custodem Medicum; ac libenter, multaque voluptate de naturalis sapientiæ studio, adeoque de rebus medicis audias disserentem. Qua in re, etsi plura mihi abs te tribui, quam merear, scio, pergratum tamen est tanto Principi nostra non displicere. Quid vero te non tantum ego Principem appellem, qui maximis animi virtutibus pace, belloque probatis, qui heroici generis claritate, qui fortunæ dotibus es eminentissimus? His laudibus accedit, quod non modo te iis benevolum exhibeas Mecænatem, qui ingenio professioneque liberalium studiorum sunt præstantes, verum quod ipse quoque bonas literas noris. Quam vero præclarum id demum videtur, ad nobilissimæ familiæ, Imperatorio stemmate oriundæ, splendorem, itemque ad artis militaris gloriam, rerumque fortiter gerendorum dexteritatem, studiorum quoque cultum accessisse. His te, Generosissime* Comes, *ornatum laudibus, tanquam perpetuis tui nominis insignibus, Deus Opt. Max. diu patriæ servet incolumem. Vale, ac tenue munusculum ab humili cliente, Medicoque profectum tuo, hilariter admitte.*

Bruxellæ Kalend. Septemb. An. 1562.

DE

DE CURANDIS FEBRIBUS CONTINUIS,

SECTIO PRIMA,

Quæ earum continet Principium.

CAPUT I.

INGENTIUM planæ periculorum, vitæque hominum inimiciſſimæ febres ſunt continuæ. Aſſiduis enim ignibus, atque ſymptomatum aſſultibus vim corporis laceſſunt. Plurimoſque mortales (ut ſi quod morborum prope genus aliud) medio ætatis, atque roboris vigore tollunt. Præceps etiam his eſt febribus impetus, adeoque errori parvis de cauſis exitioſo vel medentis, vel ægrotantis patet. Scire autem licet, modo ex humoribus eas febres naſci ſimul omnibus, modo ex unico tantum, intra maximas venas, atque arterias putrefactis. Prioris generis febres Recentioribus placuit contimentes dicere, alterius continuas. Nos autem, quia utrimque febricitationis eſt continuatio, unica contenti voce, utraſque continuas appellavimus. Recta curatio eſt ſimul cauſam vitii abſtuliſſe, ſimul excitatum inde calorem refrigeraſſe. Ergo etiam ſuccorum, quæ nunquam fere non jungitur, plenitudo vacuando detrahenda eſt. Siquidem hæc ipſa, propter meatuum conſtipationem tranſpiratione reddita incommodiore, & dare, & fovere putredinem poteſt. Qui vero jam computreſcit humor, quantum licet, corrigendus, concoquendus, commodæque opportunus excretioni pellendus eſt. Inter

Febres continuæ ſunt periculoſæ.

quæ

quæ tempora ipſi quoque morbo in primis ſuccurrendum, refrigeriiſque præſtandum eſt temperamentum. Impetus quoque ſymptomatum, quæ morbum comitantur, quoniam effrænatus eſt, coercendus eſt.

In morbis ægri vires ſpectandæ.

Ut autem hæc iſta præcepta, ex rebus petita valetudinem offendentibus, ſtabili medendi lege fulciuntur; ita penitus infirma, ne dicam, pernicioſa ſunt, niſi par virium robur his reſpondeat capeſſendis. Solæ namque vires, & morbos, & morborum ſuſtinendo remedia vitam humani generis tutantur. Quapropter has etiam intueri, ac cuſtodire incolumes oportet, ne vel immoderatis curationibus, vel ipſa ægritudine debilitatæ collabantur. Servantur autem commodo cibo, potione, aere. Viſum eſt de his ſingulis, quæ ſupra comprehendi, ordine dicere, omnemque rem ita oculis ſubjicere legentium, ut quæ vera ſit ratio, atque via continuatas has febres ſanandi, ſatis ſuperque ſciri poſſit.

CAPUT II.

De Miſſione Sanguinis.

Quando cognoſcatur Febris.

QUoniam duo mittendi ſanguinis capita, ac veluti ſcopi ſunt, morbi magnitudo, viriumque robur, videtur profecto, ſi alias unquam, certe in continua febre tentandum id auxilii genus eſſe. Nam ut maximus per ſe eſt morbus, ita fere proprius habetur adoleſcentium atque juvenum; quibus naturaliter ſanguinis atque virium abunde eſt. Ergo etiam, ut primum is ipſe robore valentem aliquem invaſit, ac cognitus (quod fere ſecundo fit die) fuit, fas eſt ſanguinem, niſi quod prohibet, inciſa vena, confidenter detrahere, proque vi ægrotantis ac morbi vehementia fluere ſinere. Levat hæc res, exoneratque corporis rectricem naturam; adeo ut ea facilius in poſterum, quod reliquum eſt materiæ, vincat, & concoquat, quod concoqui poteſt, & id, quod alienum eſt, excernat. Nemo ſane id unquam genus remedii ſine evidenti periculo in acuta febre præteriit. Quos ſine eo firmiores vires forte ſervant, eos ſanguis e naribus ubertim fluens, aut copioſæ ſudationes vindicare ab ancipiti periculo poſſunt.

Sed in quæſtione poſitum id eſſe video debeatne per acuram febrem puero quoque, vel ſeni, vel fœminæ gravidæ ſectio venæ adhiberi? Puero Galenus infra annum ætatis decimum quartum ſanguinem non mittit. Multi etiam id factum in ſene, qui ſeptuageſimum ſuperavit, verentur. Hippocrates abortum etiam ſecuturum, ſi prægnanti ſanguis mitteretur, affirmavit. Sed eximenda rei hujus controverſia eſt. Antiqui magnas tentare vacuationes ſolent, quæ viribus parum firmis ſunt inutiles. Itaque non immerito has ipſas in iis fugere corporibus, quibus potens deficit robur, aut quibus alioqui firmis periculum abortus ex detracto ſanguine, matri fœtuique alimento neceſſario, immineret. Id vero ut ipſi prudenter ſuis in evacuationibus caverunt, ita nos jure præterimus, moderatis contenti inanitionibus, quæ, viribus etiam ſub infirmis, non omnino ſic incommodent, quin poſt corrigi ea imbecillitas, ſervata hominis vita, poſſit. Dejectis ſuperatiſque viribus cum vacuatio omnis, tum maxime miſſus ſanguis officit. Verum quæ ſubtenues quidem ſunt, parumque firmæ, quid vetat, quominus reſpondentem ſuo modulo ſuſti-

nere

nere inanitionem poſſint? Plane quidem ſic res ſe habet, ut qui graves morbos experiuntur, iidem poſſint & illorum quædam ferre remedia.

An Pueris ſanguis recte mitti poſſit?

Sua pueris ineſt naturæ vis haud exigua, quæ etſi fluxo, raroque corpuſculo indita facile labaſcit, admittere tamen ſub acutiſſima febri qualemcunque ſanguinis miſſionem poteſt: maxime ſi ætas haud multo inferior anno eſt decimo quarto. Quæ hinc evenit imbecillitas, corrigi ea poſt alimento facile poteſt. Prorſus enim præſtare videtur præſenti mortis periculo, afflictis utcunque viribus, puerum eripere, quam febre ſuperatum perire ſinere. Quod quidem exemplum felicius, quam Græci, Arabum familia ſecuta eſt. Nam quod Galenus ſubſtantiæ puerorum uberem cauſatur fluorem, eumque abunde eſſe ad curationem profitetur, vicemque ſanguinis miſſi gerere, nihil eſt. Debile enim id eſt, nimiſque lentum præſidium in acuto atque præcipiti morbo acceleratum efficaxque poſcente remedium. Locus eſſe aliquis conſilio Galeni poteſt, ſi de ſanis audiatur pueris, quibus ſui ſufficit corporis fluxa reſolutio ad inſultus morborum avertendos. Quum autem febris hos acuta premit, permiſſum eſt ſanguinem utcumque mittere, maxime ſi corpore viribuſque ſunt firmi.

An Senibus?

De ſenibus autem firmis, quorum ſolidum corpus haud ita facile reſolvitur, quid attinet dubitare, quin innoxie, cum acuta id poſtulat febris, ſanguinem emittant. Hic vero Razes, Author Arabs, adeo ſectionem venæ non horruit, ut vel ipſis etiam decrepitis, modo qualiſcunque ſuppeteret vis, eam confidenter bonoque ſucceſſu adhibuerit. Id quoque Galenus ſentit: cum non modo numerum attendendum eſſe ſcribit annorum, ſed & corporis habitum. Sunt enim, inquit, qui ſexageſimo ætatis anno miſſionem ſanguinis non ferant, utpote præſicci, ac prompte inareſcentes, paucique ſanguinis; cum quidam ſeptuagenarii ferant, qui nimirum ſanguine pollent, ac vires ſortiti ſunt haud impotentes. Id certe modo intelligas licet, ubique curantis conſilium non ad ætates certis circumſcriptas annorum finibus, ſed ad vires dirigi oportere. Si juvenis, inquit Celſus, imbecillus eſt, male ſanguis emittitur. At firmus puer, & robuſtus ſenex tuto curantur. Quanquam meminiſſe convenit parciorem hic eſſe debere inanitionem, minimumque fiduciæ de viribus facile collapſuris habendum. Quapropter is etiam ipſe Celſus exiſtimavit, maxime in his medicum imperitum falli poſſe, quia fere minus roboris illis ætatibus ſubeſt.

An mulieri prægnanti?

Jam vero mulieri quoque prægnanti inimica videatur venæ inciſio, quoniam, erepto fœtui alimento, proclivis eſt abortus, maxime per acutam febrem, quæ & ipſa quoque ſanguinem incendio conſumit, ac vires debilitat. Scilicet hic poſt venæ ſectionem viribus, juſtoque ſanguine eſt opus, cum ad morbi reſidui depulſionem, tum etiam ad fœminam, ejuſque ſuſtinendam ſobolem. Ut mirum non ſit, facile periculum ab inanitione ſanguinis eſſe, cum in una muliere duo corpora ſimul ſuſtinentur. Specioſa quidem argumenta hæc, ut veri habere ſpeciem videntur, ſanguiniſque dehortari miſſionem; ita prorſus debilia ſunt, ubi pro noſtri ſæculi conſuetudine moderate ſanguis mittitur, ad commodam virium prægnantis tolerantiam. Quid enim gravidæ offecerit, ſub acutiſſima febre, quæ exitium, & matri, & fœtui intentat, ad uncias quatuor vel quinque detractus ſanguis? Quid contra immitius, quam miſeram mulierculam, ſalutaris caſſam auxilii, proterviæ ſæviſſimi morbi dedere, ipſumque fœtum uteri clauſum latebris, futuræ lucis ſpe deſtitui,

atque

atque emori ſinere? At magnis morbis magna convenire dices remedia ; neque tantillo emiſſo ſanguine acute febricitantem mulierem juvari admodum poſſe . Verum hic reſpondeo : quoniam virium potior , quam morbi eſt obſervatio , Galeni eſſe ſequendum conſilium : qui quidem , cum ingens ægritudo inſignem detractionem exigit , quam tamen ſemel vires non ferant, iterari eam oportere ſcripſit; mediiſque temporibus ſic voluit ſuſtineri alimento ægrotantem, ut tuto ſecunda ſectione dematur, quod ſemel demi ſine periculo nequivit . Quanquam tamen unica fere ſufficiat miſſio ſanguinis , quoniam multum detrahere in ea fas non eſt muliere , quæ juſtum ſanguinis modum & ſibi, & fœtui ſervare debet : maxime ſi poſterioribus temporibus in molem is fœtus grandeſcit . Primis autem imprægnationis menſibus tuto licet , ſi acuta invaſit febris , pro hujus exigente magnitudine , ſanguinem emittere . Tum enim ipſi etiam in corpore redundant ſucci , menſtruis compreſſis , tenelloque fœtu exigui poſtulante alimenti fomitem. Hanc propter abundantiam , vitio etiam humorum ſæpe implicitam accidit , ut capitis oriantur dolores, itemque nauſeæ, & horrores, & febres , & hujuſmodi incommoda ; quæ, uti primis menſibus urgent tribus , ita creſcente in molem , & in quartum menſem fœtu, ſponte etiam ceſſare, quia majore opus eſt nutrimento , ſolent . Ad horum averſionem tædiorum , complures gravidæ (utique ſi his corpus natura ſucculentum eſt) primis menſibus venam ſibi incidi curant , eaque providentia ſeſe ſervari incolumes , atque editum fœtum manere ſaniorem, minuſque ſcabiei, ac ſimilibus cutis vitiis opportunum experiuntur. Quod ſi ſane id genus auxilii recte arripiunt, quid non faciant hæ, quibus atrocis morbi præſens neceſſitas id ipſum imperat ? Neque vero par diſcrimen (ut quiſpiam exiſtimet) a miſſo primis menſibus ſanguine incumbet, quod a purgatione tum eſſe Hippocrates ſcripſit . Nam antiquorum purgantes potiones tenelli fœtus nova debiliaque vincula convellendo facile diſſolvunt , totumque ſimul corpus impenſe exagitant , ut mirum non ſit , ipſum ſubinde abortum ſequi . At ſanguinis miſſio , maxime etiam noſtra , ſine vi , ſine corpis perturbatione, leniter id, quod ſupereſt, demit, matremque onere humorum , integris viribus , integraque ſobole levat . Quod ſi , etiam mediis prægnationis menſibus tribus, purgantia medicamenta Hippocrates indulſit , cur nefas ſit tum quoque ſanguinem , inciſa vena , moderate trahere ? Adeo manet perpetua hæc , inconcuſſaque ſententia , in gravidis acuta occupatis febri, non videri ſolam debere conceptionem , ſed vires æſtimari, corporiſque ſtatum, & ex his conjecturam fieri, liceatne tuto periclitari , quod morbus poſtulat , auxilium . Itaque ubi magna acutaque febris urget, ſemper emittendus eſt, ſi vires reſpondent, ſanguis.

Si vires ſufficiant , ſemper mittendus eſt.

Porro hæ vires certis comprehenſæ ſedibus hinc in omne corpus proficiſcuntur : animales , quæ ſenſum motumque præſtant e cerebro per nervos: vitales, quæ calorem vitæ conferunt e corde per arterias: naturales jecori inſitæ, quæ per venas nutritionis adjiciunt tutanturque beneficium. Hæ functiones atque hæc opera, ſi recte fiunt, integras vires arguunt: ſin imbecilliter atque male , infirmas . Ergo tenax vigilia , delirium, ſopor , diſtentio nervorum , virium animalium teſtantur imbecillitatem. Pulſus autem parvus, obſcurus, debilis, ſpiratio parva, difficilis, crebraque , niſi pectoris pulmoniſve ſequantur vitium , infirmum oſtendunt vitæ robur. Cruda autem excrementa , vel penitus vitiata , itemque parce prodeuntia, vel retenta, naturalium virium imbecillitatis ſunt argumenta. Per acutam itaque febrem, ut certe in omni quoque morbo

Quomodo vires æſtimari poſſint.

ma-

magno, ſiquidem hæ vires firmæ ſunt, vena erit incidenda : ſin morbi ſævitia, aliiſve ex cauſis dejectæ eſſe cernuntur, temperandum ab emittendo ſanguine eſt.

Ceterum ubi ſic eædem ſunt afflictæ, ut prorſus dejectæ non videantur, ſed, attrito tantum robore ſolito, languidæ, morboque tum magno, ut continua febri, ſi oppugnantur, nequaquam vel omittere ſectionem decet, vel affatim multumque ſemel evacuare (hoc enim ægrum eſſet extinguere, illud ſine ope libidini atrocis mali relinquere) ſed paucam detractionem iterare convenit, medioque tempore vires reficere. Eam profecto ſecutus eſt viam, ut nuper dixi, Galenus, qui, cum parum firmus eſt homo, principio, quantum ſatis viſum eſt, detrahit, & poſt, quod defuit, iteratione ſupplet. Cum languidiores ſint paucam detractionem iterare convenit.

At ſcire licet, hanc partitionem non eſſe in ſpatia rejiciendam complurium dierum, ſed eodem tentandam die, modo aliquot interpoſitis horis, modo unica duntaxat: interdum & mox in ipſo fluoris impetu, vel diſſoluto vinculo, vel vulneri ſuperindito digito. Inter quam moram, ſupinus decubitus, vini odor, vel mali punici deguſtatus ſuccus vires reſocillat. Intervalla etiam hæc pro viribus affectis præfiniuntur, quæ vires, creſcente morbo, ſemper fiunt imbecilliores. Vehementer fractæ longiora inſtaurationis ſpatia exigunt; paulo firmiores, contractiora. In acuta tamen febri, cui ceu totis corporibus inhæreſcenti, iteratio, non etiam revulſionis, ſed unius vacuationis gratia adhibetur, non ultra diem poſterganda eſt : id quod ideo præcipitur, ut ne efferveſcens intus ſanguis, vel in viſcus aliquod irrumpat præcipuum, vel majorem putredinem, niſi mature dematur, contrahat. Ad hæc poſterioribus diebus vires redditæ ſunt ex morbo imbecilliores, ipſaque materia, quia concoqui cœpit, atque a bonis ſuccis ſeparari, tum potius purgatione, quam venæ ſectione, tolli debet. Quæ res poſterioribus abhinc locis patebit: arguetque gregalium illorum medicaſtrorum imperitiam, qui febribus etiam vigentibus, venam tundunt. Partitis venæ ſectionibus, quodnam ſpatium interponendum ſit.

Sed redeundum nobis ad quæſtionem virium eſt. Controverſum eſſe apud antiquos video : Sanguiſne etiam tum debeat mitti, cum ingens quidem id deſideret febris, eoque ſine præſidio certa pernicies ſit, neque tamen id patiantur vires, vel ab ipſo ægrotationis principio, vel increſcentis, vigentiſve, morbi impetu (neglecta per initia detractione) imbecilliſſimæ ? Cornelius Celſus in ejuſmodi re ſatius putavit, anceps experiri auxilium, quam nullum. Si nihil, inquit, aliud apparet auxilii, perituruſque ſit, qui laborat, niſi temeraria quoque via fuerit adjutus, in hoc ſtatu boni medici eſt, oſtendere, quam nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit; faterique quantus in hac ipſa re ſit metus, & tum demum, ſi exigetur, ſanguinem mittere. Aliter vero Galenus, meque judice, rectius hanc rem judicavit, parcendum ſemper remediis eſſe cenſens, quæ & vitæ cuſtodes vires delent, & medico pro gloria dedecus, calumniamque conciliant. Ergo etiam rectius præſagio uſi, ab omni culpæ opinione conſcientiam liberamus, & nominis exiſtimationem, artiſque noſtræ venerabilem dignitatem tuemur. Crudelis hominis officium facit, quiſquis morbum una cum vita ægrotantis aufert. Quamobrem ſemper vires, ubi quid exinaniendum eſt, intueri oportet; quæ ſi penitus invalidæ fractæque videbuntur, magna præſidia reſpuunt, blandioribus quibuſdam, quamdiu ſupererunt, fovendæ rebus. Id profecto humanitatis eſt pium officium, deploratos etiam ægros aliquo ſaltem artis noſtræ beneficio conſolari. Verum excuſandus utcunque (quantum nobis In ſumma tamen imbecillitate, huic remedio omnino parcendum eſt.

videtur) Celſus, Author haud infimæ inter antiquos notæ; cujus præcepta, quoniam ubique artis magiſtrum ſapiunt Hippocratem, fas non eſt temere repudiaviſſe. Locum eſſe ſuæ præceptionis præcipuum is Author ſcripſit, ubi nervi reſoluti ſunt; ubi ſubito aliquis obmutuit; ubi angina ſtrangulatur; ubi prioris febris acceſſio pene confecit, paremque ſubſequi veriſimile eſt, neque eandem videntur ſuſtinere ægri vires poſſe. Hæc iſta profecto ſatis arguunt, oppreſſas copia humorum vires, non in ſeſe diſſolutas, a Celſo intellectas eſſe. Oppreſſas nimirum intelligo eas, quæ propter affluentiam humorum complurium, calore atque putredine nimis efferveſcentium, vel periculoſo impetu partem aliquam impetentium vel occupantium, momentaneam, veluti ab onere moleſto gravatæ, ſpeciem imbecillitatis falſam præbent. In eo autem rei ſtatu, niſi detractione vires mature ſubleventur, in multo verſantur periculo.

In acutis morbis, vires vitales ſunt præcipue conſiderandæ

Nondum de viribus ſatis. In quæſtione poſitum a nonnullis id fuiſſe video: Omneſne corporis conſiderari vires in acuta febri, ut certe in omni quoque morbo, ad miſſionem ſanguinis debeant: an vero pleræque ex his duntaxat? Galenus, in acutis morbis, ſat eſſe putavit vitales tantum intueri; quarum ſi robur valet, tuto ſecari poſſe venam ſcripſit. Id præceptum rationes certe non prorſus rejiciendas habet. Acutus enim morbus, maximeque continua febris, quia brevi ſolvitur, haud magno ſane incommodo ſolidas afficere partes, ut longus, poteſt. Tum etiam, integro vitali robore, non uſque adeo metuenda videtur virium animalium imbecillitas, ut quæ, evicto morbo, ſponte paulo poſt ceſſat. Memini videre acute febricitantes haud parum multos, qui ſub ipſam judicationem, gravi oppreſſi primum delirio, dein alto ſopore, ſimiles moribundis, ſine mentis uſu, ſine motus ſenſuſque certo imperio, alius duas treſve horas, alius diem, & quidam apud Nervios biduum decubuerint, firmo tamen ſtabilique pulſus robore: quæ profecto res ſalutis rectique præſagii ſpem mihi veriſimilem præbuit; id quod, profuſis ortis ſudoribus, atque dejectionibus alvi, feliciter ſecutum fuit. Prorſus quidem ſic ſeſe rem habere exiſtimo: Per evacuationes acutis febribus accommodas, pulſui, ut magnam tribuere vim, ita non omnia medicum cedere oportere, utpote rei multum ancipiti atque fallaci, quam facile mille res variant turbantque: ætas, ſexus, corporum natura, infirmus ſtomachus, metus, ira, lætitia, ex improviſo ingreſſus medicus, ſimiliaque ſexcenta, quoniam ſpiritus afficiunt vitales, recta judicia pulſus corrumpunt; ut imbecillus is homo videri poſſit, cui vires ſuppetunt, & valens rurſum, quem deficiunt. Hujuſmodi itaque re motis caſibus videre oportet, maneatne conſtanter firmi roboris pulſus; qui ſi ſic eſt, confidentibus per acutam febrem detrahi ſanguis poteſt. Illud quoque ſequitur, ut omnibus in morbis, ſi quid vacuandum eſt, conſulendas ex æquo vires omnes eſſe: ita in acutis præcipue vitales, in vetuſtis naturales, in utriſque indifferenter animales. Acutæ ſiquidem febres, quoniam & exiguo tempore magna vi corpus oppugnant, & profuſis inanitionibus finiuntur, robur ſpirituum vitalium, quod illa tum efficiat, tum ſuſtineat, maxime requirunt. Longi vero morbi non tam effuſis, vel tam evidentibus vacuationibus, quam vetuſtate, lentiſque concoctionibus, vincuntur. Itaque in his ipſis vis potiſſimum naturalis, ſeu concoctrix requirenda atque ſpectanda eſt, ſi quid recte atque tuto vacuatum velis.

Quarum bonus index eſt pulſus, ſed interdum fallax.

In vetuſtis naturales.

Et in acutis etiam aliquatenus hæ quoque, cumque his animales.

Id poſtremum hac in quæſtione virium concludam; quanquam vitale robur primas hic partes habet, nequaquam tamen habere in univerſum omnes. Nam etſi maxime, ac primum vis vitalis profuſa detractione labefa-

befactatur, ceteræ tamen una etiam concutiuntur, quarum casus æque homini exitiosus, ut vitalis, esse potest. Porro ut in acuta febri, pollentibusque viribus, mittendi sanguinis necessitas (quod hactenus satis demonstravimus) certa est, ita ejus effluentis incerta variaque servatur mensura: prout febris est magna, & alia atque alia corporis natura, itemque ætas hominis, & anni tempus, & hujusmodi non eadem. Qua de re jam nunc agendum est: atque hinc idoneum tempus mittendi sanguinis præfiniendum.

CAPUT III.

Qua Mensura acute febricitantibus Sanguis debeat mitti.

SAnguinem per acutas febres mittere, commune est; verum convenienti eum mensura, ac moderatione mittere, haud æque vulgatum, æqueve expeditum videtur. Observationes enim haud leves habendæ sunt, quibus certa sanguinis detrahendi quantitas definitur. Consistunt autem hæ in collata morbi atque virium æstimatione. Magnus enim ac vehemens morbus, validæque si coeunt vires, liberalem postulant vacuationem. Febris vero continua (ut primum de morbi magnitudine, ac mox de viribus agamus) quia in numero magnarum ponitur ægritudinum, fereque bene habiti est corporis, ac calentis ætatis propria, multam exigit detractionem, maxime si continens sit febris (σύνοχον Græci vocant) quæ venas nimia succorum pariter omnium mole distendat. Sub quo casu Hippocrates atque Galenus veriti non sunt, donec etiam animus deficeret, semel trahere. Quam ipsi rem ratione, experientiaque ducti tentaverunt. Profusa namque hac inanitione primum homo in contrarium agitur statum, celerrime ex defectu animi refrigeratus; post autem alvus subinde prorumpit, vel bilis ubertim evomitur, vel certe copiosis sudoribus corpus perfunditur, atque hinc alios protinus contingit convalescere, alios plurimum juvari. Quo minus placet. Quod Avicennas in Synocho putrida missionem sanguinis in vices partiatur, parum memor ejus præcepti Hippocratici, magnis morbis magna remedia conferenda esse. Porro, quod ad animi attinet defectum, scire licet haud semper eum esse expectandum, verum citra hunc etiam semper a detractione desistendum, cum satis pro morbi, viriumque ratione emissum est. Sunt enim, quibus ægre animus deficit, quos si huc usque vacuare tentares, perderes. Si tamen linqui animo aliquem, dum adhuc sanguis intra modum fertur, continget, protinus comprimenda fluxio est, semperque ante inaniendi finis faciendus, quam animus plane deficiat. Ergo etiam pulsui intentum esse medicum oportet, ut ne pro animi deliquio mors occupet, & quum is ex magno parvus fieri cœpit, ex æquali inæqualis, ex vehementi debilis & obscurus, a detrahendo protinus cessandum est; maxime, si sanguis haud pari impetu fertur, animoque languere is, cui mittitur, cœpit. Hæc autem defectum vel antecedunt, vel comitantur, pandiculatio, tinnitus aurium, oculorum quædam quasi suffusio, & interdum (petente stomachum humore) singultus, atque nausea.

Conferenda est morbi, viriumque magnitudo.

Quousque in Febri continente mitti sanguis debeat.

Haud æque profusa detractione hæ febres gaudent, quas causa discri-

minis, Græci συνεχεῖς, noſtri continuas vocaverunt, quoniam per has ipſas haud tantus, ut in iis, quas συνόχους atque continentes appellari volunt, affluit ſanguis: ſed aliquis per ſe ſolus in vaſis majoribus computruit humor, qui moderatione ſanguinis detractione minuendus eſt.

Quouſque in continua.

Virium magnitudo colligitur ex hominis.

Porro de viribus ſic habeto: Si potentes quidem hæ ſunt, liberalem inanitionem admittunt, dejectæ vero penitus nullam, mediocres imperfectam quidem, ſed tamen utilem. Variat earum robur, prout ſunt hominis temperamentum, conſtitutio, habitus, ætas, itemque anni tempus, regio, cœlum, conſuetudo victus, genus vitæ, incidens evacuatio, atque ea ſimul ſymptomata, quæ incidere graviora per acutas febres ſolent. Incipiam a corporis naturali vel aſcititio temperamento, & qui ipſum proxime comitatur, habitu.

Temperamento.

Temperatum itaque corpus, juſtam, morboque reſpondentem detractionem ſuſtinet. Calidum vero, ac ſimul ſolidis humidum fluxumque partibus, quale puerorum eſt, qui plurimum indies a calore innato diſſolvuntur, parcius inaniri poſtulat. At ſi calidum, idemque non nimium ſolidis madens, multo ſanguine affluit, quale certe Athletarum eſt, id omnium uberrimæ par eſt evacutioni. Calidum autem, ac modice ſiccum fere latas quoque venas habet, ideoque magis licenter id inaniri, quam frigidum humidumque, aut frigidum ac ſiccum poteſt. Utrumque enim hoc exiguas poſſidet venas, & caloris haud æque multum.

Habitu.

Habitus autem corporis denſus, firmus, plenus, muſculoſus, liberaliter ſanguinem mitti poſſe docet; minus autem, qui mollis eſt, & rarus, & obeſus, & albus. Tenuium enim index venarum eſt, ac ſanguinis paucioris. Modice gracilis habitus, ſi latis eſt venis, uberioris ſanguinis argumentum eſt: ſi tenuibus, imbecillitatis. Itaque, ut ille plus mitti ſanguinis permittit, ita hic quam fieri poteſt, minimum. Porro ſcire licet, fallacem interdum eſſe habitus notam, neque ex eo indicium ſemper haberi certum de ſanguinis modo, atque de viribus corporis poſſe. Scilicet is ipſe habitus certa quadam vitæ, victuſque ratione aſcititiam conſtitutionem amiſſa naturali, acquirit. Labor, vigilia, ſollicitudo, parcus tenuiſque victus, habitum natura pinguem ſæpe gracillimum fecere. Otium contra, plenior ſomnus, animus tranquillus, plenus frequenſque cibus, ac potus, gracilem natura hominem multa ſæpe carne, & interdum adipe oneraverunt. Ergo vera diſcrimina rerum harum ex ipſis petenda ſunt venis, quæ ſi latæ ſunt, vel in habitu etiam pingui facilius miſſionem ſanguinis ferunt: ſin tenues ſunt, quamquam forſan gracile corpus eſt, ægrius id genus vacuationis ferunt. Adeo recte Cornelium Celſum dixiſſe video, vim corporis melius ex venis, quam ex ipſa hominis ſpecie, æſtimari debere. Commodum ſeſe nobis offert, habitum corporis verſantibus multorum imperitia medicorum, qui ubi ſanguis eſt emittendus, id habitus præceptum adeo non intelligunt, ne dicam, contemnunt, ut ſine diſcrimine per acutæ febris inſultum, omnibus & mollibus, & firmis, & gracilibus, & obeſis intemperanter ſanguinem demant. Huic Medentium errori potiſſimum expoſiti ſunt Germani, Britanni, Gallique Belgæ; quoniam hi populi molliori, magiſque inflato ſunt corporis habitu, quam vel Græci, vel Itali, vel Hiſpani. Siquidem his gentibus, quia ſolidum muſculoſumque eſt corpus, ac venarum latarum, profuſæ etiam vacuationes, ubi ingens urget morbus, non officiunt. Narrat Galenus, nonnullis ſe Græcis ſanguinem, ad ſex uſque libras, magno ſucceſſu, ſine virium afflictione, miſiſſe. Et Itali quidem Hiſpanique Medici ſæpe ſuis prudenter atque tuto ſanguinem, ad duas

etiam

etiam libras, demunt. Horum exemplum quiſquis in noſtris imitari corporibus per acutam febrem volet, adeo vires debilitaverit, ut poſt vel morbo ſuccumbant, vel certe, ſi ſanitas redit, ita maneant offenſæ, ut, complurium curriculo annorum, vix recuperare ſtatum poſſint. Vidi equidem noſtratium haud parum multos ita vacuatos inconſulta temeritate Medicorum, alios præmatura coactaque judicatione labefactatos periſſe; alios in hydropem, alios in aliud, atque illud genus vitioſi habitus conjectos. Cum ſynochus invaſit, ſi corporis natura gracilis eſt, & ſpiſſa, & dura, & copioſi ſanguinis (talis fere eſt Italorum, atque Hiſpanorum) confidenter, ait Galenus, ſanguinem mittes. At ſi triginta (inquit) annos is natus eſt, cui ſanguis mittetur, ſed laxus, molliſque ſit, & pinguis, & albus, ac gracilibus venis, huic aut ſanguinem non mittes, aut parum detrahes. Quod ſi id tam religioſe in his Græcis, vel Romanis, qui forte molles, albique ſunt, ſub temperato cœlo, Galenus cavit: quanto majore cura in noſtratum ſic affectis verendum eſt corporibus, quibus ſupra hujuſcemodi habitum, cœlum quoque frigidum perpetuæque propter voracitatem cruditates incommodant, quo minus ubertim, minuſque licenter exhauriri iis ſanguis debeat. Quin nec ipſos etiam vel Græcos, vel Italos, ſub febri quantumvis acuta, ac gravi, adeo exinanire ſanguine licet, quin ejus bona reponi pars ad ſpatium curationis debeat, idque, ne alere ægrum intempeſtive cogamur. Nutrimentum vero omne, quia virium cauſa datur, non uſquequaque in febribus quæritur continuis, ut quæ breves ſunt, & in imbecillum cadere hominem non conſueverunt. Itaque ex cibo vel pleniore, vel intempeſtivo additur ad morbum. Adeo neceſſum eſt alterutrum ſequi, aut febrem, ſi nutris, augere, aut vires nimia ſanguinis miſſione fractas, ſi non nutris, dejicere. Commode vetus ille, me judice, Hippocrates ſcripſit, vaſorum in extremum deductas inanitiones periculo eſſe opportunas. Præſtare igitur Galenus exiſtimavit, bonam partem ſanguinis, qui proprium ſit partium nutrimentum, relinquere, pauciſſimiſque ſorbitionibus, ac poculis uti, quæ, per acutas febres, potius medicamenti vicem, quam alimenti, gerere debent. Quod ſi in his morbis ſolus ſuperflueret ſanguis, ſine putredine, ſine vaſorum obſtructione, fas utique eſſet, quovis in corpore, cujuſcunque id habitus, atque naturæ fuerit, tantum auferre ſanguinis, quantum pro modulo virium liceret. Verum quia venæſectio proprium remedium obſtructionis, atque putredinis non eſt, ſervari etiam bona pars ſanguinis debet, qui vires foveat, & in expugnationem morbi reliqui armet, atque tutetur. Id profecto ſatius eſt ſequi, quam ægrum, ſemel omni vi effuſa, fortaſſe præcipitare. Nemo hercle, me propter hæc dicta, eſſe clamet αἱμοφόζον, & uſque adeo male peritum, ut neceſſaria morborum remedia contrahere velim, atque extenuare. Equidem modum horum propono legitimum, cujus efficacem auctorem habeo Galenum, ipſamque ſuffragantem cum experientia rationem. At enim dicet aliquis, ingentem eſſe in humano corpore ſanguinis vim, ſed & ſponte naturæ quibuſdam e naribus, ad tres uſque libras, eum ipſum erumpere, nulla virium calamitate, vel incommodo: itaque licere nobis, per neceſſitates morborum, arte quoque naturam imitari. Scribit Fernelius, extitiſſe acute febricitantem gravidam, cui, die ſeptimo, tanta copia e naribus ſanguis promanarat, ut pelvim impleret, exæquaretque libras paulo minus quatuor, ſuperſtite matre, ſervatoque fœtu in maturum pariendi tempus vegeto, ac vivido. Porro hæc vera ut ſunt, ſpeciem-

que probabilis adverſus nos rationis multam habent, ita nequaquam evertere ſententiam noſtram poſſunt. Scire enim licet (id quod ab aliis parum fuiſſe animadverſum ſcio) longe magis virium ſubſtantiam debilitari atque diſperdi, ſanguine per grandiorem cubiti venam confertim effuſo, quam, longo horarum ſpatio, ab exilibus narium recluſis venis ſtillante. Hic enim, haud ita multum ſpiritus vitalis diſperit; illic, grandi vulnerato vaſe, ſanguis ubertim, copioſiſſimo cum vitæ ſpiritu, prorumpit. Viſi nobis ſunt acute febricitantium nonnulli, quibus cum, morbo incipiente, ſanguinem ad octo miſiſſem uncias, protinus animis acciderit defectus, cum tamen progreſſu morbi, tres ſanguinis libras, aut his amplius fundentibus, ne quidem ullus animi languor, non dicam, defectus obrepſerit. Quis non vidit, recluſis hæmorrhoidibus, aut menſibus fœminarum, per multas etiam ſeptimanas, paulatim promanantem ſanguinem? Aut denique ex vulnere aliquo (quod non grandem quidem venam vel arteriam violavit) eum ipſum intemperanter effluxiſſe, nulla orta deficientis animi, aut ſyncopes nota? Quod ſi iiſdem in corporibus, ſub acuta febri, parem ſanguinis portionem, imitatione propoſitæ ductus inanitionis, detrahere aliquis, aperto cubiti magno vaſe, tentaverit, is profecto, orta ſyncope, vires hominis, vitamque una cum morbo tollet. Quo magis conſtat, fruſtra id exemplum a multis etiam præcipuis viris arreptum eſſe, quin contra potius ſpectari locum, unde ſanguis emittitur, oportere, ſitve is hujuſmodi, per quem minimo tempore multum diſſipari ſanguinis ſpirituſque vitalis poſſit; ex quo certe loco ſanguis periculoſe ea menſura expromitur, qua ſæpe ab extimis corporis locis, per tenues venas, ſine noxa virium, manat. Et ut hæc parum, quod inficiamur, ſufficiant, id certe vidiſſe eos oportuit, quod ratione fultum, quotidianaque comprobatum eſt experientia, haud æque ſemper naturalem vacuationem, ut ea, quæ arte præſtatur, viribus officere. Cognoſcant hæc, expendantque velim omnes, quicunque, magna temeritate venerabilem illum vitæ theſaurum, ſanguinem, præter modum præterque neceſſitatem, intemperanter profundunt.

Ætate. Proximum modo eſt de ætate dicere, quæ ſi aut puerorum, aut ſenum eſt, largam miſſionem ſanguinis reſpuit: facilius eam ipſam mediæ ſuſtinent ætates, ut quibus cum virium robore, & corpore bene conſtituto, ſanguis eſt affluentior. Quanquam autem naturæ vires ſatis valentes pueris ſint, ferreque ob id detractionem poſſe videantur: quia tamen humido fluxoque corpore continentur, facile miſſo ſanguine collabuntur, ideoque modicas tantum vacuationes, urgentibus morbis, tolerant. Senibus autem ſua revera deficit vis, præcipueque decrepitis. Proin, ut ii, qui etiamnum ſunt ὠμογέροντες, id eſt, qui cruda, viridique adhuc ſenecta ſunt, profuſam tantummodo vacuationem reſpuunt, ita decrepiti, aut nullam, aut certe parciſſimam admittunt.

Porro anni tempus, ſi vernum eſt, liberalius vacuari ſanguinem poſſe indicat: æſtas, hyems, atque autumnus, contractius. Sed quæri poteſt: Quodnam ex his temporibus plus minuſve reſpondeat detractioni? Galenus parcius emitti ſanguinem autumno oportere ſcripſit, eoque multo minus hyeme, omnium autem minimum æſtate. Id præceptum magno errore noſtri ſecuti ſunt, non quidem ullo Galeni ea in re lapſu, ſed quod perperam id ad ſuos quoque Germanos, vel Belgas detorſerunt, quod de Græciæ tantum gentibus, & in earum comprehenſis circulo intellectum oportuit. Ea in univerſum lex ſtatui certa debet; eo ſemper tempore anni liberalius effundi ſanguinem poſſe, quod maxime

ad

ad temperiem accedit. Hoc ipſum enim ſanguinem adjicit, & firmiores corporis vires facit. In Græcia itaque, Hippocratis quidem illa, atque Galeni patria, quoniam corpora per hyemem, non admodum ibi aſperam, moderate coguntur, ſanguinem, atque naturæ calorem ſat pollentem habent, ſic ut tum, ſine periculi metu, per acutæ febris neceſſitatem, bona ſanguinis pars demi poſſit. In noſtræ vero regionis tractu, per duriſſimum hiemis gelu, niſi viſcera juſto ſanguinis modo communiantur, in grave cadent refrigerationis, ac debilitatis periculum. Itaque tum longe parcius ſanguinem trahere convenit, quam ſi æſtas eſſet, quæ nobis ſatis eſt tolerabilis, neque ardores æque moleſtos, ut hyems algores, exhibet. Certe corpora noſtra, cruditati opportuna, commode excipiuntur ab æſtate, quæ ſæpe ſuccos perfectiores, meliuſque coctos reddit. Ipſa hyems, tum ambientis nos cœli rigore, tum voracitate hominum, ſuccos ante naturaliter ſubcrudos, longe efficit crudiores; eique incommodo, qui verſus Aquilonem propius incolunt, & orientem ſolem, magis patent: minus autem hi populi, qui cœli temperato tractui ſunt viciniores. In Lybia autem minimum ſanguinis æſtate demendum, quoniam hæc illic torrentiſſima eſt, corporaque reſolutione maxime debilitat. At media hyeme, quæ ei loco prorſus temperata eſt, tantum ſanguinis auferre, reſpectu temporis, licet, quantum noſtris hominibus, medio etiam vere.

Regione.

Adeo apparet, præceptum illud temporis perpetuo non eſſe huiuſmodi ad ſanguinis præfiniendam menſuram, ſed variare maxime ſitu regionum, prout hæ magis minuſve ad exacti temperamenti mediocritatem acceſſere. Ergo Scotis, Anglis, Livoniis, Danis, Polonis, Belgis, Germanis, minus adimere ſanguinis hyeme, quam æſtate, decet; contra, Luſitanis, Mauris, Ægyptiis, Palæſtinis, Arabibus, atque Perſis, plus hyeme, quam eſtate. Galli autem Celtæ, atque Aquitani, Hiſpani, Itali, atque Græci, quia non ita duras, uti nos, experiuntur hyemes, & quidem æſtates, etſi non æſtuoſiſſimas, paulo tamen ardentiores, majorem ſemper vacuationem eo fertur tempore, quo firmiora corpora ſine periculo ſunt refrigerii, quod ipſis eſt hyems, quam quo laxata calore affatim diffluunt, quod æſtas eſt. Poſt temperatæ regionis incolas, noſtri certe Belgæ tolerare utcumque hoc auxilii genus poſſe videantur, quibus frigora accidunt moderatiora, quæ inſitum naturæ calorem, atque ſuccos intus includunt, minimumque viſcera, ſi mediocriter ſanguis trahitur, feriunt.

Cœlo.

De cœlo illud quoque, ſicut de regione, tenendum. Quod temperatum eſt, & nulla vi tempeſtatum jactatur, largius docet licere vacuare; parcius autem, quod frigidis horret Aquilonibus, vel Auſtrinis inflammationibus extorretur.

Victus ratione vitæque inſtituto.

Aliquid etiam in victus ratione, atque in vitæ inſtituto eſt. Athletæ omnes, & quicunque indies cibis bonis, ac ſolidis aluntur, eoſque probe concoquunt, liberalius emittere ſanguinem tuto poſſunt. Contra, qui parſimonia uſi, tenuique contenti menſa, multis ſeſe laboribus, atque ſollicitudinibus labefecerunt, his minus ſanguinis fuerit detrahendum. Illud quoque ſcire convenit, plus ſanguinis ei auferri poſſe, qui venæ ſectionem alias eſt expertus, quam non experto.

Acutarum febrium Symptomata, quę miſſionem ſanguinis dehortantur.

Nunc ad ſymptomata veniam, quæ per acutas exorta febres, largiorem ſanguinis miſſionem dehortantur; ut ſunt, immodica vacuatio, diſtentio nervorum, vehemens cum vigilia dolor, animi defectus: & huiuſmodi poſteriora quidem hæc, quia viribus multum incommodant, par-

cius esse vacuandum docent. Primum autem, quod immodicæ fuit inanitionis, symptoma, quia conficit id, quod arte quæritur nostra, merito vel parcam, vel omnino nullam suscipi debere missionem sanguinis indicat. Ergo etiam si per acutam febrem aliquibus de causis venter nimium fluit, quidam minus esse detrahendum præcipiunt. Diligens virium custos Galenus penitus supersedendum esse aliis vacuationibus jubet, ubi alvi profluvium febri accessit, ipsumque ait per se sufficere, etiamsi non sit pro plenitudinis ratione; quotquot autem ita constituti, tanquam majoris egentes inanitionis, sanguinem emiserint, in gravissima eos refert conjici pericula. Porro in aliis vacuationibus, cruentis quidem illis, sic habeto: Si natura confertim aliquid vi atque robore expellit suo, quod morbi præ se materiam ferat, ægrumque levet, ac commoda sequatur copia, non modo non parum detrahere, sed desistere etiam in totum a missione sanguinis licebit, omnemque rem agenti naturæ permittere. Exemplum esto in mensibus fœminarum, in hæmorrhoidibus, atque in narium cruentis profluviis, in quibus si per continuam febrem sic sanguis funditur, ut humor, qui morbum fecit, abunde tollatur, parcendum venarum sectioni est; sin vero parum id fit absolute atque plene, quæ deficere videbuntur, ea misso utcumque sanguine fas est absolvere.

Immodica vacuatio per alvum.

Per sanguinis eruptionem.

Exposuimus hactenus earum observationes rerum, quæ mensuram mittendi sanguinis præfiniunt, quæque non modo cum præsentes sunt, hanc facultatem indicandi habent: verum etiam ubi vel antecesserunt, vel imminebunt. Ingens profecto Medici quæritur solertia, qua multitudinem, vim ac dignitatem rerum harum intueatur, atque judicet, ut, quoad fieri potest, ubi sanguis per acutam febrem mittetur, legitimæ mensuræ ipsum veluti punctum attingat. Quod si evadere eo ingenio hominis non potest, conabitur tamen accedere quam proxime potest, semperque potius quid infra, cum anceps incidit dubitatio, subsistere, quam effusiore inanitione vires offendere. Etenim post, quidquid forte defuisse visum erit, pensari aliis vacuationibus, ut alvi ductione, ut sudore, ut urinis, potest. Neque enim pleniore cibo (ut forte quis existimet) in posterum resarciri videatur, quod supra modum vacuando peccatum est. Nam quoniam cibus semper ad morbum addit, & tum quoque alieno tempore, occupatis admodum in vigentem morbum viribus, datur, non potest quam plurimum noxæ atque periculorum non inferre.

Minor potius quam nimia sanguinis copia auferri debet.

CAPUT IV.

Quo tempore per Febres continuas sanguis mitti debeat.

QUoniam hæ febres, quas modo versamus, in corpus fere incidunt firmum, atque aliqua succorum affectum plenitudine, in primis ea postulare auxilia videntur, quæ copiam humoris, incisa vena, demant, ne is intus relictus graviore putredine, atque incendio afficiatur, tum etiam ut ventilatio, transpiratioque, per ademptam copiam reddita melior, temperiem conservet venarum, incrementaque putredinis, quantum fieri potest, minuat. Quisquis hæc videt, facile judicat primis quibusque

febris temporibus accelerandum id auxilium esse. Non solum autem materiæ causa, quæ febrem facit, id ita fieri debet, sed etiam virium, quæ, incipientibus morbis, sunt firmiores, utpote non admodum impares his, quæ secundam valetudinem nuperrime tutabantur. Fere autem ad id auxilii capessendum genus aptissimus fuerit dies secundus, aut si quid prohibet, certe tertius. Supra hunc, atque etiam supra quartum, haud æque vel utiliter, vel tuto sanguis mittitur, cum jam morbus multum increvit, ac vires consumere, eumque ipsa febris materia concoqui, & separari a benignis succis cœpit: quod naturæ institutum permotis confusisque per missionem sanguinis humoribus labefactatur. Quibus rebus impulsus Galenus maturandam esse detractionem sanguinis judicavit, neque eam concocto, consistentique morbo, adhibendam. Hæc curandi via per acutas febres semper servanda est, ut, vacuata primum per missum sanguinem plenitudine, quæ computruerunt, ubi concocta sunt, alvi ductione, urinis, atque sudationibus expurgentur.

Inciplente Febri maturanda est venæ sectio, neque post tentanda.

Arabs Avicennas, & qui ejus sunt edocti præceptis, pessimo exemplo principiis febrium justam detractionem denegaverunt, futilibus his impulsi causis, quod bilis cum sanguine permistionem (quæ illis secandæ venæ est nota) nisi posterioribus diebus fieri non posse existiment: dein quod ad sanguinis missionem opus esse concoctione judicent. Hic error, Auctore natus Avicenna, & tot jam sæculis in suos sequaces derivatus, multos mortales neci dedit. Licenter enim ac facile in vitam hominis gravis morbus sævit, præcipuo ejus auxilio idoneis neglecto temporibus. Ineptit profecto Arabs, quod (cum opportunitatem secandæ venæ captat) non potius morbi vim, atque robur ægrotantis, quam bilis cum sanguine mistionem considerat. Ejus ipse judicium mistionis in rubra ponit, crassaque urina; itaque, ubi ea quoque flammea tenuisque mejitur, perquam religiose a sectione venæ temperat: quasi tum adhuc per se bilis sola subsistat, ac nondum sanguini coierit, quæ, illo detracto, veluti suo, uti ait, fræno, efferveseeret. Somni potius vicem, quam salutaris præcepti gerit, quod hic Auctor proponit. Aperta enim vena, non solus per se sanguis, sed cuncti humores (qui tamen sanguinis nomine continentur) effluunt: id quod in extracto sanguine, ubi vasculis exceptus refrixit, videre est. Quatuor enim distincti visuntur succi, amisso scilicet nativo calore, qui ante in corpore eos inter se mistos temperatosque tenebat. Jam vero, si continuæ febris materia in venis insidet, quid hercle prohibet, quo minus, his incisis, effluat etiam cum sanguine is humor, qui in eo quoque ipso inest, & morbum creat? Æque pene absurdum est, quod præparare concoctione sanguinem, antequam mitti, is Auctor velit. Siquidem, ampla cubiti divisa, uti decet, vena, nunquam ita crassus est sanguis, quin protinus effluat. Scio Galenum, in magna venarum cruditate, priusquam sanguinem omnino mittat, concoctionem moliri solere incidentium usu medicamentorum. Verum ea res nihil nos quidem offendit, quoniam is corporis status viribus caret, quarum occasione unicarum, non autem sanguinis crassitie detractio procrastinatur. Itaque eandem curandi viam hic sequitur Galenus, quam in iis servavit, qui propter imbecillitatem modicis, iteratisque detractionibus egent. Scilicet, pauculo emisso sanguine, moram interponit, mediisque temporibus, incidenti usus medicamento, rursus venam incidit, vel ipso eodem interdum die, vel postero; atque hinc similibus materiis concoctionem molitus, iterum quid de sanguine demit. Constat autem, hujus curationis, infirmis aptæ viribus, exemplum ad acutissimam febrem cum

Refellitur contraria Avicennæ ejusque sectatorum in hac re opinio.

fervidi ſanguinis plenitudine, ac virium pollente robore deflecti non poſſe ; quoniam ſubito hic, ac ſemel inanire convenit, id quod & vires ferunt, & vehemens exigit morbus. Quo turpius idem erravit Avicennas, cum ſic de Synocho ſcripſit: In febre autem ſanguinea minuere, inquit, oportet per principia, non tamen ſuperflue: at poſt copioſe, cum affuerit febris maturatio. Falſus, opinor, Arabs præcepto Galeni fuit, quod libro ſcribitur de curandi ratione per ſanguinis miſſionem. Præſtat, inquit, niſi quid urget, priore miſſione minus detrahere, iterumque eam repetere, imo, ſi libet, & tertio. Atque id parum animadverſum eſt, quod ſcribitur, *niſi quid urget*: urget vero multo maxime ad acceleranda, ac protinus complenda remedia febris acuta. Quin etiam ſui eſſe videtur oblitus Avicennas, qui alias præcepit, partitionem quidem mittendi ſanguinis optatiorem eſſe, niſi ſit quod neceſſariam faciat feſtinationem. At vero Galenus, dum ſic dividit detractionem, quantum ex prægreſſa patet oratione, de præcautione loquitur earum ægritudinum, quæ quotannis ſolent recurrere, itemque ad impetum ſanguinis alicunde fluentis averſione compeſcendum. Id certe artis eſt præceptum: In Revulſione, per inciſionem venæ petita, quanto quis majorem in numerum particulares auxerit detractiones, tanto eam fecerit efficaciorem. Miror profecto, Avicennam ea parum vidiſſe, quæ poſt paulo apud Galenum ſequuntur: Ubi ferveſcentis ineſt ſanguinis plenitudo, acutiſſimam accendens febrem, ſubito, inquit, ac ſemel evacuare expedit: eamque inanire plenitudinem tentandum vel ad animi uſque defectum, virium tantum conſulto robore. Id vero ideo faciundum is Auctor cenſet, ut ne fervidus humor in princeps membrum irruat. Sanguinem potius turbat, quam demit, putredinemque, & incendium exauget, quiſquis hic diminute vacuat. Quod incommodum ſenſit quidem ipſe ſæpe alias Avicennas, at parum intellexit. Cum alicui, inquit, ſanguis mittitur, cui ſuccorum multa eſt in corpore redundantia, ſectio venæ cauſa ſit ebullitionis iſtorum ſuccorum, eoſque permiſcet, quare frequens ei neceſſaria inciſio eſt. Apparet certe id ipſi imputatum ſectioni ab hoc Viro fuiſſe, quod tribui diminuto ejus uſui debuerat. Hæc iſta, ut merito dicuntur in Avicennam erroris Auctorem: ita, ſi is culpa vacat, inique. Aliqua eſſe ejus rei videri poſſit conjectura. Nam etſi is libro Canonum ſuorum primo, perperam ſic præcepit: In febre autem ſanguinea neceſſe eſt, ut evacuatio fiat minutione non ſuperflua, in principio; & ſuperflua, cum affuerit, maturatio febris: ita contra libro quarto veriſſime dixit: Intentio in curatione febris ſanguinis eſt evacuatio plurimi uſque ad ſyncopen: & poſt: Evacuationum autem alia haud æque commoda eſt, atque venæ ſectio in brachio, quacunque etiam hora fiat, & non expectatur vel criſis, vel materiæ concoctio. Et neceſſes, inquit, ſanguinem emittere, donec æger prope animi ſit defectionem, aut eo jam ipſo ſit defecto. Quid, quæſo, his locis, qui ambo una de febre, unaque de miſſione ſanguinis ſcribuntur, pugnantius? Servari Avicennæ præceptum poſſet, quo ſcribitur, primum parce vacuandum, dein matureſcente morbo, liberalius, ſi hoc de purgante medicamine, illud de leniente intellectum velis: verum id ita non poſſe intelligi, penituſque Auctorem de venæ locutum fuiſſe ſectione, antecedens, ſequenſque commonſtrat oratio. Erit itaque id, ceu plenum erroris, periculique, rejiciendum placitum. Ac ſemper, ubi ingens febris afficit, & vires ferunt, ſanguis ſemel per initia mittendus, ne copia, protinus non adempta, maximis putrefactionibus, atque febricitationibus materiam ſuppeditet. Quod intuitus

tuitus periculum incomparabilis ille Galenus diligenter præcipit, in Synocho, ardentiſſimaque febre, primis initiis, ſanguinem ad animi uſque defectum eſſe detrahendum. Scilicet tum onere humorum levata corporis vis agilior fit, promptiorque ad reſidui morbi depulſionem, quæ poſterioribus diebus, quum venæ ſectio inutilis eſt, futura laborioſa eſt.

Periculoſa eſt in febris ſtatu venæ ſectionis repetitio.

Quare etiam in reprehenſionem haud levem quidam noſtræ ætatis Medici incurrunt, qui etſi initio ſemel recte ſanguinem miſerint, tamen cum, increſcente jam morbo, ac pene conſiſtente, ingraveſcere ſymptomata cernunt, eorum territi ſævitia, urinæque, ſi Diis placet, impulſi rubedine, iterum ſecare venam tum incipiunt, octavo, vel nono, vel decimo die. Quidam adeo ſunt effrænatæ temeritatis, ut vel undecimo febris continuæ die, vel duodecimo, vel decimo-tertio, ſub graviſſimis vigoris ſymptomatis, naturaque maxime afflicta, ſanguinis miſſionem repetant. Sanguinaria mehercle capita, quæ una cum atrociſſimo morbo valetudinem hominis junctis viribus oppugnant. Primum enim in eo, quod maxime abſurdum eſt, falluntur, cum ſecandæ venæ neceſſitatem ex vehementia ſymptomatum metiuntur. Scilicet his ipſis afflictas vires nova debilitant inanitione, intentamque morbo naturam interturbant. Quod ſi Galenus, per acutæ febris provectiora incrementa, in eo etiam homine, cui primis temporibus ſanguis miſſus non fuit, non quidem hunc mittit, ſed in frigidæ ſolo poculo reliquum præſidium ponit; qua, quæſo, ipſi confidentia, cum initio ſemel ſanguinem traxerint, iterum juxta ſtatum trahere audebunt? Quam vero parum vident Hippocratis præceptum, quo ſumma quies, abſtinentiaque momentaneorum remediorum, vigentibus jam morbis, imperatur. Scilicet tum omnia ſunt maxima: ipſi febris ardores, ſites, inquietudines, vigiliæ, deliria, ſopores, & hujuſmodi, quæ ſic naturam fatigant, ut ſi alia vis, turbatiove imprudentia medentis acceſſerit, haud difficillime ea ſit morbo ſuccubitura. Accedit aliud incommodum in humore peccante longe maximum, quod a nemine puto fuiſſe animadverſum. Scilicet, cum putris humor jam pene totius vi naturæ concoctus, ſeparatuſque eſt, turbatis miſſione ſanguinis ſuccis venarum, cum benigno permiſcetur, totumque naturæ ſubvertitur inſtitutum. Profecto ſic ſe res omnis habet. Ut primum nata ex humoribus putrefactis febris eſt continua; valens, ſuique nunquam oblita muneris natura, corruptum humorem magna vi aggreditur, alterans eum ipſum, edomans, concoquens, atque a ſincero ſeparans, ut hoc ſcilicet conſervato, illum qui contra ſe eſt, pellat. Nihil enim recte natura, quod ſpatio temporis ante non ſeparaverit, excernit. Priuſquam in hoc admodum incumbere opus cœpit, quæ materia venis ſupereſt, ea primis temporibus, ſecta vena, demenda eſt. Sic enim facilius atque citius natura, quod reliquum eſt, vincet. Hoc remedii genere per initia adminiſtrato, poſterioribus inde temporibus, cum invadere humorem putrem natura jam diu cœpit, ſumma poſtulatur quies, omniſque refugienda ſuccorum agitatio, qua turbari concoctionis, atque ſeparationis opus poſſit. Itaque etiam per hæc tempora, ſecundis venæſectionibus fas non eſt corpus laceſſere. Quinetiam, ſi evincendo, & ad ſtatum concoctionibus promovendo morbo, pene confecta natura fuit; qui, quæſo, ſuſtineri eadem poſſit, cum primis labefectata ſeparationis laboribus, novos, eoſque prælongos aggredi cogitur? Vidi ego permultos ita intempeſtive vacuatos, ingenti ſpiritus exorta difficultate, gravique delirio, & poſt hoc ipſum ſopore, noviſſimum vitæ diem clauſiſſe. Perturbationis, confuſioniſque humorum incommodum leve eſt primis acutæ febris

qua-

quatuor diebus ; cum nondum admodum profecit concoctione natura , neque ſymptomatis exercita multum fuit. Itaque Cornelius etiam Celſus, ut primos morbi quatuor dies ſanguinis miſſioni idoneos, ita poſteriores eſſe inutiles ſcripſit; ſic ut detractio imbecillum corpus facere poſſit, non integrum. Noſtræ quoque ætatis rarum decus, Joannes Fernelius, antiquorum ſecutus veſtigia, judicavit; ubi in morbis viſuntur manifeſtæ concoctionis notæ , non amplius venæſectione , ſed purgatione , aliiſque præſidiis reliquam curationem eſſe tranſigendam , niſi , quod interdum fit, cruditatis ſigna denuo ſe prodant. At Galenus , inquies , in mittendo ſanguine ipſas vires , non numerum ſpectari dierum oportere ſcripſit ; adeo ut & ſexto febris die , vel ſeptimo , vel octavo , ſanguinem miſerit. Ejus præcepti locus eſſe poteſt in febribus intermittentibus, natura diuturnioribus, in quibus & lentæ ſunt concoctiones, & lentæ vires efficiuntur, ut his de cauſis differri venæſectio in paulo longiora ſpatia tuto poſſit. Poteſt & de Synocho non putrida id præceptum videri intellectum, quoniam de ea ipſa febre Galenus eo loco diſſerit . Nimirum curatio hujus, utpote ferventis ſanguinis ſecutæ copiam , ac putredine carentis , perficitur ; cum miſſo ſanguine tollitur plenitudo , & refrigerantibus materiis ferventes ſucci temperantur . Ut autem nulla hic ſubeſt putredo, ſic nulla quoque requiritur materiæ concoctio, nullaque eſt eximia virium afflictio . Itaque quovis die mitti ſanguis poteſt . At in putrida , eademque continua febri , habenda ratio virium eſt atque concoctionis, quæ, poſterioribus hujus morbi temporibus, venæſectionem, uti nuper docui , averſantur . Quod ſi quæ Synochus , quatuor diebus non putrida, neglecta inanitione, fiat putrida, etiam ſanguis mitti poterit quarto poſt cœptam putredinem die , qui tum numeratur octavus ab orta primum febre. Adeo vero id firmum eſt, in continua febri, ex quo tempore putredo eſſe cœpit , nunquam tuto ſupra quartum diem venam ſecari ; idque non modo virium cauſa , quæ tum fiunt ſymptomatum inſultu infirmiores, ſed etiam materiæ, quæ, procedente tempore , multum concoqui cœpta , atque ſeparari , nova ſanguinis fuſione turbatur, permiſceturque . At dicet aliquis, purgantium medicamentorum potiones , provectioribus febris incrementis fas eſſe dari ; ideoque tum etiam mitti ſanguinem poſſe; ut quæ res multo minus, quam medicamentum turbet corpus, atque humores permoveat. Verum, o bone, non miſcet humores hac turbatione medicamentum , ſed coctos ſeparatoſque extrahit , ac naturæ juvat inſtitutum ; venæ vero ſectio , quia omnem pariter ſanguinem, non humorem ſolum peccantem fundit , parum ejus, quod contra naturam eſt , emittit , ſeparatumque excrementum benignioribus cum ſuccis fuſione miſcet . Id quoque nobis objici a quopiam poſſit. Si iterari ſanguinis miſſionem interdum Galenus voluit, cum imbecillæ vires unicam, eamque plenam non ferunt : cur id quoque nobis non imitari liceat, cum vires ferunt ; ſiquidem , minore harum incommodo, pluribus diebus ſæpius ſanguis trahitur, quam protinus ſemel effunditur? Atqui hoc ipſum, ut in ſanis hominibus, & in longis natura morbis locum habet , ita in acute febricitantibus non habet , ut qui profuſas per initia poſtulant detractiones . Quod ſi in his quoque vires (quod raro fit) parum reſpondent , arripienda quidem vacuationis partitio, at non in plures dividenda eſt dies. Scilicet eodem die fieri ea debet, alias unica, alias duabus interpoſitis horis, medioque tempore refici æger alimento poteſt. Jam autem ne id quidem etiam in continuis febribus imitatione dignum eſt, quod Galenus in multos dies partitio-

titionem rejicit, cum humor pertinacius inſedit, ut in viſcerum ſcilicet internorum tumoribus. Nempe diſpar omnino eſt ratio vacuationis inter ægritudines, quarum materia per univerſi corporis diffuſa eſt venas, ut in aſſiduis accidit febribus, & inter eas, quarum humor extra venas lapſus partem corporis aliquam pertinacius occupavit. In acuta quidem febre, morbo certe univerſali, priuſquam ardores, atque putredines invaleſcant, ſanguinem per initia demere convenit; idque univerſe, atque confertim, ſæpe ad animi uſque, ſi vires ferunt, defectum. Subito enim corpus in alium demutari ſtatum poſtulat. Quod ſi quis, initio febris hujus, aliquid detraxerit ſanguinis, ac duobus, tribuſve poſt diebus, iterum tantundem detrahat, is profecto, ut nulla id facit neceſſitate, ita parum commodat, & tracto in ſpatium morbo, nocet. Contra autem, in partium morbis, ac præſertim inflammationibus, quoniam humor extra venas eſt, ac fixius inſidet, id genus iteratæ vacuationis haud inutile eſt. Nam hoc intervallo parti impactus humor remigrat in venas, ſecundaque tum ſectione utiliter extrahitur. Ea iteratio, ubi inflammationes urgent internæ, primis fieri debet diebus tribus, in aliis autem tumoribus inflammatione carentibus, poſterioribus ſæpius diebus. Sic, in curando lienis ſcirrho, Galenus majore intervallo repetendam venæ ſectionem docet. Id imitari ſtudere in acuta febri, nil niſi hominem eſſet extinguere. Ergo etiam Avicennas, ubi de curatione loquitur febrium putridarum, exitioſam ſententiam protulit, maxime ſi hanc de continuis quoque febribus voluit intellectam. Et conſilium quidem, ait, meum in venæ ſectione eſt, ut quantum fieri poteſt, ea omittatur; ſi vero fieri non poteſt, auctæ ſectionis vices præſtant ſemel ademptæ copiæ. Adeo vero jam nunc conſtare ex iis quæ diximus, poteſt, ſemper maturandam per acutarum febrium initia ſanguinis miſſionem eſſe, raro partiendam (ubi nimirum tenuiores id poſtulant vires) nunquam in poſteriora morbi redjiciendam tempora. Quo magis dolenda, ne dicam deteſtanda, eſt complurium cæcitas Medicorum, qui neque commiſſum hac in re cognoſcere errorem, neque, eo cognito, tutiorem curandi viam, ſequi ſuſtinent. Vidi ego haud parum multos ita temere ab aliis Medicis habitos periiſſe, quorum exitium multis mihi ante diebus licuit præſagire, tum vehementis morbi, viriumque non uſquequaque valentium intuitu, tum ex male conciliata hac, atque alienis temporibus uſurpata, ſanguinis miſſione. Scio equidem, per febres accidere interdum, vel negligentia ægrotantium, vel timiditate, aliiſve de cauſis, ut ne ante decimum quidem quartum diem, imo ne ad viceſimum ſanguis ſit miſſus; qui tamen tum mitti utiliter poſſit; ſiquidem plenitudinis, atque cruditatis morbi ſigna immorentur, ac ſimul ipſæ etiam permittant vires, neque vetuſtate ægritudinis ſint collapſæ. Verum ſcire licet, hæc intelligi non poſſe de morbis prorſum acutis, tantaque ſymptomatum, tanquam fluctuum, agitatione continenter afflictantibus, utpote quorum velocior eſt & concoctio, & reſolutio. Neque enim extreme gravem morbum ſuſtinere diu natura poteſt, quin huic vel ſuccumbat, vel dominetur. Quo fit, ut differre hic miſſionem ſanguinis periculoſum ſit. At in iis febribus continuis, quæ viceſimum forte diem, aut eo ſuperiorem attingunt, utique pituitoſæ, vel melancholicæ, ut neque celeres ſunt concoctiones, neque ſymptomata (quibus certe vires offenduntur) æque atrocia, ita & tardior venæ inciſio carere periculo memorabili poteſt. Eaque differendi auxilii licentia longe eſt in his febribus major, quæ intermittunt, & in multam ex natura incidunt vetuſtatem; cujuſmodi eſt quotidiana,

& quar-

& quartana. Eo ſpectare id Avicennæ poteſt, utilem die etiam quadrageſimo venæ ſectionem eſſe. Id certe ubique perpetuum eſt, quod ſupra etiam propoſui, non numero dierum hanc vacuationem primum, ac per ſe prohiberi, ſed quod longiore ſpatio temporis vel concocta ſit morbi materia, vel vis ægrotantis reſoluta.

Quædam tamen res ſunt, quæ ſanguinis miſſionem in principio Febris remorari debent; ac primum cibi cruditas.

Porro hactenus quamquam ſatis ſuperque demonſtratum ſit venæſectionem incipientibus his morbis protinus deſtinari; res tamen quædam ſunt, quibus niſi ante conſultis, atque proviſis, neque commode, neque tuto ſanguis mittitur. Ex illarum numero cruditas eſt cibi nuper ſumpti, neque penitus adhuc in ventriculo confecti, maxime ſi ſimul etiam alvus excrementis impedita eſt. Nimirum ſi tum vena ſecaretur, facile crudi aliquid ex ventriculo, vel ſordidum quid, atque putre ab alvi oleto in venas traheretur, vacui ſequela inanitas, atque indigentes. Quod incommodum eo fuerit majus, quo profuſior adhibetur vacuatio. Itaque graviſſimum in ipſa fuerit Synocho, in qua ſanguis ad deficientem quoque animum mitti debet. Ergo etiam recte Veteres, tum in hac febre, quæ tamen acceleratam poſtulat hujus opem vacuationis, tum in quavis alia continua, tantiſper hujus auxilii uſum diſtulerunt, donec & cibus intus concoctus, & venter ſua eſſet ſaburra exoneratus. Id ſi ſponte naturæ non fit, mora atque quiete juvanda epularum eſt concoctio, & alvus clyſtere, vel glande, aut ſi hæc æger recuſat, caſſia, manna, decocto prunorum, ſimilibuſque lenientibus, per os ſumptis, ſolvenda.

Deinde impurus in Ventriculo humor.

Præter hanc cruditatem, quæ ſola ab Antiquis ante ſecandam venam animadverſa caſtigataque fuit, in febribus potiſſimum acutis, quæ improbis detractionibus gaudent, quædam etiam alia obſervari par eſt, ita miſſionem ſanguinis remorantia, ut præterire tamen eadem ſubinde fas ſit, ſi continuæ-febris urgens neceſſitas cunctationem reſpuit. Quanquam optatiſſimum ſit, eadem quoque ante ſectionem videre, atque tollere, ſi qualemcunque pati moram morbus poteſt. Ergo impurus aliquis humor, bilis referens naturam, ſi in ventriculo, aut in aſſidentibus eis venis continetur, utiliter ante ſectionem blandiore extrahitur medicamento, ita ut putrem id tantummodo materiam venarum exigat primarum, ſine vi, ſine corporis, ſanguiniſque exagitatione. Ad eam rem (me judice) facit duarum plus minus drachmarum macerati rhabarbari, dilutum in prunorum decocti juris, aquæve hordeaceæ unciis tribus & ſemis: addita diacatholici ſemuncia, ſerapiique ex multis roſæ macerationibus unica. Si pituita quoque bili miſcetur, agarici, atque rhabarbari, ſingulorum plus minus drachma maceratur; ac reliqua, quæ modo pro poculi forma compoſui, miſcentur. Quod ſi humor, communibus contentus ductibus, murſu ad ſtomachum vergit, eliciendus vomitione eſt, aqua tepida ſerapio acetoſo miſta, & ad duas potui data libras. Poſt hæc, mica panis, punici mali, imbuta ſucco, reficiendus ſtomachus, corpuſque aliquantiſper in quiete habendum, ac tum protinus vena tundenda eſt. Hæc curatio, cum alias ſemper, ſi fieri licet, tum eo potiſſimum tempore ſervanda eſt, quo flava bilis (quæ tædia atque incommoda, præcipue ſi quis jejunus eſt, exhibet graviora) ventriculum occupavit. Jam etiam tum periculoſe ſanguis mittitur, cum ſtomachus (quem os dico ventriculi) nimium eſt vel ſentiens, vel imbecillus. Tanti refert hoc vitium ante ſectionem venæ ſuſtuliſſe, ut ni id ſit factum, ſæpe grave inde periculum atque ipſa quandoque mors, auctore Avicenna, ſequatur.

Maximè vero Stomachi vel nimius ſenſus, vel imbecillitas.

De Hora ſanguini mittendo maxime i-

Proximum nunc eſt, horam præſcribere, ipſumque temporis articulum, quo recte mitti ſanguis poſſit. In qua re delinqui indies a multis

video imperitiſſimis hominibus, quibus tempus pomeridinum, atque nocturnum adeo eſt formidabile, ut etſi miteſcere tum maxime febris videatur, malint tamen matutinum arripere, quanquam graviſſima (ut interdum incidit) febricitatione moleſtum. Alii ſiniſtro territi aſpectu aſtrorum, occaſionem ſalutaris remedii in aliena morbi tempora periculoſe rejiciunt. Res autem ſic ſe habet. Aſtra quidem haud parvi judico facienda, verum potiora his eſſe cenſeo momenta ægritudinum, quibus exigentibus, ſuo quæque tempore reperienda, expediendaque ſunt remedia. Quæcunque itaque febris totius eſt hora mitiſſima, ea maxime accommodata venæ ſectioni eſt. In ipſo febris vehementis impetu ſanguinem mittere, hominem, inquit Celſus, jugulare eſt. Ergo etiam veſpere, ipſaque intempeſta nocte, ſi remittere maxime febris deprehendetur, ac mane attrociſſime affligere, huic certe tempori illud anteferendum eſt. Matutinum enim hoc ipſo pejus eſt, quod cum natura levis eſſe debeat, morbi vitio non ſit. Ea obſervatio in iis febribus utilis eſt continuis, quæ per tertium quemque diem ingraveſcunt, itemque in quotidianis, ac quartanis continuis: in quibus, quia gravior exacerbatio non in idem ſemper incidit diei tempus, varie ſecare venam oportet, modo mane, modo ipſo meridie, ſæpe veſpere, & altiſſima etiam (quod interdum fieri neceſſe eſt) nocte.

donea: eaque eſt illa, in qua Febris maxima eſt remiſſio.

Quod ſi in his febribus bis uno in die, mane ſcilicet, ac meridie, vel veſpere, vel etiam noctu, par incidit remiſſio; aut ſi Synochus ſit putrida, quæ idem robur acceſſionis, donec ſolvatur, retinet; vel continenter declinando, vel ſemper increſcendo movetur: tum profecto tempus eſt arripiendum matutinum, ut quod ante omnia ægrotis mite, atque tranquillum eſt. Temperiem enim meliorem, ac ſanguinem ſolis exortu vegetum, ipſoque diei lumine fuſum, ſerenum, ac fluxui opportunum exhibet. Quo autem commoditas ſit ea cumulatior, non ſtatis experrectis aperienda eſt vena, ſed horam unam, & item alteram vigilibus. Simul etiam tum alvi excrementa, atque veſicæ, uti ſuperioribus locis præcepi, ante vacuari neceſſe eſt, maxime, ſi profuſior ſecutura eſt detractio. Matutino autem tempori, ſi ad benignitatem ſpectas, veſpertinum ſuccedit. Ipſe meridies ſuo æſtu, intempeſta nox ambientis cœli rigore, minus tutum id genus remedii reddunt.

Ubi nulla vel par eſt remiſſio, matutinum tempus eligendum eſt.

CAPUT V.

Quæ Vena per Febres Continuas ſecanda ſit, quidque inter Sectionem, & poſt agendum.

DATA jam nunc mittendi ſanguinis opportunitate, videndum erit, quæ maxime ſecari debeat vena. Quoniam febris aſſidua fere in corpus incidit plenum, ac bene habitum, profuſamque ac celerem detractionem poſtulat, unde mox & copia demi humorum, & refrigeſcere affatim corpus, mutarique in alium ſtatum poſſit, videtur profecto omnium eſſe commodiſſima ad hanc rem inciſa dextri cubiti interna vena, ut quæ directo tramite ex jecore, tanquam ſcatebra, atque origine ſanguinis propagatur. Quod ſi ea parum in conſpectum datur, tundenda erit media. Plexum autem cubiti arripere, non manum oportet, quoniam hic ut ſunt venæ anguſtiores, illic admodum latæ, & trunco corporis

Sectioni Cubiti vena maxime opportuna eſt.

poris propiores, accidit, ut in cubiti flexura missus sanguis, celeriter atque impense (id quod in) hujusmodi febribus apprime requiritur) corpora tum vacuet, tum alteret, supra manum contra tardius, ac minus. Quo magis rejicienda sit quorundam immoderata timiditas, qui, sub acuto morbo, grandiorem cubiti venam ferire detrectant, jecorariæ supra manum venæ incisione contenti. Quos timidior animus, aut innata quædam proprietas, aut afflictæ vires, vitiumve stomachi, proclives ad animi defectum, vel adeo graviorem syncopen reddunt, iis tutius vena manus inciditur, aliis rectius ex cubiti vase sanguis mittitur. Insulse admodum Avicennas, si venam in cubito ferire non licet, eam præcipit secandam, quæ in fronte est. Siquidem humores copia lascivientes, putredineque fervidos, ac mobiles, versus partem trahit principem, metumque ea curatione insaniæ, quam φρενίτιν vocant, facit. Hæc vero vena capiti vacuando, non toti corpori inservit. Quapropter Galenus ejus incidendæ usum ad capitis commendat gravitates, & ad ejus inveteratos ex plenitudine dolores. Ceterum prævacuatum esse, inquit, universum corpus oportet.

Cautiones quædam adversus animi defectum; ejusque prænotiones, & remedia.

Porro in acuta febri, quæ affluentiorem latura est inanitionem, quo minus anima deficiat, recte Avicennas præcepit, supinum cubare ægrum oportere: nam is corporis situs vires hominis minus lassat, quam si vel is ipse staret, vel sederet, qua in re opus est connixu virium animalium majore. Sed & ipsa intestina, atque viscera, quoniam stanti, alteque sedenti pendent ex præcordiis, vitalem, ac naturalem vim molestant, promptumque animi reddunt defectum, utique, si plaga etiam venæ largior inflicta est. Talis enim plus spiritus vitalis fundit, strictior minus. Si animi in proximo est defectio (quod coloris, ac pulsus mutatione, itemque oscitatione, pandiculatione, aurium tinnitu, oculorum caligine, ac fluentis sanguinis labascente impetu deprehenditur) laxato protinus vinculo, pressaque pollice vena, detrahere cessandum est, ne vel pro animi deliquio, mors occupet, id quod Galenus tribus accidisse Medicis, quos ipse noverat, refert, vel certe, ne noxam, vix multis recuperabilem annis, vires incurrant. Simul etiam tum resupinus æger ad sese revocari, frigida in os sparsa, & extremis tum convulsis, tum perfrictis debet, ac dein vini, aut aromatum odore, itemque mali punici succo, aut capi juscolo refici.

Quid agendum sit post sanguinis missionem.

Jam vero postquam sanguis pro viribus, ac pro febris magnitudine est emissus, quies corporis imperanda est, per quam amissi spiritus, ipsaque hominis vis recreentur; id quid felicius quoque per decubitum fiet supinum, cunctis visceribus in spinam dorsi suaviter reclinatis, eaque situs æquabilitate plus sibi caloris, ac spiritus mutuo impertientibus. Ea vero quies citra somnum esto, nisi tamen improba multumque profusa antecesserit detractio, quæ vires impensius labefecit. Sub quo casu Galenus, dato primum facili cibo, ægrotis somnum indulsit. Facilis cibus ptisanæ est cremor, aut pulli jusculum. Sed tempestivum modo videatur, quoniam de febricitantis inanitione per sanguinis missionem satis superque dictum est, ut de sustentatione virium agamus, quæ sic semper habendæ, tractandæque sunt, ut ne proposito genere vacuationis, aliisve necessariis curationibus, sed & ne vel ipsius quoque morbi sævitia collabantur. Sustinentur vires commodis cibis ac poculis, de quibus in genere quædam proposui dicere, simulque hinc quæ ea ipsa administrandi debeat esse lex, atque ratio, per morbi principium, quod jam versamus, adjicere.

CA-

CAPUT VI.

Quæ victus ratio in genere Febrium continuarum ſervanda ſit.

HAud levis cura victus, cum aliis in morbis, tum præcipue in acutis febribus eſſe debet; quæ, ſi ita ut æquum eſt, adhibetur, magna ægris affert commoda, ſi negligetur, maximis eos ſollicitat incommodis. Ciborum, inquit Galenus, concoctioni magnopere proſpicere in omni febre oportet; quoniam ea, ſi in ventriculo, vel in jecore improſpera eſt, febres intendit, ac ſucci vitio exacerbat. Quam vere commode id a Celſo de febricitantibus dictum eſt? Optimum medicamentum eſt opportune cibus datus. Quo magis ſtuporem admiror quorundam, magnum ſibi medendi uſum vindicantium, qui hanc curationis partem adeo parvi faciunt, vel, quod magis credam, ignorant, ut tum nutriant, cum exitio eſt alimentum; tum fame pugnent, cum vita ægrotantis unico ſita in oblato cibo eſt. Quare operæ pretium facturus videor, ſi primum in genere omnem victus rationem proponam, febribus idoneam acutis; ſcilicet, cujus is eſſe debeat materiæ, itemque qualitatis, qua dein menſura, quo tempore, atque modo ſumi. Qua in re, doctis hominibus, ac legitimum cibandi uſum cognoſcere volentibus ſpero me ſatis eſſe facturum.

Optimum medicamentum eſt opportune cibus datus.

Ergo Hippocrates, primus atque exactiſſimus diætæ præceptor, victum partitur in craſſum & in tenuem. Sub hoc ea ſunt, quæ vel ſorbentur, vel bibuntur; ſub illo, quæ comeduntur. Craſſum longis deſtinat morborum acutorum par neque vis, neque duratio eſt omnium, ita alia, atque alia in iis forma tenuis victus eſſe debet. Commode itaque idem Auctor victum hunc propoſuit, modo exacte tenuem, modo ſupreme tenuem. Triplicem alimenti materiam tribus his tenuis diætæ generibus Hippocrates in volumine, quod de victu compoſuit morborum acutorum, aptavit: Totam ptiſanam, cremorem ptiſanæ, & aquæ mulſæ potum. Tota ptiſana, quæ nimirum omnem hordei ſubſtantiam habet, vicem craſſæ ſorbitionis gerit, victumque conſtituit tenuem. Ptiſanæ cremor, ſive ſuccus percolatus, tenuis ſorbitio eſt, & victum refert exacte tenuem. Mulſam vero victum ſumme tenuem Hippocrates dixit, Galenus abſolutam quoque cibi, ac potionis abſtinentiam.

Victus partitio in diverſa genera.

Ut igitur probe conſtet, quod genus victus tenuis ſingulis conveniat febribus acutis, ſcire licet, rationem atque ſcopum totius rei propoſitæ, uti hic, ita aliis quoque in morbis a virium peti robore, non præſentium modo, ſed & futurarum. Itaque etiam videre, quantum ſummus diſtet morbi vigor, convenit. Porro eo enim ſpatio, varie vires afficiuntur. Harum ipſarum cauſa unicarum, alimentum ægrotis datur, non item morbi, qui non modo non indicat, exigitve cibum, ſed ſemper dehortatur. Quare tum præcipue neceſſe eſt ægris cibo ſubvenire, cum vires ſunt imbecillæ; tum rurſus abſtinentia pugnare, cum febris, ſymptomatum magnitudine atque atrocia, maxime afflictat vires non admodum infirmas. Recte ſic loquitur in Aphoriſmis Hippocrates: Quum morbus eſt peracutus, extremos protinus labores habet, ſummeque tenui victu eſt utendum. Item de viribus paulo poſt: Sed & ex ægro, inquit, conjecturam facere oportet, num is cum præſcripto duret victu ad morbi uſque vigorem, anne prius deficiat, imparque cum tali victu prius ſuccumbat, quam cedat morbus, atque obtundatur. Scire vero licet, ſi vehemens febris, vehemenſque

In Victu inſtituendo, ſpectandum eſt præcipue virium robur.

ſimul

ſimul virium eſt imbecillitas, potiorem eſſe virium, quam morbi dignitatem, ciboque facili ægrotis tum eſſe ſuccurrendum. Quod & ipſum lego factitaſſe Hippocratem, qui interdum, in acutæ febris vigore, ubi alicujus interventu ſymptomatis vis hominis inſigniter periclitaretur, confidenter cibum dedit. Id vero nobis quoque ſequendum eſt, maxime, ſi effuſa aliqua corporis incidit inanitio, quæ, interpoſito tempore, metum afferre certum poſſit. Tales ſunt quibuſdam in febribus malignis inexhauſti ſudores. Tale per liquefactivas febres aſſiduum eſt alvi profluvium, vires, conſumpto corpore, reſolvens. Non raro etiam, per febrium judicationes, ſanguis e naribus tanto impetu, tantaque copia fertur, ut exitii periculo vitam exponat. Atque vera hæc, & diſcriminis plena (cui ſupra curationem ſymptomatis, cibo quoque ſuccurrendum) virium eſt imbecillitas, non itidem ea, quæ morbi ſecuta acumen, nequaquam autem corporis inanitionem, imbecillitatis ſpeciem falſam præbet. Ejus rei ignoratio multum erroris inter curandum nonnullis exhibet: qui cum, ſub ipſas febrium judicationes, torqueri ægros dolore, inquietudine, ſiti, atque vigilia cernunt, viribus quaſi in ſeſe infirmis opem, ſi Diis placet, laturi, magno periculo cibum offerunt, qui cibus quia non concoquitur, addit ad morbum, & impetum ſymptomatum adauget. Atque ita de virium affectione ſtatuendum eſt.

Et quantum diſtet morbi vigor.

De vigoris etiam diſtantia diligenter videndum, ut idoneum victus genus inſtituatur. Sicut enim iter confecturus aliquis, prout longum id, aut breve eſt, viaticum ſufficiens comparat, quo ſuſtineri vires ad proficiſcendi finem poſſint, ita corpus quoque ægrotantis varie, pro ſpatio morbi, ne vis concidat, alendum eſt. Eaque obſervatio non modo in alimenti materia, ſed in quantitate etiam locum habet. Scilicet quo vigor latius abeſt, eo magis, ac plenius alendus homo eſt, quo propinquior, eo minus craſſe, atque contractius.

Quomodo cognoſci poſſit futuri vigoris tempus.

Sunt autem conjecturæ haud infidæ, quibus prænoſci tempus futuri vigoris poteſt. Ipſum nempe febris genus (quod ejus quoque comprehendit materiam, atque motum) & quæ febri poſt accedunt ſymptomata, concoctionis item celeritas, vel tarditas, atque anni tempus. Ergo febris ardens Καυσώδης Græce dicta, quam ſincera bilis, æſtivis horis, excitavit; itemque Synochus putrida, ubi protinus velociter moventur, moleſtiſſimiſque ſymptomatis, & præcipue ingenti inquietudine ægrum laceſſunt, præcipitante jam tum etiam materiæ concoctione, ut plurimum, quarto die, ſolvuntur, maxime, ſi apparere concoctio, primo die, cœpit. Jam autem, ſi multa quidem deeſt inquietudo, perſeverant tamen ardores, cum vigilia, ac capitis dolore, ſi ipſa quoque concoctio primum quarto viſa eſt die, expectari morbi finis Græcis atque Italis, die ſeptimo, noſtratibus nono poteſt. At hæ febres continuæ, quarum alter ſemper quietior dies ſymptomata exhibet mitiora, fere undecimo die (ſi quarto cœpta evidenter concoctio eſt) ad vigorem, & ad judicationem perveniunt. Sed & ſi, inclinato febris impetu, quietiori die ſymptomata gravia intermittunt, ut plurimum, die judicantur decimoquarto, qui terminus eſt morborum vere acutorum. Quamquam non deſunt interdum acutæ febres, quæ ad viceſimum, imo ad ipſum etiam quadrageſimum perveniant, in quibus longe ſemper liberalior inſtituetur victus ratio. Prætenuis enim cibus, tanto morbi ſpatio, vires non ſuſtinet. Utut autem continuæ febres cadant in vetuſtatem, nulla tamen harum eſt, quæ non magnam quarto-decimo mutationem, ad ſalutem, vel mortem, aut certe ad melius, vel pejus experiatur. Refert Galenus,

lenus, nullum unquam morbum, qui quidem ab initio vehementer moveretur, eum ipsum diem sine aliqua mutationum harum transiisse. Loquor hæc Hippocratis causa, qui acutos morbos diebus quatuordecim finiri scripsit. Siquidem fieri posse Galenus existimavit, ut acuta febris quarto supra decimum die, ad melius, aut ad pejus judicetur, apud vicesimum aut quadragesimum ad salutem, aut in exitium desinat. Sub hujusmodi casu, rectum instituendi victus consilium est, durante continuæ febris impetu, cibum offerre acutis accommodum morbis, mitescente autem post decimum quartum diem ægritudine, duobus eodem in victu diebus persistere tenui, atque hinc paulatim ad pleniorem transire.

Victus præcepta in febribus, quoad ciborum genus ac mensuram.

Explicatis jam abunde victus scopis, proponendum est quod genus alimenti, quaque id mensura, prout quæque febres durant, offerri debeat. Quidam antiquos secuti Medicinæ Authores sic præcipiunt: Si febris continua primo quatriduo cessatura est, viribus in denso corpore satis firmis, utilem omnimodam abstinentiam cibi ac potionis esse, id quod ultimum esse contendunt tenuissimi victus, aut certe sola, si quid vires laborent, licere dari pocula. Ubi septimo die fiet judicatio, locum in ea febri habere tenuem sorbitionem, hoc est, Ptisanæ cremorem. Nec inidoneam hanc quoque esse, si undecimo febris solvetur, nisi, virium causa sustinendarum, crassam æger sorbitionem, totam scilicet Ptisanam requirat. Sin autem in decimum quartum diem rejicietur morbi finis, crassa sorbitione esse utendum. Verum hæc cibandi præcepta, ut Græcis, atque Italis conducunt, ita Septentrionalibus gentibus, ceu multum alias edacibus, ac sæpius uberiusque esse solitis, ad imitationem sunt inutilia. Quis enim acute febricitantem nostrantem tuto sub quatridiana cibi potionisque continuerit abstinentia, aut septem dies nutritionis casum unicis reficere poculis, sine virium jactura, atque periculo, possit? Omitto calumniam vulgi, qui fame sitique enectum hominem, non morbo superatum, si mori eum contingit, clamat, ingenti Medentium dedecore. Et ut quam fortissime populi contemnamus voces, artem sæpe inique culpantis, ratio tamen monet, ipseque docet Hippocrates, prætenuem nimisque severam victus rationem esse inutilem, ac periculo opportunam. Errata enim, si quæ ægrotantis culpa, vel Medientis fiunt, molestius feruntur ab homine propter immodicam debilitato inediam. Id si suis in Græcis Hippocrates servari præceptum voluit, multo magis nos sequi in nostratibus æquum est, quos ad paulo pleniorem victum ipsa quoque natura, cœlum, atque consuetudo cohortantur. Illud certe ubique videndum est, ne æger, vel supervacua materia oneretur, vel multam imbecillitatem fame contrahat. Ergo etiam, me judice, ubi Græci inediam imperant, nos pocula damus; pro illorum poculis, nos sorbitiones; ac pro his, etiam ea, quæ comedantur, indulgemus. Tanti est consuetudo, hominumque natura. Id sic scriptum apud Hippocratem invenio: Conjicere, inquit, oportet, & robur, & modum cujusque morbi, itemque hominis naturam, & ægri in victu consuetudinem, non tantum in cibis, verum etiam in poculis. Idem alias sic: Quod etiam semel, aut bis, & plus, minusve, & minutatim alere conveniat, spectandum est; dandum vero aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini. Scire tamen licet nimios nos esse non oportere in nostratibus alendis, ceu quibus propter voracitatem, atque crassæ materiæ alimenta, cruditas fere adest semper aliqua, quæ tempestiva inedia, incipientibus potissimum febribus, corrigi tuto potest. Id opinor censisse Celsum, cum principia scriberet morborum famem sitimque desiderare.

Diximus hactenus de genere, ac mensura ciborum, qui continuis utiles sunt

Quales cibi febribus utiles sint.

febribus; adeoque proximum est qualitatem adjicere; quam haud dubie decet esse humidam, ac refrigerantem. Victus, ait Hippocrates, humidus febricitantibus confert. Scilicet cum febris omnis calida, siccaque sit affectio, & idcirco frigidum postulet, humidumque victum, multo quidem maxime id ipsum fiet in continuis, quas modo versamus, febribus, quarum non modo summi cum ariditate calores sunt, verum etiam assidui. Humidus quoque victus sicco citius concoquitur, ut qui facilius liquatur, ac distribuitur. Trallianus, Author Græcus, in his febribus victum commendavit, qui pariter, circa omnem excalfactionem, extenuandi (multam enim, crassamque ait hic esse materiam) nullas inspissandi, sed humectandi quoque vires obtineat. Cibus, inquit Celsus, febricitantibus humidus est aptissimus, aut humori certe quam proximus, utique ex materia quam levissima, maximeque sorbitio; eaque, in magnis febribus, esse debet tenuissima.

Quodnam tempus sit sumendo cibo opportunum.

Nunc, quando cibus dari debeat, proponam. Quæ hora febricitationis mitissima est, quoniam corpus exhibet magis integrum, ea ali homo debet. Illud certe consilium aptissimum est, cibum quam maxime semper ab impetu accessionis reducere, & dare corpori, quantum fieri licet, integerrimo. Itaque in continua, cum alter dies sit remissior, alter atrocior, recte cibus remissiore datur. Idem in quartana facere, duobus diebus mediis, licet, nisi orta imbecillitas, gravioris quoque accessionis die, cibum desideret. In quotidiana autem continua, ubi febris remisit, alendum est. Quod si Synochus sit putrida, quæ pari semper impetu afficit, aut paulatim vel increscit, vel decedit, commodum aliquod diei tempus legendum est. Id Celsus esse dixit mediam noctem, finito jam, inquit, gravissimo tempore vespertino, quo fere pessimi sunt, qui ægrotant, eodemque longissime distante: secuturis vero horis antelucanis, quibus omnes fere maxime dormiunt, deinde matutino tempore, quod natura sua levissimum est. Verum hic non usquequaque Celso possum acquiescere, primum, quia somni, qui per noctem est proclivior, commoditas impeditur, dein quia consuetudo nostrorum hominum, quæ certe hac in re multum potest, hujusmodi cibationi repugnat. Ergo primæ potius lucis arripietur (me judice) tempus, nam tum, quia magis quiescunt ægri, cibum melior somnus excipit, isque cibus facilius reliquo mane, quod sequitur benignissimum, concoquitur. Hæc cibandi præcepta ita servanda sunt, ut nullo tamen non tempore, is qui deficit, sit sustinendus. Illud vero prudenter, ut multa alia, Celsus monuit. Cum pleni semper spei atque securitatis ægri esse debeant, ut corpore tantum, non etiam animo ægrotent, tum tales maxime a sumpto cibo esse oportere. Itaque si quæ incidunt, quæ animum eorum essent exasperatura, neque celari vel possunt, vel debent, ea certe, non nisi post cibum, atque somnum, experrectis esse exponenda.

Modus cibi sumendi quis esse debeat.

Porro, in cibi sumendi modo quædam etiam quæri possunt. Ac primum, variusne in acute febricitantibus is esse debeat, an vero simplex? Varietas quidem, ut appetentiam invitat, ita deteriorem exhibet concoctionem. Quin etiam plus sumere ægros, quam par est, facit, ideoque minus etiam concoquere. Quare nusquam ei locus esse potest, quam ubi ingens est fastidium, neque satis vires valent. Scilicet, paulum ex singulis degustando, has æger tuetur. At si neque respuit penitus cibum homo, neque pessime fert, nulla epularum diversitate sollicitandus est. Simplex enim materiæ genus magis intra modum sumitur, melioresque succos concoctum adjicit. Illud quoque de cibandi vicibus, quod ad sumendi alimenti pertinet modum, adjiciam. Fere quidem, ubi vires sunt,

a pri-

a primo die præcipue noſtratibus, ſemel quotidie dandus cibus eſt. Ac bis etiam, ſi imbecillitas timeri cœpit. Quod ſi eo res rediit, ut penitus venæ conciderint, viſque hominis multum infirma ſit, eodem ſæpius die parum offerendum, arreptis febris temporibus magis pacatis, nimirum, ut ea ſemper hora minus cibi detur, qua, ſi per corpus liceret, omnino nihil daretur.

CAPUT VII.

Genera quædam, itemque formæ Alimentorum, quæ acute febricitantibus dari poſſunt.

QUoniam ſatis modo ſuperque de generali victu febrium continuarum dictum eſt, commodum videatur in eorum gratiam, qui medendi uſum quærunt, aliquot ciborum, qui dari febricitantibus utiliter ſolent, formulas, tanquam exempla, proponere. In quorum numero Ptiſana hordeacea, atque ejus cremor facile primas tenent, ob eximias facultates morbis conducibiles acutis, quas Hippocrates diligenter intuitus literis mandavit. Ptiſana, inquit, frumentaceis eduliis recte prælata eſſe videtur in hiſce acutis morbis, eoſque qui eam præferunt, laudo. Nam viſcoſitas ipſius levis, continua, jucunda, lubrica, & mediocriter humens, ſitim minime infert; &, ſi quid ablutione indiget, probe abluit, non aſtringit; non male turbat; neque in ventre intumeſcit, nam inter coquendum, quantum maxime potuit, intumuit. Quæcunque ad acutorum morborum ſanationem Ptiſanæ inſunt bona, nulli, inquit Galenus, alteri ineſſe comperies. Primum enim humectat, atque refrigerat, ac mediocriter abſterget, quæ facultates in curatione febrium harum maxime conducunt. Viſcida ea, ſimulque levis, ac continua eſt, aſperitudinis expers, quæ acrium eſt, & acidorum, & aſtringentium. Magni vero eſt, jucundam Ptiſanam, ac guſtu pergratam ſumentibus eſſe: quoniam eo facilius & concoquitur, & per corpus diſtribuitur. Quod ſi paulo deteriores cibos, vel potus, ſuaviores tamen, melioribus quidem, aut minus gratis, ipſe prætulit Hippocrates, quidni Ptiſanam ſummopere probemus, quæ ſupra quam quod ſalubris eſt, ſuavitatis etiam adepta eſt prærogativam. Jam vero, etſi viſcoſa eſſe cernitur, lubrica tamen eſt: nequaquam vel hærens in itinere, vel obſtruens, quod commodum ſoli Ptiſanæ, præ ceteris viſcidis, peculiare eſt. Id autem vis ejus abſtergens facit, quæ facilem ubique tranſitum præſtat, & primas venas infartu liberat excrementorum. Quæ facilitas noſtris eſt apprime utilis hominibus, ceu aliquo fere ſemper cruditatis, vel obſtructionis vitio, in prima regione corporis, affectis. Atque hac de cauſa, ſi quid ablui in ventre debet, probe Ptiſana abluit, nullamque ſortita eſt aſtrictionem, quæ febrientibus (niſi propter effuſæ ſymptoma vacuationis periculum incumbat) inimiciſſima eſt. Ad hæc, humectationem quidem habet, at moderatam, qua ſitim arcet, quæque humiditas ſtomachum, ſi permulta eſſet, ſubverteret, quali certe vitio Ptiſana caret. Itaque ne turbare quidem, vel intumeſcere, dum in ventre concoquitur, poteſt. Longiore enim ſupra ignem decoctione, quantum maxime potuit, intumuit.

Ptiſanæ hordeaceæ in febribus eximiæ facultates.

Ptiſana ſic a multis paratur: Sumunt hordei ſelectiſſimi, extimo exuti cortice, quantum videtur ſatis. Id tantiſper cum aqua coquunt, donec jus

Ptiſanæ præparatio.

nec jus pulticulæ tenuis repræsentet speciem. Post hæc in pila tundunt, & tenui incerniculo percolant, additoque saccharo, hordeaceam componunt, exhibentque Ptisanam. Galenus hordeum in aqua, dum coquitur, quam plurimum dicit intumescere debere, posteaque lento igne per multum otium in lentorem redigi.

Ptisanæ cremor.

Ptisana autem colata, quem etiam Ptisanæ cremorem vocant, fit, cum tantisper hordeum coquitur, donec hujus flavescentem quemdam accipiat colorem aqua, hinc ab igne tollitur decoctum, & interposita aliquanta mora, percolatur, inditoque saccharo, fit sorbitio Ptisanæ cosatæ, ægrisque, cum opus est, datur.

Hordeacea Ptisana impensius alit, quam ejus cremor; quare hic magis vicem medicamenti, illa magis nutrimenti gerit. Refrigerantiorem reddere licet, additis melonum, cucumeris, cucurbitæ, ac citruli seminibus.

Firmiora quædam, in virium imbecillitate, alimentorum genera.

Ceterum haud raro, propter virium imbecillitatem, ad plenioris, quam hæc ipsa sunt, materiæ alimenta transeundum est, in septentrionalibus utique populis, qui voracitati, crassæque materiæ cibis insueverunt. Ergo etiam carnes interdum sunt concedendæ, sed volatilium, non item quadrupedum, nisi ad hædum, & ad vitulum pervenire necesse sit. Inter aves acute febricitantibus aptas, firmissimæ materiæ sunt capi, hinc gallinæ, mox phasiani, post pernices. Singulasque aves sui sequuntur ordine sustantiæque conditione pulli. Perdicum autem pullis succedunt aviculæ montanæ, atque campestres, quæ in arboribus, non in aquis degunt, quæque colli, ac rostri sunt quam minime longi. Cocta hæc genera alimentorum cum succo apparantur, sumunturque mali punici, aurantii, citrii, limonii, & hujusmodi. Frequentius, ac rectius ex his coctis, & suo cum jure contusis ac percolatis nutritoriæ fiunt sorbitiones, hoc modo. Decoquitur pullus gallinaceus, vel capus tantisper ex aqua, donec muscoli discedant ab ossibus. Tum capus, pulluſve tunditur, huicque affunditur sæpius paulatim decocti jusculum, pinguedine remota, ac sic per incerniculum manibus, aut cochleari, musculos conterendo, fit percolatio, atque tum, adjecto saccharo, aquæque rosaceæ momento, componitur sorbitio, vel, ut vulgo dicunt, contusum tenuis consistentiæ, vel crassioris, prout lubitum erit, certam decocti juris partem, dum terendo fit percolatio, affundere. Porro sæpe haud incommode hujusmodi sorbiunculam, additis quibusdam rebus, alterantem, ac medicinalem reddimus. Id fit, vel una coctis primis siccis, itemque seminibus frigidis majoribus, ad hæc lactuca, cichorio, endivia, bugloſſo, hordeo, & hujusmodi. Vel cum post concoctionem, atque percolationem ipsi contuso quidam aduntur refrigerantes succi, ut limoniorum, aurantiorum, citriorum, ipsa item aqua rosacea, vel cardui, uti vocant, benedicti. Hujusmodi certe cibandi genus continuis in febribus semper efficacissimum sensi, cum ad hominis sustentandas vires, tum ad ardores mitigandos.

Cum tanta est inappetentia, ut nihil horum admittat æger, concreti ex decoto jure carnium commemoratarum liquores fiunt, additis santalis, coralliis, pauculoque vino aquoso, & aqua rosacea, & saccharo, & cinnamomi momento. Grati hi succi palato, cum sumuntur, liquescunt, & sic in ventriculum facile, multaque descendunt jucunditate.

Inter firmioris materiæ alimenta panis bis terve in aqua lotus, & cum jure pulli, vel capi mistus acute febricitantibus datus. Sæpe apud nos cum tenui cervisia tritus, panis leniter decoquitur, fitque sorbiuncula, addito saccharo, ac pauculo butyro.

Alia fit nutritoria sorbitio, ex fontis, & succi uvarum immaturarum parti-

partibus æqualibus quibus ovi luteum commiſcetur, hinc ſimul coquuntur, inditoque ſaccharo, ægris & ſorbendum dantur.

Amygdalatum, atque hordeatum, uti vocant, ſæpe locum in his febribus habent, maximeque ſub noctem, ſomni quoque cauſa conciliandi, qui ſi minus commode venit, ſemina etiam adduntur lactucæ, melonum, cucumeris, cucurbitæ, & albi, cum ita neceſſe eſt, papaveris. Tum quoque cœnæ vicem lactuca cocta, ſumptaque cum aceto, ac butyro, gerit.

Marcipanes omnes ex contuſis volatilium facti carnibus, atque amygdalis, fugiendi ſunt. Nam & nimis craſſæ præbent materiæ alimentum, & difficilem admittunt concoctionem.

CAPUT VIII.

De Potionibus acute Febricitantium.

ÆQue magna potionum, per febres continuas, atque ciborum, habenda cura eſt. Nam hos fere ægri averſantur, ac inviti ſumunt, illas toto expetunt animo. Quæ ſane cauſa eſt, cur liberalior in his, quam in illis concedendis, Medicus eſſe debeat. Quod eo magis fieri poteſt, quod ex ſumpto cibo ſemper aliquid ad calores, & ad morbi accedat materiam: ideoque cibum morbus omnis, ſui ratione, nunquam non recuſat. Ex potione autem refrigerante, miteſcit ardor febrilis, corrigitur ſiccitas, materiæque ebullientis refrænatur impetus. Ergo etiam ſupra hæc commoda, ſicuti ſani moleſtius ſitim, quam famem ferunt, ita multo difficilius ægri, maximeque acute febricitantes, quibus cum morbo perit appetentia, creſcit ſitis: ideoque plus in potione indulgeri, quam in cibo poteſt. Quinetiam facilius cibis concoquuntur pocula, celerius reficiunt, ac minus naturam infirmam gravant. Verum modus adhiberi aliquis debet, ne nimio humore, qui febricitantibus eſt alienus, eoque præfrigido, cruditas morbi in ſpatium trahatur, minor materiæ accedat alteratio, ſeparatioque, quam hic improprie concoctionem appellamus. Ceterum primo acutæ febris die nullus humor recte datur, niſi protinus ita viribus imbecillus homo ſit, ut cibus quoque debeat dari. Poſterioribus temporibus, cum incendia, ſites, atque ariditates invaleſcunt, ipſaque virium creſcit imbecillitas, plus dare, quod bibatur, licet. Qua in re falli multos etiam peritos Medicos conſtat, qui ærgo propter ardentiſſimam acutæ febris exuſto flammam, liquorem, quantumvis avidiſſime petenti, ac per omnia ſacra poſtulanti denegant. Itaque fit, ut eliqueſcens nativus humor dejectionibus, uriniſque ubertim efferatur, & arefactis ſolidis, ſimulque ſuperato naturæ calore, homo pereat. Ego vero his ipſis ſic affectis frigidiſſimam potionem dare ſoleo, utique ſi materiæ multa acceſſit concoctio: eaque re tum ſiccum ardorem tempero, naturamque reficio, tum materiam morbi, ſi parata excretioni eſt, ſudationibus, alvo, aut vomitu excutio. Neque vero hic obſervandum, quod in febrium intermittentium acceſſione eſt; qua immorante, quantum fieri poteſt, prædicendus eſt omnis humor, abſtinendique etiam ægri ſunt, quanquam vehementer ſitiant, ac monendi, ubi febris quieverit, ſitim quoque quieturam, longioremque ex potione fore acceſſionem; ita celerius, ut ille ait, deſinere ſitire eum, qui non bibit. Extenuatione enim opus eſt multa, ut quod, a materia antecedente

Ægris magis indulgendum eſt in potionibus, quam in cibis.

febrium intermittentium admodum impacta putrefactum, discedere debet, discedat, excludaturque, quam extenuationem multus humor remoratur. In continuis vero febribus, materia in venis continenter manens, gravi incendio, atque assiduo corpus urit, quod nisi, opportunis temporibus, refrigerio poculorum reficitur, periculo fit obnoxium. Ut hoc apprime verum sit, in intermittentibus febribus, magis causam, hoc est, materiam peccantem spectari oportere; in continuis, magis morbum, calorem scilicet febrilem; in utrisque, neutrum esse negligendum.

Quænam potiones, & quando febricitantibus dari debeant.

Porro, quod ad opportunitatem dandæ attinet potionis, scire licet, ea huic idonea esse tempora, quæ cibo sunt, si sine hoc illa interdum dari debet. Sub somnum humor apprime est conducibilis. Quietem enim sitis interpellat. Potiones acute febricitantium hæ ferme sunt omnes: Decoctum jus hordei, aqua cum saccaro cocta, ac refrigerata, zulapium violaceum, tenuissima cervisia, crudus fons. Eo fonte, non nisi post concoctionem, & magna semel copia, uti licet, veluti suo loco post docebitur. Aliis, quovis morbi tempore, est locus. Quæcunque pocula mellita sunt, quia calefaciunt, ac prompte bilescunt, inimica sunt. Vinum, quoniam calet, semper est fugiendum, nisi cum præcipua virium est imbecillitas, consentiente consuetudine, simulque admodum appetente homine, indulgeatur, idque paucum, dilutum, ac minime potens. Idem semper tolerabilius, sed & interdum necessarium in declinatione est. Hactenus in genere dixi, quæ edulia, poculaque his febribus conducant; posthac, quæ cuique morbi tempori victus ratio sit utilis, proponam.

CAPUT IX.

Quæ Victus ratio principio Febris acutæ conveniens sit.

In principio febris, tenuissime alendus est æger.

IMbecillæ vires alimentum solæ desiderant: morbus, copia humorum, cruditas, symptoma, respuunt. Ea res superioribus locis satis demonstrata est. Itaque principio febrium continuarum alienus esse cibus videtur, partim quia corporis fere adest quædam repletio, quæ detractionem, non adjectionem postulat; partim quia febris materia est cruda, in quam satius est naturam agere, quam in oblatum cibum. Quinetiam eadem natura, isthoc ipso tempore, minus affligitur, tum, quia haud plurimum ab eo abest robore, quod secundam valetudinem nuperrime turbatur: quare non admodum etiam cibo opus habet. Id profecto sensisse Celsum existimo, cum initia scriberet morborum famem sitimque desiderare. Ergo etiam, si prima septimana resolutum iri morbum verisimile est, nec vires desunt, primis diebus duobus, continentissime æger habendus est, oblatis poculis, aut certe tenuissima sorbitione Ptisanæ colatæ, aut pulli jusculo. Quod si ad undecimum diem febris durabit, primis diebus itidem duobus, parcendum quoque utcumque cibo, ac dein ad prætenue pulli contusum, Ptisanamque hordeaceam, quam minimæ participem crassitudinis. Vel si decimus quartus dies excipiet febris finem, ad pulli mediocre contusum, totamque Ptisanam consistentiæ mediocris paulatim est transeundum; semperque, si supra hæc tempora febricitare homo perget, eadem ciborum, atque durationis morbi proportione utendum. Id sic expressit Hippocrates. Quibus vigor statim est futurus, tenuiter statim habere oportet; quibus autem posterius, & ipso tempore vigoris, &

paulo

paulo ſub ipſum cibus adimendus, antea vero plenius alendum, ut ægrotus perferre queat. Neque autem (quod forte quis exiſtimet) nobis refragatur, tenuiſſimum victum initio febris imperantibus, Hippocrates, qui per principia plenius eſſe alendum præcipit. Nam late is Author principium accipiens, ſub ipſo habet, includitque incremento. Scilicet nulla eo in Aphoriſmo increſcentis ægritudinis facta eſt mentio, ſed principium contra ſtatum diſtinguitur. Id alias ſæpe uſui venit Hippocrati, ut ſecundo libro Aphoriſmorum: Incipientibus, inquit, morbis, ſi quid movendum videtur, move: vigentibus autem, quieſcere multo præſtat. Et poſt: Circa initia, & finem morborum remiſſiora ſunt omnia, in vigore vehementiora. Galenus quoque ad Glauconem: In febribus, inquit, continuis, quibus vigor ſeptimum non excedet diem, viribus firmis, neque ætate repugnante, exquiſitus omnino, ac tenuis victus inſtituendus eſt. In quibus autem febribus ſeptimum diem ſtatus ſuperabit, aut homo imbecillus eſt, per initia, inquit, liberalius, ſub ipſum ſtatum parcius, in ipſo tenuiſſime alere neceſſe eſt. Ipſe etiam Avicennas, ſi carere reprehenſione volet, omnino ſic accipere principium febris debuit, quum ita loquitur: Dignius liberalioris victus tempus eſt, quo vires non admodum occupantur in materia: eſtque id morbi principium. Et dignius tenuiſſimi victus tempus, eſt ſtatus: hic enim in evincenda materia quam maxime natura occupatur. Ergo id modo perpetuum præceptum eſto: ut in incremento liberalius, ita ſemper in principio contractius alendum eſſe. Quinetiam vel inedia ſemper convenire principio videatur, plenitudinis intuitu, ac virium non imbecillium, ni faceret nimis repentina victus in incremento permutatio, cui incremento liberior diæta conducit, ut ſic firmatæ vires vigorem, qui abſtinentiam exigit, ſuſtineant. Jam autem, incipiente morbo, famem paſſus homo, ne increſcente, noxam liberalioris menſæ, ſubito arreptæ, incurrat, tum ne ſi hanc noxam effugere ſtudens, increſcenteque morbo tenuiter victitare incipiens, intempeſtive circa ſtatum propter defectas vires, principio quidem febris nequaquam, incremento autem, juſto tenuius altas, cibari cogatur: præſtiterit utique protinus, incipiente morbo, contractius alere incipere, victumque paulatim ad incrementum pleniorem facere; hinc vero rurſus, quo magis ad ſtatum acceditur, minuere, ipſoque in ſtatu, & paulo ante eum penitus ſubtrahere. Scire autem licet, haud ſemper, a primo ſtatim die, cibandum tenuiter ægrotum eſſe, ſed prout febres ſunt, atque corpora, adminiſtrari, ac variare ea res debet. Quæ febris plus virium aufert, in ea celerius cibus dandus eſt, itemque in eo cœlo, quod magis corpora reſolvit. Maturius etiam puero, quam juveni: æſtate, quam hyeme: in ſumma, citius imbecillo corpori, quam ſolido, firmoque dari debet. Atque hic finis, moduſque eſto de victu dicendi, qui primum in genere febrium acutarum, ac dein, qui in earum principio locum habet: proximumque adeo nunc eſt de concoctione dicere materiæ, quæ febrem facit.

CAPUT X.

Quomodo Materia Febrium Continuarum concoquenda ſit.

DUplex eſt concoctionis apud Medicos acceptio. Prima eorum eſt, quæ facultate partium ſolidarum, atque caloris naturalis alterantur, & in Concoctionis ſignificationes diverſæ:

& de qua hic agitur.

idoneum vertuntur corporis alimentum. Eam concoctionem ſolus admittet ſanguis, qui nos alit, & quidquid aptum eſt, ut in ſanguinem verti poſſit. Alterum concoctionis genus, quod improprium eſt, atque univerſalius, in humoribus verſatur præter naturam affectis, ac morboſis, quum hi caloris innati viribus ita alterantur, vincunturque, ut (maligni cum ſint, neque ullo modo ſalutares fieri queant) mox a benignis ſeparentur, ac vacuationi reddantur opportuni. Eſtque profecto ea concoctio nihil aliud, quam materiæ febrilis præparatoria ad commodam purgationem alteratio; ſcilicet, cum natura, uti Galenus dicit, cauſis morborum fortior facta fuerit, eviceritque eas ſuo robore. Itaque ab ea quoque concoctione, quodammodo ad primum genus referenda, differt, quæ in materia fit haud prorſus inutili, ſed in vitioſa, ac ſemicorrupta, quæ poſtquam commode fuerit correcta, intus manet, eſtque corpori, multa ſui parte, non inutilis. Quamquam in eo hæc a primo concoctionis diſſidet genere, quod non in benigno penitus humore fiat, naturæque familiari, ac pergrato; dein quod nulla hic, aut ſaltem modica fiat ſubſtantiæ immutatio. Eſt enim interdum incipiens quædam corruptio, atque mutatio humorum haud inſignis, quæ correctionem accipit, ac priſtinæ naturæ benignitatem. Quod etiam Galenus vini exemplo declarat. Id enim ſi ſubacidum redditum eſt, redire ad naturam poteſt, ſin prorſus acetum ſit, non poteſt. In hac vero concoctione, Galenus temperamentum fieri debere humorum, quod ἐπίκρασις vocatur, præcipit, oblato uberiore alimento, ſic ut nova materia miſceatur corruptæ. Cibum contra averſatur is humor, qui penitus eſt corruptus (nam impura corpora quanto magis ales, tanto magis lædes) ac præparari ad commodam purgationem debet: eſtque ea, quam ſecundo loco propoſuimus, concoctio.

De modo concoquendę bilis diverſæ opiniones.

Præparatoriam autem alterationem iſtam in humore craſſo, vel tenaci apud omnes in confeſſo eſt incidendo, atque abſtergendo perfici. At in bile flava major dubitatio, majorque curantium diſſenſio eſt. Alii hanc extenuantibus, iiſdemque acribus incidendum cenſent, ſerapiumque exhibent acetoſum compoſitum, Galenum, uti videtur, ſecuti, qui primo libro Aphoriſmorum, origano, tragorigano, atque hyſſopo aquæ mulſæ incoctis, priuſquam materiam acutorum purget morborum, utitur. Sunt qui contrariam ſequantur viam, incraſſandam eſſe bilem profeſſi, quoque minus diffluat, inducta ſpiſſitudine, cogendam. Quidam neutrum accipiunt iſtorum, ac bilem, utpote per ſe tenuem, ita uti eſt, ſine ulla præparatione, purgationibus opportunam eſſe contendunt. Adeo varie hucuſque de re tanti momenti inter eruditos, in certo ægrotantium diſcrimine, certatur.

Authoris in hac re ſententia.

Quid vero ego hic ſentiam, proponam; ac poſt opiniones aliorum refellam. Quoniam cujuſque humoris morboſi concoctio, uti propoſui, nihil aliud eſt, quam quædam præparatio ad commodam, atque tutam purgationem, late atque univerſalius accepto concoctionis ſignificato, videndum utique eſt, quidnam id ſit, quod in quaque materia, hanc vacuationem vel remoretur, vel faciat periculoſam. Id vero tollere ſtudere, concoctionem juvare, atque promovere eſt. In melancholico itaque humore, graſſities, in pituitoſo lentor, in bilioſo neutrum admodum horum, ſed quidam ardoris fervor, dum febris ex eo eſt aſſidua, faciunt, quo hic minus tuto, illic minus commode purgatio inſtituatur. Ergo craſſum humorem extenuare, lentum tergere, utrumque incidere, ne tentati medicamentis impingant, minimeque ſequantur, oportet; ipſius

ipſius autem bilioſi humoris incendium atque furorem refrigerio temperare, ne ſi ſine hoc purgetur, internis viſceribus exitialem noxam inferat. Ad hunc modum præparatis humoribus natura facilius dominatur, alterando eos, & vincendo, & ſeparando, & ad utilem inſtituendo inanitionem. Cum itaque per febres tertianas continuas, adeoque per ardentes flava bilis in grandioribus venis, ac cordi propinquis computreſcit, magniſque peruritur ardoribus, nemo profecto hanc ita flammeam unquam tuto movit, quin periculum proclive attulerit naſcituræ in viſcere præcipuo inflammationis, aut torminum (quæ Græci δυσεντερίας vocant) aut inſaniæ. Scilicet concitatur humor immaturus, minimeque totus ſequitur, quoniam necdum ſeparatus, aptatuſque ad vacuationem eſt. Siquidem incendio atque fervoris impetu etiamnum indomitus, ac naturæ rebellis eſt. Hujuſmodi permotus incommodis Hippocrates, ſimulque purgantium calore medicamentorum in morbis dixit acutis (quorum fere materiam flava exhibet bilis) & in principiis raro purgare licere. Ergo etiam nos rectiſſime prius bilioſum humorem quam ducimus, ita quibuſdam frigidis materiis temperamus, ut, qui primum calore fervens corpus turbabat, refrigerio miteſcens, ac velut edomitus, naturæ manus det, ut ſic tuto, ſine febris incremento, ſine metu inflammationis, expurgetur. Sed ne commodum ſubinde amittamus extenuationis, quæ certe, cum ad faciliorem purgationem, tum ad meatuum, quibus humor ducetur, apertionem eſt utilis, recte eas adhibemus materias, quæ ſimul refrigerent, ſimul extenuationem, levemque præſtent abſterſionem aſtrictione carentem. Id quod ab ipſo quoque præceptum video Avicenna. Cum in his, inquit, febribus refrigeras, ne id per eas res agas, in quibus aſtrictio ineſt, atque ſiccitas, unde prohiberi materiæ reſolutionem contingit. Utiliter itaque nobis ſumuntur radices boraginis, bugloſſi, cichorii, endiviæ, itemque hordeum, ac ſemina refrigerantia, quæ dicunt majora & minora: quæ omnia, pro partium varietate, non unis prædita viribus, cum refrigeratione abſtergunt, modiceque attenuant. Incoquuntur hæc aquæ, poſtque decocti juſculo adduntur ſerapia, ex endivia, ex cichorio, e ſucco citreorum, vel limoniorum, ipſumque ante omnia ſerapium acetoſum: ex quibus conficiuntur quæ vocant Græci ἀποζέματα, id eſt, decocta, ægriſque bis per diem bibenda dantur. Miſcentur etiam utiliter cum ſerapiis, loco decoctorum, ſtillatitii ex iiſdem ſimplicibus liquores, fiuntque, uti vocant, Zulapia. Verum meminiſſe convenit, decoctis plus ineſſe facultatis, præſertim abſtergentis, diſtillatis autem aquis unicam obtigiſſe refrigerandi vim, abſtergendi nullam, aut certe perexiguam. Ex his, quæ comprehenſa ſunt, omnibus pocula fiunt limpida, quæ prompte in venas proficiſcuntur, exæſtuanteque ibi bilem refrigerio temperant, &, ne quid ea nimii craſſamenti (quod & ad ſeparationem ſui, & ad purgationem inutile eſt) vel horum uſu frigidorum, vel ſua ipſius toſtione contrahat, extenuatione, terſioneque præcavent.

Refellitur Avicennas qui aqua frigida bilem concoqui vult

Quo magis ab Arabe deficio Avicenna, qui crudum fontem ſufficere ad bilem concoquendam cenſet, quique parum intelligit, refrigerare quidem aquam poſſe, extenuare autem humorem, aut meatus, quibus is efferunt, tergere, ac patefacere non poſſe. Quin etiam hæret ea ipſa diu in ventriculo, ut affirmat Hippocrates, neque urinas, neque diffiationem, quæ per cutim fit, promovet; adhæc in calidis corporibus bileſcit, ac ſitim movet. Sed & ipſe ſeſe contradictione confundit Avicennas, qui alias rectius dixit, metum eſſe in aqua frigida, ne inferat obſtructionem

mea-

meatuum. Neque vero nobis refragatur Galenus, cum duo esse ait continuæ febris præcipua remedia : Sanguinis missionem, & frigidæ poculum. Eo enim loco frigidam is author imperat, sub ipsam morbi judicationem, concocta jam tum febris materia, eamque vult non nisi semel magnis haustibus esse bibendam : unde mox pulso foras calore febrili, effusissimus insequitur sudor, vomitiove, vel alvi fluxio biliosa, ipseque his intervenientibus protinus resolvitur morbus. At vero Avicennas toto morbi decursu crudum præscribit fontem, non causa promovendæ judicationis, sed materiam febris concoquendi; id quod magno fieri errore demonstratum est.

Refelluntur alii, qui idem calidis materiis moliuntur.

Nunc iis respondendum, qui contrariam viam secuti, hyssopo, origano, similibusque rebus concoquere bilem studeant. Hi autem ideo falluntur, quod humorem & natura, & putrefactione calidum, materiis calidis extoreant, quemque fructum, extenuata affectant bile, eum, nimis ea exardescente, corrumpant. Itaque hinc febres ingravescunt, vigiliæque, & dolores, & siccitates, & inquietudines, ceteraque symptomata comitantur graviora, ex quibus & ipsa quoque ægrotis vis consumitur, principiaque maximorum dantur periculorum. Nec dubium esse videtur, multos ita curatos, vel contracto marcore, vel gravi orta insania, fuisse periclitatos. Cum vero mulsa, cui incoctum sit hyssopum, Galenus prius utitur, quam bilem purget, non tam humoris id causa facit, quam meatuum, quibus is ipse educetur, obstructorum.

Itemque alii, qui bilem ut purgetur incrassam.

Paulo similior veri, non tamen recta eorum est sententia, qui bili, quo commodius purgetur, crassamentum adjiciunt. Hos certe sputi per tussim expectoratio in errorem conjecit. Scilicet hic, si nimium est tenuis humor, spiritu elidi quia diffluit, non potest; quare ut gravem tussim, ita & penitus siccam facit. Rectaque curatio est, humorem frigidis lentisque delinctibus ita inspissasse, ut ab aere, extra pectus erumpente, intercipi, commodeque efferri possit. Id adeo exemplum, ut in sputo respondet excreando, ita venarum purgandis humoribus accommodari nullo modo potest. Neque enim aere hi incitati a natura vacuantur, sed occulta medicamenti tractrice potentia; eaque in re tanto quidque facilius sequi par est, quanto tenuis, & ad sequelam magis opportunum est. Quod autem tenuia commodius, atque facilius attrahantur crassis, non solum quotidiana rerum docet experientia, sed ex ipsis etiam colligitur medicamentis, quæ mitiora esse debent, cum bilis purganda est; effrænatiora, cum pituita, vel bilis atra. Ex quibus licet colligere omnibus, frustra bilis concoctionem usu inspissantium quæri.

Iique demum, qui ad bilem purgandam nulla opus esse concoctione dicunt.

Supersunt modo hi, qui nulla opus esse concoctione hac universali sumpta, ad purgandum bilem contendunt, utpote natura sua, novæque putredinis ardore fluxibilem. Illi sane bis aberrare videntur : primum, quod humorem incendio fervidissimum furere sinunt, nullo frigidorum usu temperantes; dein, quod extenuationem humoris contemnant, quam semper utilem esse professus sum ad commodiorem purgationem. Atque hic finis esto eorum auxiliorum, quæ principio febris accommodantur. Adeoque tempestivum est, ad ipsum progredi incrementum, quæque fieri in eo debent singula, proponere.

DE

DE CURANDIS FEBRIBUS CONTINUIS,

SECTIO SECUNDA,

Quæ earum continet Incrementum.

CAPUT I.

De Materiæ Purgatione.

Concocta febris acutæ materia, niſi ſi ſponte naturæ abunde pellitur, purgari debet. Verum, qua id fieri moderatione, aut quibus temporibus debeat, non ſat bene inter Profeſſores Artis convenit. Scribit Hippocrates purgantium medicamentorum potiones, in morbis acutis, raras eſſe oportere. Quo magis falluntur qui in his febribus, penitus (ut ſi quid aliud) acutis, vix unum intermittunt diem, quo non ægrum medicamentis, vel per os ſumptis, vel alvo injectis, ſollicitent; quæ res, ut hodie inter triviales illos, naturæ motuum ignaros, eſt uſitatiſſima, ita maxima ſecum pericula trahit. Siquidem vires exhaurit, corpus aſſiduis afflictum ardoribus labefactat, materiam morbi neque concoctam, neque ſeparatam laceſſit, ejuſque maturationem (quæ certe quiete gaudet) impedit, omne denique naturæ inſtitutum, in propulſando morbo, ſubvertit. Atque hinc ſequuntur cruditates, dolores, ſites, inquietudines, vigiliæ, deliria, diſtentiones nervorum, ſingultus, ſimiliaque periculorum plena ſymptomata. Per febres, inquit Celſus, medicamentorum dari potiones, & alvus duci, non niſi raro, debent. Et id non ideo tamen agendum, ut ægri vires convellantur, exiſtimat: quoniam ex imbecillitate ſummum periculum eſt. Quare merito ſunt incuſandi qui hic ita licenter intemperatis vacuationibus in ſalutem ægrotantium graſſantur. Scilicet in ea febre, quæ nono die deſitura eſſet, *ſecundo die, ventrem caſſia, forte etiam concitatius moviſſe, eoque vix dum quieſcente, ſanguinis libram, aut eo amplius miſiſſe; tertio injeciſſe clyſterem; quarto perpurgaſſe; quinto vel ſexto, creſcente febricitatione, iterum ſecuiſſe venam, octavo rurſus purgaſſe*: quid hercle aliud eſt, quam hominem per aſſiduos acutæ febris ignes fatiſcentem perdere. Nimirum haud raro uſu venit, ut poſt hanc excarnificandi libidinem, victis naturæ viribus morbus dominetur, ortoque continuato delirio, & poſt hoc ſopore, ſimulque difficillimo ſpiritu, hominem ante diem decimum quartum tollat.

Notantur iſti, qui multa purgatione in febribus utuntur.

Æque etiam turpiter a multis in purgandi tempore delinquitur. Alii enim

Notantur alii, qui in

purgationis tempore delinquunt.

enim præparationem bilis omnem rejiciunt, primis temporibus purgantes. Alii autem, qui nimirum concoctiones curant, & cruditatem maxime horrent, ipsum arripiunt morbi statum, pauciſſimi declinationem exſpectant. Omnes profecto in errore verſantur. Primi enim præter naturæ faciunt inſtitutum, quæ nunquam recte humores (cum quidem non turgent) niſi concoxerit, pellit. Id quod ſtudioſe ab Hippocrate video fuiſſe obſervatum, qui concocta duci medicamentis, non cruda oportere ſcripſit. Quoniam autem cruditas principia definit morborum, conſtat profecto nunquam ſub his tuto dari medicamentum poſſe. Nec refragatur Aphoriſmus, qui ſic habet: Per principia morborum, ſi quid movendum videtur, move. Nempe, late hic accepto principio, ipſum etiam includitur incrementum. Id adeo apparet ex eo quod a principio protinus ſtatum proponat: In ſtatu, inquiens, quietem habere præſtat. Propriores vero ſunt, qui per vigorem continuæ febris purgant, abſolutis nimirum jam tum concoctionibus. Ceterum in eo falluntur, quod parum curent ſymptomata, quæ eo ſunt tempore graviſſima, quæque quietem, Authore Hippocrate, poſtulant, nullumque medicamenti inſignorem motum ferunt. Prorſus ineptiunt, qui prius declinationem febris univerſalem, quam purgent, exſpectant. Nam gravem morbum in vitam hominis neceſſario ſuſpenſo præſidio, ſævire permittunt, eoque tempore medicinam adhibent, quod, ſi verum habet morbi decrementum, ſemper, ut teſtatur Galenus, periculo caret, quodque corpus materia morbi tantum non omni exoneratum exhibet.

De idoneo purgandi tempore in diverſis febribus.

Verum, ut hanc rem expediam omnem, dicam id quod in totum ſentio de purgandi temporibus, quodque a nemine (uti equidem puto) ſat plene annotatum fuit, multorumque ingenia acerrimis altercationibus inutiliter fatigavit. Per febres omnes natura corruptum humorem ſpatio ſuperare, atque concoquere indeſinenter nititur, in idque opus calorem expedit naturalem, qui in materiam incumbens, alterat eam, ſubigit, ſequeſtrat, & excretioni opportunam facit. Ea excretio non ante incidit, quam illud operis prioris ſit penitus abſolutum, quod concoctionis nomine comprehendimus. Id vero tempus, quo ea fit excretio, ſtatus ægritudinis appellatur. Jam autem, ſi Medicus naturæ, ut ille ait, miniſter eſt, ejuſque per omnia inſiſtere veſtigiis (modo commodis ea ductibus moveat) debet, videtur profecto, non niſi vigentibus morbis, tuto purgare licere. Eſtque illud revera præceptum ſtabile, atque inconcuſſum, niſi aliud quid incidat, quod, cauſa ſecuritatis, mutare hanc purgandi legem univerſalem cogat, ut in febribus contingit (quas modo verſamus) continuis, per quarum ſtatum impetus ſymptomatum purgandi locum tollit. De hiſce nempe febribus acutis ſuum iſtum Hippocrates Aphoriſmum expreſſit. Per principia morborum, ſi quid movendum videtur, move: vigentibus autem, quieſcere multo præſtat. Febribus intermittentibus ad vigorem jam provectis ſuum, tuto licet, quo die intermiſſio eſt, concoctum humorem medicamento tollere, natura jam tum nullis impedita ſymptomatis. In his etenim febribus, quia certus circuitus, & finis integer, & liberaliter, quieta intervalla ſunt, perpetuum eſſe præceptum temporis poteſt. At in continuarum ſtatu, vigiliæ, deliria, ardores, ſites, inquietudines faciunt, quominus liceat his ærumnis afflictam, ac pene ſuccumbentem naturam medicationum irritamentis laceſſere. Ergo fugere iſta tempora, atque purgatione antevertere convenit, & in ipſius incrementi provectiore parte medicamentum dare. Id enim tum neque materia morbi dehortatur, quæ plurima parte maturit, neque ſymptomata impediunt, quæ nondum ſunt ma-

maxima. Scilicet quæ juxta jecur, eique aſſiſtentes venas biliosa, utcumque extenuata, coctaque ſunt, ducta alvo ſubtrahuntur, reliquis intra remotiora contentis vaſa, ac forte nondum prorſus coctis, ipſi relictis naturæ, per proximam ſemel vacuandis judicationem. Commodeque Celſus dixit, minui tantum materiam ſuperantem oportere, quæ naturaliter digeritur, ubi nihil novi accedit. Id quoque ſapuiſſe Avicennas videtur, cum ſic ſcribit: Scito minus noxæ fore, cum reſiduum materiæ, quam neceſſe eſt evacuare, dimittitur, quam cum exquiſitiſſime vacuatur, eoque pervenitur, ut vires periclitentur. Nam ſæpiſſime natura hoc reſolvit reſiduum.

Mitia purgantium medicamentorum genera febribus conveniunt.

Ergo etiam (me judice) ante omnia mite eſſe decet, quod per acutas febres datur, medicamentum, ut ſunt myrobalana, & rhabarbarum, & inter compoſita, electarium ex prunis ſolutivum, itemque e ſucco rosarum, & e pſyllio, ejuſque generis aliis, quæ cum ſero lactis, vel oxyphœnici decocto miſcentur, additaque caſſia, vel manna, vel electario lenitivo, tum etiam ſerapio ex multis confecto roſæ macerationibus, ad formam miſta potionis dantur. Rhabarbarum autem, itemque myrobalana rectius macerantur, quam trita ſumuntur. Sunt autem cauſæ, uti videtur, duæ, cur non liceat acuta in febri effrænatioribus medicamentis uti: primum, quod hæc iſta caleant, vel certe calorem corpore vehementer permoto excitent, ac, conſumptis vitæ ſpiritibus, vires ſupra modum extenuent: ſecundo, quod morbi incremento (in quo certe per has febres purgandum eſſe præcepi) ea ſint inidonea medicamenta, quæ materiam morbi ex toto corpore radicitus extrahunt. Semicruda etenim ea ductum medicamenti non ſine ſumma ſequitur naturæ moleſtia, ac febrilium ardorum incremento. Quinetiam violentiore medicina interrumpitur materiæ inſtituta concoctio, confuſis, qui jam vinci, atque ſeparari a benigno ſanguine cœperant, humoribus. Id, puto, cogitavit Avicennas, cum ſcriberet evacuationem maturitati officere, miſcereque cum benigno malignum, quoniam hoc ipſum concoctionis caſſum moveretur. Adeo vero apparet, non niſi lenibus medicamentis in hoc morbo locum eſſe poſſe, quorum vi non omne perpurgetur corpus, ſed prima ejus regio, itemque ſecundæ ea pars, quæ jecoris convexa, venamque Cavam, atque illi comitem arteriam majorem continet, bilioſa colluvie exoneretur, idque non niſi in ipſo fieri debere poſtremo incremento, cum tolerabilia utcunque ſunt ſymptomata, & quæ lædere videtur materia, tantum non omni parte, concocta.

Ubi efferveſcit materia, quam primum purganda eſt.

Atque hæc quidem purgandi tempora certa ſunt, niſi materia protinus turgere cœperit, id eſt, efferveſcere, ac de loco in locum mobilis rapi. Tum enim quam primum humor, quamvis nondum coctus, Authore Hippocrate, auferri purgatione debet: idque, ne vel in partem delatus principem, lethalem ibi excitet inflammationem, vel repente, ſi venenatus eſt, naturæ calorem opprimens, occidat. Illud quoque ſcire licet, interdum, & declinante febre, iterari purgationem poſſe, cum per imperfectam judicationem natura majorem quidem materiæ partem excluſit, reliquam vero excludere potis non fuit, quæ ipſa jam tum (ne poſt iterum morbum faciat) recte medicamento ducitur. Nam quæ poſt judicationes (ut diligenter obſervat Hippocrates) reliquuntur in morbis, recidivas facere conſueverunt. Adeo vero demiror inconſulta complurium judicia Medicorum, ex quibus cum multi, incipiente morbo, purgent, haud pauci etiam conſiſtente, nonnulli quoque declinante, pauciſſimi tamen ſint, qui incrementi provectiorem partem arripiant. Quaſi certe, data opera, id tempus præterierint, quod ad hanc curationem in acutis febribus eſt aptiſſimum.

Porro

Lenitivum, quovis tempore, poteſt eſſe utile, ſi moderate adhibetur; maximeque alvo injectum.

Porro non loquor hactenus id medicamenti genus, quod paſſim lenitivum appellant, ſine vi, ullave corporis turba, ſordes inſtinorum expurgans. Id enim quibuſvis utile eſt, cum alvus parum reſpondet, morbi temporibus. Datur autem modo per os, modo alvo injicitur. Simpliciſſimum ejus generis propinavit Avicennas, ex aqua hordeacea, & ſerapio acetoſo. Alii ex caſſia parant, vel manna, vel diacatholico, vel electario, uti vocant, lenitivo, vel diapruno ſimplici, cum decocto hordei, aut prunorum, aut oxyphœnici. Clyſter paratur ex malvæ, lactucæ, violarum, mercurialis, & hordei decocto, adjecta caſſia, oleoque violaceo. Haud leve commodum acute febricitantibus ex hujuſmodi accedit alvi ductionibus. Nam ſiccum oletum vacuatur, putredine offendens ſua, ardor febrilis miteſcit, corruptæque bilis colluvies, quæ juxta eſt, eluitur. Verum mitia plane hæc eſſe debent, ſic ut alvum ſemel, aut ad ſummum bis, non amplius, ſi fieri poteſt, moveant. Inutilia penitus ſunt, ubi in tantam evadunt dejectionis frequentiam, ut corpus turbent, naturæque munus, in concoquenda materia, remorentur. Quem errorem indies a multis committi video, qui nullum operæ pretium feciſſe ſe putant, niſi crebris illis dejectionibus, vel quotidie repetitis, ventrem acute febricitantium ſollicitaverint; qua in re ideo periculum vertitur, quod virium inde contrahatur ingens imbecillitas, quæ ut ſemper alias, ita in hiſce continuatis febribus, maxime reformidanda eſt.

Quenam dies, atque hora dando medicamento ſit opportuna.

Proximum nunc eſt, diem, horamque definire, qua utiliter dari medicamentum poſſit. In qua re, haud levis obſervatio eſt. Nam cum in his malis aſſidua ſit febricitatio, neque ante ad integritatem (ἀπυρεξίαν Græci dicunt) perveniatur, quam per judicationem ſemel reſolvatur morbus: quæri non ſine cauſa poteſt, quæ diei tempora opportuniſſima medicinæ ſunt. Ergo genera febrium intueri oportet continuarum, ſintne hæ, vel quotidianæ, vel tertianæ, vel quartanæ, an demum continentes, ſeu ſanguineæ; idque ideo videndum eſt, ut ea ſemper die, eaque hora, medicamentum detur, qua maxime ſeſe febres remittunt, quaque corpus tam integrum eſt, quam maxime eſſe in eo genere valetudinis ſolet. In impetu enim febricitationis, quod datum eſt medicamen, corpus turbat, vires frangit, alvoque ſubinde, uti Celſus ſcribit, continetur, ac regeſtum in caput multo gravius periculum efficit. Jam itaque, ſi quotidiana urget continua, quæ certe breviſſimo remittit tempore, præſtare judicamus, principia medicinæ a miteſcente febre excipi, quam ab invaleſcente. Quod ſi tertiana eſt continua, quæ altero die lenior eſt, altero gravior, dandum medicamentum poſt graviorem eſt. Semper autem graviorem febricitationem exhibent hi dies, qui judicandi vim habent (κριτικὰς Græci vocant.) Itaque tum maxime temperandum quoque a medicamento eſt. In continua etiam quartana, duo medii dies purgationibus ſunt aptiores. Porro, ſi ſic movetur perpetuo continens febris, ut maneat prorſus æqualis, aut ſi majore uſque impetu, ſine ulla inclinatione creſcit, aut paulatim decreſcendo vim amittit ſuam (primam Græci ὁμότονον, alteram ἐπακμαϛικὸν, tertiam παρακμαϛικὸν appellaverunt) arripiendum id fuerit diei tempus, quod natura ſua leviſſimum eſt. Tale matutinum eſſe conſtat, ipſo jam micante diluculo. Quod ſi idipſum, alicujus interventu rei novæ, aut morbi vitio, gravius eſt, poſt mediam noctem utiliter medicamentum datur. Meridies, ipſeque veſper (quantum in ſe eſt) nequaquam purgationibus ſunt opportuna. Adeo ex his apparet comprehenſis omnibus, temporis præceptum, quod intermittendum non eſt, minime perpetuum, in rebus multum differentibus, eſſe poſſe.

CA-

CAPUT II.

Quid a Purgatione agendum, & quomodo fervor acutæ febris temperandus ſit.

DUcta jam ſat abunde alvo, dejectioneque conquieſcente, multi juſculum pulli, aut tepidum hordei decoctum, addito ſaccharo, ægrotis propinant, ut ſcilicet inteſtina, transfluxu bilis ſiccata, humectentur, ſimulque tenuiores medicamenti partes, ſi quæ forte ductibus inhæſere communibus, eluantur. Ea res quamquam magis neceſſaria violentioribus eſt medicinis, tamen hic quoque minime contemni debet, humectationis potius gratia, quam ſumpti medicamenti, quod in acuta febri leve eſſe debere oſtendi. Inſequentibus hinc diebus, donec morbus conſiſtat, ardores in primis febriles (quo minus affligatur natura) mitigare refrigerio convenit, cujus uſus refrigerii ab iis petetur materiis, quæ vel foris incidunt, ut aer, & quæ extrinſecus corpori applicantur, vel intro per os ſumuntur, ut cibi, atque potus, tum alentes, tum medicinales. Poſt purgationem corpus refrigerandum eſt.

Aer itaque, ſi vel temperatus eſt, vel calens, refrigerandus eſt, humi delecto quam maximo conclavi, quod non modo ſitu, ac mediocri perflatione auræ ſit frigidum, ſed & arte reddatur noſtra frigidius, pavimento aqua, cui miſtum ſit acetum, aſperſo, ac vitium capreolis, ſaliciſque frondibus inſtrato. Manibus etiam tractari febricitantium, & vitem, & ſalicem, conducit. Turba item hominum ingredi prohibenda eſt. Ea enim domum quoque calefacit. Nonnulli, Galenum ſecuti, aquam frigidam de vaſis in vaſa transfundunt, quæ res ad ſomnum etiam conciliandum facit. Porro ita refrigeratus aer, ut intro ſpiretur, non ut in corpus incidat, quæritur. Inſpiratus enim cordis temperat incendium: at foris in corporis incumbens habitum, meatus claudit, parumque difflari materiæ febrilis per tranſpirationem ſinit. Cutem enim, denſando ipſe ſibi viam, quo minus ad viſcera penetret, præcludit. Itaque hic ſemper vitandus aer eſt frigidiſſimus, ut qui plus conſtipatione offendat cutis (niſi diligenter homo operimentis integratur) quam cordis profit refrigeratione.

Poſt aerem arte caſtigatum, quædam etiam foris imponuntur (ἐπιθεματα Græci dicunt) cordi potiſſimum, præcordiis, atque jecinori, ubi plurimum ſcilicet fervoris ſubeſſe deprehendetur. Accipiuntur liquores ſtillatitii, roſæ, & bugloſſi, & cardui benedicti, his acetum additur roſaceum; itemque pulveratum ſantalum, corallium, margaritæ, & quod ex his componitur margaritis electarium frigidum, ad hæc momentum ſpodii, ac boli Armenii: fitque miſtis omnibus Epithema, quo pannus madefactus, atque imbutus, modiceque expreſſus admovetur. Subtepidum id medicamentum eſſe decet, ne ſubito frigore meatus claudat, coactoque, atque in corpus retruſo febris calore, partium incendia intermidum, quod decimo libro Methodi medendi proponitur: fitque ex ceræ albæ lotæ parte una, roſacei ex oleo immaturo citra ſalem confecti partibus tribus, aut quatuor: utrumque hoc miſtum duplici in vaſe liquatur, factoque humido cerato, ac poſt refrigerato, miſcetur paulatim in mortario tantum aquæ, quantum in ſe, dum cum ea emollitur, accipere poſſit. Addi etiam momentum tenuis, atque clari aceti poteſt. Aquam autem frigidiſſimam eſſe oportet, & ceratum quam maxime ante refrigeratum, Ephitematis.

quod

quod fiet, cum vas, in quo illud ineſt, in fontem gelidiſſimum dimittitur.

Quando, & in quibus refrigeratio non ſatis tuta eſt,

Scire autem licet, tutius ſemper refrigerationis quæri beneficium intro ſumptis materiis, quam foris admotis, maxime cum plenum corpus nondum vel miſſo ſanguine, vel purgatione fuit exinanitum. Facile enim hic materia, uſu foris refrigerantium, in viſcera magno periculo impellitur, cohibitaque tranſpiratione, occaſio maximæ putredini, maximiſque febricitationibus datur. Itaque tutius ſemper hæc ipſa localia, poſt corporis vacuationem, poſteriore incrementi parte, admoventur, cum gravius ſubeſt incendium, & bona materiæ pars exhauſta eſt. Præcipuus his ipſis eſt locus, cum maximis, ac periculum minantibus ardoribus homo peruritur, qui ardores ſat commode, per ea quæ intro ſumuntur, extingui nequeant, vel quia ſtomachus hæc ipſa reſpuit, vel quia ægri ſumere detrectant. Eadem in corpore admodum extenuato, quoniam viſcera prompte frigido offenduntur, inutilia ſunt. Æque etiam nocent, ubi commodus aliquis emergere ſudor incipit, maximeque per ſtatum judicatorius qui febrem eſſet finiturus. Hic enim uſu foris refrigerantium impeditur.

Cibi, ac pocula optime refrigerant.

Utilis apprime refrigeratio eſt, quæ cibis, ac poculis quæritur refrigerantibus, quorum materiam ſuperioribus locis propoſuimus. Maxime etiam potiones valent medicinales, quæ Zulapia vocantur, ad mitigandam febris acutæ flammam. Accipiuntur ſtillatitii liquores, omnium intybi generum, bugloſſi, violarum, carduique, uti nominant, benedicti: his additur oxyſaccharum, vel ſerapium acetoſum, vel violaceum, vel ex intybo factum, fiuntque potiones refrigeratoriæ clariſſimæ, guſtui atque aſpectui ægrotantium gratæ.

Nimia cavenda eſt refrigeratio.

At meminiſſe convenit, moderationem his aliquam eſſe oportere, ne nimia refrigeratione vel ſtomachum offendamus, vel materiæ remoremur concoctionem, ſecretionem, atque reſolutionem. Proclivius nimiæ frigiditatis periculum eſt in corporibus natura frigidis, in ſtomacho infirmo, in ſene, in hyeme, & in cœlo frigido. Vidi equidem noſtratium complures ita Zulapiis iſtis aſſidue fartos, atque ſaginatos, temeritate Medicorum, alios difficillimo fuiſſe affectos ſingultu, alios, poſt curatam febrim, hydrope conſumptos, omnes certe longa febricitatione, atque difficili fuiſſe impeditos.

CAPUT III.

Quomodo gravioribus Symptomatis acutæ Febris occurrendum ſit.

QUoniam naturæ vis maxime ſymptomatis ſollicitatur, & in hujus imbecillitate ſummum periculum eſt, non ſine cauſa infringere, atque coercere iſtorum impetum ſymptomatum, quantum fieri licet, convenit. Ea autem fere hæc ſunt. Sitis, linguæ aſperitas, tuſſis, ſingultus, appetitus caninus, capitis dolor, vigilia, delirium, ſopor, animi deliquium, vacuatio aliqua præter modum, præterque tempus effuſa.

Sitis remedium.

Sitis pellitur uſu refrigerantium, atque humectantium, quæ ſuperius propoſui. Singulare eſt Zulapium, ac ſaccharum violaceum. Conferunt etiam ſucci pomi limonii, & aurantii, addito ſaccharo, itemque ſuccus medicatus e ribes, ex oxyacantha, & hujuſmodi. Siccata etiam pruna, fonte per-

perfusa, ac macerata, juvant. Illud vero semper servandum, ut ne potitet æger, neve nimium siti crucietur. Qua in re a multis delinqui video, quorum alii indulgenter ægros habent, bibereque ad voluptatem, quantum lubet, sinunt; alii durissimi tortoris vicem exhibent, ne guttulam quidem humoris, tum, cum is necessarius est, concedentes. Prior error ægrotationem longiorem facit, alter ardoris affert incrementa, & corporis liquefactiones, ac vitæ summa pericula.

Faucium linguæque affectuum.

Porro si, cum bibere inutile est, fauces admodum inaruerunt, elui humore possunt. Commodeque Erasistratum dixisse Celsus refert, sæpe inferiore parte humorem non requirente, os & fauces require. Sicca lingua prunis corrigitur, aqua maceratis, atque in ore retentis. Confert os eluere aqua per se, vel cum hordeo cocta. Si viscido humore lingua, tanquam limo onusta, asperatur, aquæ hordeaceæ unciæ quatuor miscentur unicæ aceti mulsi, & sic os colluitur, post linteolo, vel spongia, quæ hunc liquorem acceperunt, lingua repurgatur. Quod si scabrities multa eam occupat, detergere primum penicillo oportet, ex aqua calida, ac dein psylli mucagine ungere.

Tussis.

Porro tussis interdum sicca per acutas febres incidit, arefactis nimium pulmonibus. Eam humectantibus, ac refrigerantibus licet corrigere, ut zulapio violaceo, electario diatragacanthi frigidi, aquâ hordeacea, cui mistum sit saccharum, catapotiis bechicis ore retentis, & hujusmodi. Unde etiam est, pectus foris perungere oleo violaceo, adipeque gallinæ, cum alba cera mistis.

Singultus.

Sigultus autem modo summam sequitur corporis, maximeque ventriculi (cujus is est affectus) siccationem, ab urentissima contractam febri, qui certe lethalis est, & extra omnem posita medicinæ opem, modo ab humore fiat acri, quo ventriculus est imbutus, contra quem casum medicamentum ex aloe factum valet. Non nunquam intemperatum sequitur zulapiorum refrigerantium usum, quomodo affectos, consulta temeritate Medicorum, complures vidimus, idque symptoma, contra omnium opinionem, vini potu sustulimus.

Appetitus canini.

Porro appetitus, qui dicitur caninus, interdum nobis visus est per continuas febres, maximeque per inveteratas incidisse, adeo ut ægri unico subinde prandio integrum devoraverint capum. Gignitur is affectus, cum longæ febris calor corpus nimium resolvit: quo fit, ut avidæ, propter fomitis indigentiam, partes continenter alimentum trahant, cumque ejus tractionis stomachum pulsavit sensus, effrænata excitatur appetentia. Resolvens hic calor, non solum extimis in membris, verum etiam in ipso simul ventriculo subinde deprehenditur, ex quo is intemperanter redditur famelicus. Remedium est corpus foris astringentibus oleis, vel lotionibus, ne nimium diffluat, durasse; ac pingues, lentos, ac frigidos, succi tamen non mali, cibos sumpsisse. Efficaces esse comperi vitulinos pedes, cum semine portulacæ, vel lactucæ, in aqua coctos.

Doloris in capite.

Ceterum, si caput propter febris magnitudinem, aspirantibus eo fervidis halitibus, aut humoribus, dolet, post convenientes corporis exinanitiones, firmandum, ac temperandum est profusione oxyrrhodini, vel olei crudi, cui incoctus sit polygoni succus. Fronti etiam hæc ista panno excepta applicantur, scireque licet, actu quoque frigida ea esse debere, maxime per æstatem; hyeme tepida esse licet, utique, si mitior subest febris. Inter hæc tempora avertere impetu humorum convenit, clysteribus, vinculis, ac frictionibus infernarum partium, quantum per febrem licet, idoneis. Si corruptus in ventriculo humor dolorem capitis vel creat, vel auget, cita vomitione expellendus est. Quod si ex succorum multitudine, aliisve de causis, dolor in caput incidit, ejus protinus cognoscenda,

tollendaque occaſio eſt. Nulla vero curatio capiti debetur, quod, propter inſtantem judicationem permotis ad excretionem humoribus, dolet. Id enim ſalubre potius ſignum, quam ſymptoma fuerit reputandum, eſtque inſeparabilis nota fluxuri per judicationem e naribus ſanguinis, aut vomitionis futuræ.

Vigiliæ. Haud leve tædium a vigilia febricitantibus oritur. Nam, reſolutis ſpiritibus, vires ea conſumit, tandemque inquietudinem, delirium, vitæque periculum affert. Sequitur autem vehementem crebri ſiccitatem a flavæ bilis contractam vaporibus. Itaque iis rebus corrigitur, quæ ſimul humectent, atque frigefaciant. Inter has res pulticula eſt hordeacea, ſeu Ptiſana non colata, adjectis ſeminibus refrigerantibus, tum majoribus (ut vocant) tum minoribus. Non ſæpe autem cubituris, ubi pertinax vigilia inſaniam minatur, ſerapium damus ex albo factum papavere. Quidam ad hanc rem haud incommode tempora, frontem, nares, & interdum pedes quoque oleo nymphææ, vel unguento, quod ex populo fit, imbuunt. Alii papaveris levigant capita, miſtaque cum pane, ac roſaceo, fronti applicant. Nonnulli hyoſcyami, atque menthæ illitis ſuccis ſomnum provocant. Verum ſcire licet, hujuſmodi ſoporiferis cautius utendum eſſe, maxime, ſi caput naturaliter imbecillum eſt, aut humore intus aliquo, qui ſubinde diſtillet, grave. Tutius alii decoctis quibuſdam refrigerantium rerum brachia, atque pedes lavant, eaque re ſomnum conciliari poſſe contendunt; verum hæc iſta ſunto ſubtepida, ne aſcititio calore fervidum incendio corpus turbent, inflammentque. Magnas vires contra vigiliam aer cubiculi refrigeratus habet. Id fit ſole excluſo, ipſoque pavimento aſpergine oxycrati, aut aquæ roſaceæ, cui miſtum ſit acetum, refrigerato. Quin etiam frondibus ſalicis, aut vitis, aut nymphææ, area inſternitur, eademque utiliter manibus tractantur ægrotantium, & per omnem lectuli partem ſparguntur. Sonitus etiam ſcaturientis fontis, ſi quis commodo loco eſſe poſſit, itemque fuſæ perpetuo ſupra pelvim undæ propenſiorem hominem ad ſomnum reddunt. Non alienum etiam eſt, crura manuſque vinculo aliquantiſper excipere, colloquioque amicorum, ac mediocri ſtrepitu vigilem ægrum diſtinere: idque eo tempore facere, quo maxime dormire is & ſolet, & cupit, ac dehinc, ſubito reſolutis vinculis, ſublataque luce, altiſſimæ eum quieti relinquere, ac ſic dormire ſinere.

Delirii. Porro delirium (quod fere pertinax antecedit vigilia) ſi per acutam febrem oritur, grave eſt, præcipue, cum diutius id immoratur. Avertere ad inferiora bilioſos halitus, atque humores caput tum occupantes, tum petentes, oportet, perfrictis ſubinde pedibus, & cucurbitulis primum ſupra nates, dein ſupra ſcapulas defixis, maxime autem injecto clyſterio, quod libram accepit decocti lactucæ, violarum, mercurialis, althææ, hordei, ſeminumque frigidorum, uti vocant, majorum, adiecta caſſiæ uncia, diapruni ſolutivi drachmis admiſtis, quinque, aut ſex, itemque olei violacei unciis tribus, ſaliſque ſcriptulis duobus. Jam vero id delirii genus, quod ſub judicationem, vel per ipſam incidit, ſequens nimirum materiæ mox exituræ permotionem, nulla curatione ſollicitandum eſt, utpote ſuapte ſponte poſt abſolutam vacuationem deſiturum.

Soporis. Graviſſimum eſt, in acuta febre, ſoporem delirio ſuccedere, in quo caſu vix ullum auxilii genus efficax deprehenditur. Quidam hic, magna temeritate, ad validas properant purgationes, quæ imbecillam vim prorſus dejiciunt. Itaque fit, ut jure dicatur homo medicamento periiſſe, quem poſt paulo tollere morbus debeat. Alii galliceos pullos, per medium

dium diſſectos, capiti a vita calentes admovent. Quod utique remedium nequaquam rejicerem, niſi plus trahere materiæ in caput, quam ex eo reſolvere videretur. Rectius (me judice) hi pulli plantis ſubduntur pedum: quoniam ſic efficaciter trahendo materiam a parte ſuperiore revellunt. Itaque poſſunt ea etiam omnia tentari, quæ adverſus dolorem capitis, cauſa averſionis, ſupra propoſui.

Animi defectionis.

Nunc de animi defectione dicam, quæ nunquam ſine gravi metu incidit, maxime, ſi immoderatam ſecuta eſt vacuationem. Tum vinum, aqua frigida dilutum, dari poteſt, niſi ſi vel nimius ex febre ſubeſt calor, vel ingens urget capitis dolor, vel delirium, vel aliqua viſcerum inflammatio internorum. Itaque tum quoque odorari vinum æger poteſt, bibere non poteſt. Frigida quoque aqua utiliter in vultum ſpargitur, itemque nares, ac aures manibus velluntur; os denique ventriculi perfricatur, ac vomitus inſertis in gulam digitis, vel pennis cietur. Vinciri autem manus debent, ſi quid inferiore parte corporis præter modum effunditur, aut pedes, ſi ſuperiore. Cum ſanguis e naribus nimium fluens animi defectum intulit, vel cita alvus, vel copioſus ſudor, ea conferenda præſidia ſunt, quæ mox, ubi de intemperatis agetur vacuationibus, proponam. Interdum impetente, atque rodente ſtomachum bile, deficere anima incipit: quod ſymptoma haud juxta grave eſt. Ejecto enim humore, protinus homo ad ſe redit. Ergo oleum aquæ miſcere convenit, eoque affatim hauſto, vomere. Huic etiam intinctus digitus, & in gulam datus, vomitum, qui, ſumpto hydrelæo, non ſequitur, ciet. Poſt hæc, ſi ſtomachus admodum manet imbecillus, corroborandus eſt, mica panis devorata, quæ mali punici ſucco ſit imbuta, itemque foris admoto cataplaſmate, quod ex palmulis, oleoque cotoneorum conficitur, cui ſuccus etiam intybi, cucurbitæ, uvarumque acerbarum addi poteſt, ſi æſtu aliquo præcipuo ſtomachus uritur. Porro, ubi ita maligna eſt febris, ut animi inferat crebram defectionem, multaque extremorum frigora, validis uti oportet frictionibus, atque vinculis, hominemque nequaquam multum dormire ſinere, nec cibo repleri. Cum ingens propter febris ardorem ſiccitas defectum animi attulit, protinus afferendum humidum, frigidum, coctuque facile, ac ſæpius paucum alimentum: quod quanquam mitioribus temporibus tutius datur, ita tamen, re cogente, mediis etiam febris ardoribus dari poteſt. Utile quoque fuerit, frigidum tum inſpergere, tum potui dare, itemque ægrum ventilabro reficere, atque auræ exponere.

Sanguinis fluxus præter tempus, ac modum.

Nunc de vacuationibus agendum eſt, quæ intempeſtive, ac præter modum incidunt, meritoque ſiſti, ne naturæ perdant vires, debent. Ac primum quidem, ſi ſanguis e naribus fertur, non judicatorie, ſed propter ingentem ſuccorum ebullitionem, cucurbitulæ, averſionis cauſa, oppoſitis corporis locis ſunt affigendæ. Crura item pluribus, ac valentioribus vinculis ſtringenda, homoque collocandus eſt rectus atque ſublimis. Cervices quoque, proximaſque iis partes circumdare linteis oportet, oxycrato, aut ſola frigida imbutis aqua. Id quod tunc minus licenter faciundum eſt, cum imbecillitas capitis, vel diſtillatio, vel angina metum facit. Utiliter intra nares attrahitur aqua frigidiſſima, itemque ſempervivi ſuccus, aut hyoſcyami, cui miſtus ſit bolus Armenius, aliuſve, qui admodum aſtringat, pulvis; ut qui ex balauſtio fit, acacia, cortice mali punici, hypocyſtide, & hujuſmodi. Ad eandem rem quidam ſucco ſtercoris aſinini, aut ipſo pulverato ſtercore, cum ſanguine draconis utuntur.

Ceterum intro ſumenda ſunt, quæ ſanguinem ferventem refrigerio temperent, eumque moderata quadam inſpiſſatione, ne ita ſit fluxilis, cogant. Quales lactucæ ſunt coctæ, itemque ex hordeo ſorbitiones, quibus violæ, ſeminaque lactucæ incocta ſint. Serapium autem violaceum, cum ſucco lactucæ, ac portulacæ ſumptum juvat.

Vomitus. Proximum eſt de vomitu dicere, qui, niſi judicatorius ſit, ſæpe reprimi debet, ac tum maxime, cum, propter ventriculi imbecillitatem, continenter eo bilis influit. Corroborare itaque hanc partem, poſt rejectum humorem, convenit, uſu aſtringentium, tum foris, tum intus adhibitorum, itemque corruptam bilem, ſubdito ſubinde clyſtere, in alvum evertere. Quod ſi humor aliquis in ventriculo gignitur, vomitumque crebrum facit, primum is expellendus eſt, epota aqua tepida cum ſerapio acetoſo, dein ventriculi vitium idoneis materiis corrigendum.

Dejectionis. Jam etiam fluens præter modum alvus multum incommoda febricitantibus eſſe ſolet. Crebro enim deſeſſu, multaque inanitione vires conſumuntur. Quin etiam vigiliæ comitantur, lethaliaque interdum tormina, exulcerante tunicas inteſtinorum bile. Siſtere hanc fluxionem, ſi neque temperata ſit, neque judicatoria, convenit, aqua hordeacea, in qua candens ferrum extinctum ſit, ac poſt decocta ſit pyrola, intybus, plantago, myrtus, aut hujuſmodi. Inutilia ſunt omnia pinguia, atque acida, ipſumque in primis acetum. Aer etiam cubiculi plurimum refrigeratus nocet.

Sudoris. Perſæpe copioſus ſudor, qui judicatorius non eſt, peracute febricitantes magna virium jactura laceſſit, ideoque modis omnibus is eſt comprimendus. Primum denſare, ac refrigerare extimum corpus oportet cubiculi aere refrigerato, virgultis ſalicis, vitium capreolis, ac roſis humo, quæ oxycrato madeat, inſtratis. Perungere quoque oleo corpus, ex myrto, aut roſis facto confert. Quæ ungi debent loca, hæc ſunt, frons, tempora, arteriæ juxta carpum manus, ſpina dorſalis. Cum vero effrænata ſudatio iſtis invicta remediis perſiſtit: Avicennas etiam nivem extremis admovere membris non dubitavit. Nos eaſdem partes frigido fonte perfundimus, aut in eo ipſo diu teneri deberi præcipimus. Abſtergere autem ſæpius ſudorem prorſus inutile eſt, inde enim is ipſe magis fit copioſus. Nullus, qui judicatorius ſit ſudor, ſiſtendus eſt, niſi immoderate fluens vires exhauriat ægrotantis, ex quo animi deliquia conſequantur. Qui per principia febrium acutarum venit, quanquam eſt illaudatus, nequaquam tamen comprimi debet. Copiam enim ſequitur materiæ, cujus ſi, propter ſtipatam cutem, prohiberetur difflatio, majoris putredinis anſam daret.

CAPUT IV.

Quæ Victus ratio per Incrementum Continuæ Febris ſervanda ſit.

Ut vigor morbi ſuſtineri poſſit, in incremento victus liberalior recte datur.

PAulo liberalior victus incremento febris acutæ, quam principio convenit. Nam viribus proſpicere mature oportet, ad ſummum morbi ſuſtinendum vigorem, judicialibus notis, atque ſymptomatis gravem, cui vigori cibus eſt omnis inimicus; qui ideo recte increſcenti morbo tribuitur, quoniam tum ſymptomata haud ita gravia ſunt, ut in ſtatu, neque tanta adeſt virium facultas, vel materiæ cruditas, vel plenitudo, quanta in principio. Siquidem alimentum hæc omnia recuſant, Symptomata

(niſi

(niſi cum evidenti virium periculo ſæviant) materiæ cruditas, vel repletio, virium per morbos robur. Symptomata ſtatui aſſunt: reliqua principio. Itaque commode dixit Hippocrates: Ubi morbi conſiſtunt, graviſſima eſſe omnia: ideoque tum ſubtrahi cibum oportere. Itidemque Celſus principia ſcripſit morborum famem, ac ſitim deſiderare. At vero incrementum, quia notam evidentis exhibet concoctionis, neque corpus æque preſtat plenum, utpote miſſo ſanguine per initia vacuatum, neque prorſus ſymptomatis afflictum, ſummo jure liberaliorem cibum admittit. Quo fit etiam, ut cum principio abſtinentia convenit, hic pocula recte dentur: ubi illic pocula, hic tenues ſorbitiones: ubi illic tenues, hic utiles ſint craſſæ. Meminiſſe tamen convenit, ſub hac craſſiuſcula victus ratione, partiri ſæpius cibum exiguum in multas vices oportere, ut ne is ipſe, ſemel datus, naturam acutiſſimo afflictam morbo gravet. Id quod prudenter monuit Avicennas, novæ illius craſſiuſculi victu ſucurrendum eſſe partitione, ita nimirum naturam melius tolerare. Scire autem licet, eo ſemper magis extenuari cibum decere, quo propius acceditur ad ſtatum, occaſione ſymptomatum alimenta reſpuentium, quæ ſymptomata, increſcente ad vigorem morbo, ſemper creſcunt.

DE CURANDIS FEBRIBUS CONTINUIS,

SECTIO TERTIA,

Quæ earum complectitur Statum.

CAPUT I.

De Vacuationibus Judicatoriis.

In ſtatu Febris, adjuvanda eſt natura: attendendum autem quibus ea viis morbus expellere moliatur.

OMnibus, ita uti præcepi, diligenter per febris principium, incrementumque proviſis, ubi ad ſtatum ventum eſt, videre in primis oportet, quibus natura viis corruptum humorem pellere inſtituat, eamque convenit parum firmam juvare. Neque vero reclamat, quod Hippocrates ſcribit. Quæ judicantur, vel judicata ſunt integre, ea nullis medicamentis aliiſve irritationibus laceſſenda, ſed ſinenda eſſe. Scilicet hic non laceſſimus, ſed quo materia vergit, eo leniter impellimus, laborantique naturæ tanquam manus auxiliares damus, rebus uſi moderatioribus, nec quidquam naturæ opus, more purgantium medicamentorum, turbantibus. Ut enim naturam recte omnia per ſe abſolventem attingere neceſſe non eſt, ita fas eſt, laborantem, conatuque vacuantem difficiliore adjutare; id quod in noſtro potiſſimum cœlo obſervandum eſt frigidiore, ſub quo judicationes lentius, imperfectiuſque procedunt.

Quomodo ſanguinis e naribus fluxus promoveri poſſit ejuſque profluxuri ſigna.

Ergo etiam ſi profluxurus e naribus eſt Sanguis, id quod interdum fit, promovere hunc, ſetis intra nares datis, licet. Fluxuri Sanguinis hæ notæ ſunt. Quidam veluti ſplendores obſervari viſui incipiunt, cum oculorum quadam habetudine, atque lacrymis. Ipſæ quoque malæ, atque nares rubent, aureſque obſurdeſcunt: hypochondria ſine dolore intenduntur: ſpiritus difficulter trahi repente incipit: caputque inſolito, pulſante, atque diſtendente affectum dolore, exardeſcit. Nares quoque, ſanguine jamjam fluxuro, pruriunt. Frequens eſt hæc vacuatio viſcerum inflammationibus internorum, febribus autem ſimplicibus non item.

Quomodo Vomitus provocandus eſt; quæque eum antecedunt ſigna.

Porro, ſi Vomitu materia excludi velle videtur, iſque haud prompte ſequitur; provocantibus etiam eſt, atque incitandus, pingui digito intra gulam dato, aut certe hordei epoto decocto, quod olei, atque ſerapii acetoſi bonam partem accepit. Inutilia ſunt effrænata vomitoria, quoniam ventriculum labefactant, nimiaque corporis agitatione mobilem humorem inflammant, atque febrem augent. Vomitionem hæc antecedunt. Stomachi morſus, capitis dolor, vertigo, tenebroſa oculis objeta ſimulacra, nauſea, labii inferioris tremor, ſaliva multa tenuiſque ex ore defluens.

Ubi

Quomodo Urinę cieri poſſint, & purgationis per Veſicam fututæ ſigna.

Ubi cum Urinis materia morbi effluet (id quod per continuas febres interdum incidit) medicamentis has cientibus utendum eſt. Longi enim hi, anguſtioreſque itineris ductus omnino opem hanc Urinariam poſtulant. Quapropter potui datur calens hordei decoctum, cui ſemina incocta ſunt melonum, & petroſelini radix. Purgari autem incipere humorem per veſicam, ex eo conſtat, quod ceterarum corporis vacuationum judicia nulla ſint, ſola autem ſæpius reddi urina multa, craſſaque cernitur.

Si per dejectionem Criſis fit, a medicamentis temperandum eſt.

Ceterum ſi in alvum propenſus humor dejectione reddi cœpit, temperandum profecto ab omni medicamento purgante eſt, primum, quod id adeo neceſſarium non ſit, quoniam hæc itinera inteſtinorum ita late patent, ut commode his perpurgari materia ſponte naturæ poſſit; dein, quia Hippocrates quoque præcepit, per acutæ febris vigorem, penitus a medicationibus eſſe temperandum, ut quæ vi, atque calore, tum proprio, tum eo, quem propter corporis excitant turbationem, hominem debilitant, incenduntque. Quin etiam, per medicamentum incitata nimium vacuatione, probos etiam exire ſuccos contingit, diſſiparique præter modum ſpiritus vitales, qua ex re quantum periculo ſit, ſatis appareret, utique in eo corpore, quod aſſiduo, acutiſſimoque exercitum morbo, vix vires conſervavit ſuas. Ut ne dicam interea metum lethalium torminum (δυσεντερίας Græci vocant) quæ ex medicamento, in ventrem bilioſum fluentem dato, haud difficillime naſci conſuevere. Adeo vero conſtat, ut nunquam per vigorem febris acutæ, ita minime perfluente etiam jam tum alvo, medicamentorum dari potiones licere. Quod ſi parum ſufficienter (quod ſæpe ſub noſtri cœli incidit tractu) natura humorem excluſit, id quidem non in ſtatu, ſed ipſa in declinatione, corrigi purgationibus debet.

Sudorum imminentium ſigna, & quomodo promovendi ſint, & coercendi.

Nunc de judicatoriis Sudoribus dicam, qui cunctis febribus, ac præcipue acutis ſunt propriiſſimi. Hos jamjam imminentes aliquis antecedit rigor, nunquam ante per totum animadverſus morbum. Simul etiam tum veſica, acque alvus parum reddunt: ipſaque increſcens febricitatio delirium ingens movet. Adhæc extimæ corporis partes magis calent, magiſque rubent, & ex his calidus, & inſolitus quidam vapor emergit. Ipſe arteriarum pulſus undoſus eſt, & inſigniter mollis. Sudores autem jam ortos tantiſper excipere, donec ſat multi promanaverint, convenit, & promovere etiam parum fluentes fotu tegumentorum mediocri, calido clyſtere, quiete, ipſoque, ſi fieri poteſt, ſomno. Eoſdem etiam, ſi ſubinde tepefacto linteo abſterges, adjuvas. Alius enim alium abſterſus provocat. Si nimius Sudor eſt, protinus cohibendus eſt, ne periculum incidat animi deficientis. Ita corpus, operimentis partim demptis, partim ſublevatis, exoneratur, reficiturque ad mediocris refrigerii temperamentum. Nudare quoque brachia, ac pedes utile eſt, totumque cubile ſuſpenſis vitis, aut ſalicis frondibus adornare, ac modis omnibus, uti ſuperius præcepi, aerem ægro circumfuſum frigidiorem facere. Facies quoque recte permadeſcit ſpongia poſcæ plena; inutile eſt ſudorem ſæpius abſtergere, relictus enim, ac foris in cute refrigeratus, ejus obſtruit ſpiracula, exitumque ſecuturi novi ſudoris impedit. Cibus autem tum ægro detur ſiccior, viteturque potio multa, & creber clyſteriorum uſus. Et quidem, ſi vires permittunt, geſtari etiam homo in loco ſubfrigido poteſt.

Quid agendum ſit poſt Criſin.

Finitis Sudationibus, ubi jam venæ penitus conquieverunt, integerque ſine febre redditus homo eſt, aut tantum ſane, quantum minimum poteſt, febricitat, refici alimento humido, boni ſucci, ac mediocris materiæ debent, atque hinc duabus, tribuſve interpoſitis horis, ſommo ſe dare. Sunt nempe hæc efficaciſſi-

ciſſima contractæ ariditatis remedia, & debilium adjumenta virium, quæ ſub aſſidua ægrotatione afflictæ, ac pene oppreſſæ fuere. Quæ etiam præceptio, poſt alias judicatorias inanitiones, ſervanda eſt.

Quid agendum, ſi nulla ſit Criſis.

Porro, ut optatiſſimum eſt hæc genera vacuationum ex voto incipere, atque abſolvi: ita non uſquequaque perpetuum eſt. Natura enim, etſi humorem concoctione vicit, haud æque tamen facile expellit. Concoctio namque multo perficitur tempore; expulſio, breviſſimo: unde fit, ut quæ illic vis hominis valuit, hic laboret, adjumentumque, tamquam exordium vacuationis, arte præſtitum noſtra, requirat. Id adjumentum in aqua poſitum eſt frigida, maxime ad vomitus, dejectionis, atque ſudoris provocationem. Quæ res quomodo fiat, jam nunc proponetur.

CAPUT II.

De Aquæ frigidæ potione.

Varii in exhibenda frigida errores recenſentur.

VEntum nunc eſt ad frigidæ poculum, quod quidem Galenus alterum eſſe ſcripſit ex præcipuis continentium febrium remediis. Id alii aliis modis, atque temporibus exhibent, nec parum multi ex toto prætereunt. Quid quiſque erraverit, & quis verus ſit Frigidæ bibendæ uſus, proponam. Avicennas adverſus ſitim, ac materiæ bilioſæ concoctionem, continenter eſſe bibendam frigidam, toto morbi decurſu, jubet. Id jure, ut vanum, nobis licet repudiare. Cruda enim aqua maturationi officit humorum, ideoque non recte dari, niſi in ſtatu, qui abſolutam exhibet concoctionem, poteſt. Alii in ipſo quoque modo exhibendi, non ſolum in tempore peccant. Scilicet paucis ſæpe portionibus aquam potui dant: vim nimirum frigidi fontis, ne quid is intus lædat, veriti. Næ iſti hac re parum proficiunt in temperanda febris acutæ flamma; quin potius eam accedunt, ſuperata aqua caloribus, & in horum, ut ſic dixerim, converſa alimentum. Neque enim ſine cauſa Hippocrates dixit, in corporibus calore eſtuantibus bileſcere aquam ſolere, ac majorem ſitim facere. Quæ profecto res eo eſt proclivior, quo paucior aqua maximis ignibus facilius ſuperatur. Timidiores his ſunt, qui aquam omnem rejiciunt (ψυχροφόβους Galenus vocat) cruditatem horrentes, ac principum offenſam viſcerum. Primum, hi ingrati eſſe in rerum videntur naturam, quæ efficax, quod ipſi prætereunt, remedium adverſus humanæ vitæ inimiciſſimum morbum ſuppeditavit. Dein, inepte meticuloſi ſunt, quoniam parum vident, nihil læſionis ab aqua oriri frigida viſceribus poſſe, ceu maximo occupatis ardore, qui vim frigidi æquet elementi, aut certe ita ab eo vincatur, ut hujus tamen robur, facultatemque refrigerandi ſimul fregerit; neque tam victus eſſe a gelida aqua dicatur, quam ſimul cum ea, dum contrariis pugnabatur viribus, concidiſſe, atque periſſe.

Refelluntur aliquæ in eadem re Authorum opiniones.

Quoniam ergo ſalutare illud aquæ frigidæ præſidium negligendum per acutas febres non eſt certumque videtur Galeni placitum, duo in his morbis eſſe maxima remedia, miſſionem ſanguinis, & aquæ frigidæ potum; tum etiam, ſanguine per initia non miſſo, quia unicum, quod reſtet, auxilium in aqua is Auctor ponit frigida, operæ pretium me facturum putavi, ſi ejus legitimum uſum, atque effectum omnem proponerem. Aqua frigida eſt, atque humida, partiumque craſſarum. Ea itaque, cum intro

ſumi-

ſumitur: difficulter concoquitur, diuque in ventre, antequam per corpus digeretur, inhæreſcit. Quare neque incidit quidquam, neque terget, ſed neque alvum ducit, neque urinam ciet, aut tranſpirationem, quæ per cutem fit, impellit. Hæc cum aqua habeat, videtur profecto pro materia concoquenda dari nunquam poſſe; adeoque nullum locum, incipientibus, increſcentibuſque febribus, habere. Neque enim refrigerii cauſa (ſi non ob materiæ concoctionem) tum recte frigida datur; quoniam hic refrigerationis fructus melius ab iis petitur rebus, quæ ſimul refrigerent, ſimul incidant, ac meatus abſtergendo aperiant, quales ſuperioribus locis propoſui. Quin etiam ne refrigerare quidem aqua, exiguis data portionibus, poteſt, ut quæ protinus a calore vincitur, & in ejus tum vertitur fomitem. At vero affatim ſæpe multum frigidi fontis, comprehenſis temporibus, aliquis infundet, & ſic calorem febris ſuperabit. Næ ille parum intelligit, qualecumque forſan refrigerium viſceribus ſeſe præſtare; verum materiam morbi incraſſando, atque intus includendo, longe facere concoctioni rebelliorem, itemque meatus, quibus ea tandem vacuari debeat, obſtruere; ad hæc, urinas, dejectiones, atque corporis cœca ſpiracula aſtringere, totum deque morbum, inducta cruditate, pejorem, longioremque facere. Recte enim Hippocrates judicavit, tardam morbi ſolutionem lentis concoctionibus ſignificari. Itaque mirum non eſt, in exitii diſcrimine verſari eum, qui diu, aſſidueque ab atroci morbo pulſatur. Et quanquam, propter pollentes vires, interdum febris non accidit, ſed utcunque forſan ſegneſcit, longa tamen, dubiaque ægrotationis tædia, quæ vel ad quadrageſimum etiam durent diem, acquirit. Quo magis improbanda eſt Razis ſententia, qui nunquam deſiſtere bebere ægrum ab uſu aquæ frigidæ ſcribit, eamque bibendi licentiam, quamquam judicationes remorantem, longe tamen cenſet eſſe abſtinentia tutiorem. Id vero ſeſe exprimento ait comperiſſe, plures ſervatos eſſe qui biberint, quam qui abſtinuerint. Ego vero haud tanti puto Arabis experimentum, exemplis nixum parum fidis, quanti duco Hippocratis, Galeni, Æginetæ, Ætii, Tralliani, Celſi, ſimiliumque virorum, ratione, veroque uſu comprobatam ſententiam. Omittere, inquit idem Razes, extinctionem, eſt proculdubio ſinere ægrum ad mortem tendere. Atqui, o bone, ea extinctio tutius per ea perficitur, quæ præter quam quod efficaciter refrigerant, ad materiæ faciunt etiam concoctionem, inciſione, atque abſterſione, quarum utraque frigidæ aquæ deeſt. Jam vero ſæpius hæc ipſa per totum morbum ſumpta Frigida, non ſolum maturationi officit materiæ; verum etiam ita naturæ fit familiaris, ut in vigore minus efficaciter agere poſſit; cum, uti mox oſtendetur, liberaliter potari, ut humorem impellat ad excretionem, debeat. At enim, dicet aliquis, ingeſta affatim aqua ſudores moveri poſſe, vel incipiente etiam, increſcenteve febre: pulſo nimirum verſus extrema corporis, propter frigidæ occurrentis impetum, colore, ejuſque ſubjecta ſimul ſequente materia. Atqui id cogere penitus eſt naturam invitam ad humoris expulſionem nondum cocti, aut ſeparati. Quæ res, ut longe abeſt ab ejuſdem inſtituto naturæ (quæ ſuapte ſponte nunquam quidquam, ſi concoxerit, movet) ita adeo non reſpondebit, ut contra potius cuncta ſiſti contingat corporis effluvia, cœptamque tardari concoctionem, atque univerſum denique naturæ opus interturbari.

Quid ergo? Quibus demum febris continuæ temporibus, & in quem finem propinanda frigida aqua eſt? Id vero jam nunc ſic expediam, ut doctis hominibus debeam, niſi fallor, videri ſatisfeciſſe. Quoniam cruditatem Frigida adauget, Danda eſt in ipſo vigore morbi frigida.

auget, principio, incrementoque febrium inutilis est. Nam, iis temporibus, nondum absoluta maturitas humori accessit. Sed ne declinatio quidem exigere Frigidam ullo jure potest, cum morbi exhausta est materia, ac viscera, ægritudine debilia, neque ingentibus amplius affecta, munitaque ardoribus, frigidi fontis occursu haud difficillime læduntur. Itaque unicum supereſt, quo dari utiliter aqua possit, vigoris tempus, non quidem causa concoctioni promovendæ, quæ tum absoluta est, &, ut minime sit, juvari tamen a Frigida nequit; sed ut hæc ipsa Frigida principium faciat alicujus judicatoriæ vacuationis, cum vomitus, atque dejectioni, tum maxime sudoris.

Ut concocta materia excerni posset.

Quod si ita sit, videtur profecto tum danda aqua esse, cum maxime materia concocta est, in ipso scilicet ægritudinis statu: minime autem, vel principio, vel incremento convenire, quod tum nequaquam tuto pelli humor (quoniam concoctione caret) vel a natura, vel ab arte possit. In exhibenda, inquit Ætius, Frigida, cavere principium, atque incrementum febris oportet, sed totius morbi, particulariſque exacerbationis vigorem deligere. Siquidem eum vigoris articulum judico Frigidæ idoneum potandæ, qui febrem, ebullitionem, sitim, inquietudinem, cordis, arteriarumque pulsationem, omnia exhibet vehementissima. Ita enim minus læduntur frigido viscera, & acrior fit inter febrem, aquamque gelidam pugna; unde certior, pleniorque post insequitur vacuatio. Ergo etiam quo hæc ista fiant facilius, atque impensius, provocare etiam bibendi cupiditatem oportet, ut, cum æger admodum exarserit, aviduſque ostensum pellucido in vase fontem concupiverit, eo primum aliquantisper denegato, donec anhelus toto corpore, totoque animo in aquam inhiaverit, tandem, quantum haurire fontis volet, permittatur, ad ipsam usque satietatem. Post hæc, si venter fluere cœpit, aut vomitus erumpere, excipere convenit. Dein, stragulis diligenter intecto corpore, sudor oritur, qui semper, donec abunde fluxerit, abstergendus est.

Ratio, cur Frigida vacuationes promoveat.

Jam autem quæ ratio sit vacuationis hujus, a gelido fonte introductæ, dicere non alienum est. Cum febris vigorem adepta est suum, sicuti materia, quæ lædit, concocta est, ita symptoma sunt graviſſima. Vehementes dico corporis exustiones, capitis dolores, sites, vigilias, deliria, inquietudines, & hujusmodi. His ærumnis supra modum afflicta natura pulsatur, atque distrahitur, adeo ut subinde non commode auspicari judicationem possit. Quin etiam interdum hujusmodi succumbit assultibus, cum viscera caloribus usta immodicis, munus, roburque amittunt suum: ipseque furens humor mobilis, atque ad vacuationem paratus, cum dirigi ad commodum exitum a natura, tot, tantisque symptomatis exercita, ac pene victa, haud satis commode potest, impetum sæpe in principem partem facit, ac mortis causam præbet. Ut eo quoque nomine Hippocrates judicaverit, in morbis acutis, non esse omnino certas salutis, vel exitii notas. Ergo etiam, ut hujusmodi pravos humoris cocti, & ad exeundum parati, impetus præcaveamus, simul, ut undique afflictæ naturæ, dato bonæ vacuationis exordio, salutarem opem præstemus, utile fuerit frigidissimum fontem maxima copia ingerere, cujus appulsu hæc oriuntur commoda. Viscera ardentissimæ febris tosta caloribus, temperamentum refrigerii sine noxa accipiunt, eoque modo nativus solidarum partium calor, recreatus novis jam quibusdam viribus, peccantem humorem aggreditur ad expellendum. Qua re accidit, ut protinus is humor, jam tum coctus, & evacuationi opportunus, vomitu, vel alvi dejectione, maximeque sudationibus affatim excludatur. Ad quem naturæ

motum

motum haud parum etiam juvat Frigidæ vis, quæ naturaliter calorem pellit, fugatque. Avicennas, etsi hæc ipsa parum intellexit, usu tamen comperit certo, scripsitque, frigidam aquam, consentientibus reliquis, rem optimam adversus has febres esse: eamque sæpe ad materiæ expulsionem juvare, cum solutione, ut ejus loquitur interpres, naturæ per vomitum, alvi ductionem, aut sudores. Scire autem licet, modo aliam, atque aliam vacuationem solam, modo duas, & non raro omnes simul contingere. Vomitum dico, dejectionem, sudores. Curavi equidem hac via ægros haud sane paucos, qui, cum ad statum perveniſſet continuæ febris, ac summa siti, summisque ardoribus afflictarentur, rogati biberene cupiant, ostensum (quo crescerent bibendi desideria) fontem, ipsi in lympham intentissimi, ubi semel, atque iterum, ad libras tres, quatuorve, avide hausissent, paulo post dejicere, vel evomere cœperunt flavissimam cum epota aqua bilem. Post quæ reclinati, ac probe operti, mox uberrimis sudoribus, totas noctes, vel etiam altissime dormientes, defluxerunt, quibus finitis, omnem in posterum amiserunt febricitationem. Adeo vero apparet, frigidam aquam, ut potum medicinalem, semel dari oportere, non item, ut Arabes profitentur, tum adversus sitim, tum ad bilis concoctionem, quotidianæ vice potionis, frequenter sumi licere.

CAPUT III.

Quæ observationes bibentibus Frigidam sint necessariæ.

FRigidam dare acute febricitantibus, pene vulgatum est: verum commodis id temporibus, & corporibus, & modis dare, haud juxta proclive. Magni ea operi res est, summamque postulat observationem. Bibiturus itaque frigidam, non ante id facere potest, quam ipsa febris, concocto humore, vacuationique idoneo, ad statum accesserit suum: jamque ipse homo, maximis affectus caloribus, summaque siti, die judicatorio, summum febricitationis impetum experitur. Scilicet tum maxime a natura oppugnatur humor, sollicitaturque ad excretionem, quem naturæ conatum ipsa adjutans Frigida vacuationis felicis dat principium. Minime etiam per hæc tempora Frigidæ vis, ut ne quid intus lædat, metuenda est: viscеribus nimirum febrili ardore exæstuantibus, qui ardor, tanquam propugnaculum, contrario occurrens elemento, impetum ejus omnem debilitat. Quantum enim, inquit Galenus, calor a frigore patitur refrigeratus, tantum rursus calefaciendo in ipsum agit. Jam vero ea copia bibi aqua debet, qua potis sit calorem febris superare, materiamque morbi, una cum naturæ ope, extra corpus fugare, atque propellere. Itaque iterare etiam, eo tempore, Frigidæ haustum licet, atque ægrum, ut Galenus docet, quantum libet, potare finere, donec notam exhibeat verisimilem alicujus futuræ vacuationis. Si minus ejus, quam oportuit, bibitur, calore id vincitur febrili, & ad morbum addit. Sin vero plus justo sumitur, labefactat nimio refrigerio, tum ventriculum, tum jecur. Quare moderari ejus modum oportet, prout corpus est, & morbi magnitudo. Scilicet cujusque mensura remedii, quia nec dici, ut ille ait, nec scribi potest, Medicinam nostram maxime conjecturalem facit. Quidam quatuor aquæ libras porrigunt. Alii tantisper bibere hominem sinunt, donec refrigescat, ac tremat. Ego vero modum ejus censeo temperandum, pro-

Qua mensura exhiberi debeat Frigida.

pro cujuſque ægri natura, atque febris vehementia. Fere tamen ea, ſi adjutura eſt, bibi ad ſatietatem debet.

Quænam rebibendæ Frigidę fiduciam addant.

Scire autem licet, quædam interdum incidere, quæ fiduciam addant Frigidæ liberaliter bibendæ, quædam etiam, quæ, vel cautius parciuſque bibendam eſſe, vel omnino non bibendum doceant. Fiduciam addunt, febris admodum urens; ætas juvenilis; corpus boni habitus, firmorumque viſcerum; atque his (ut fere fit) junctæ vires; æſtas media; conſuetudo. Ingens febris ardor, ſine noxa, Frigidæ impetum ſuſtinet. Juvenibus firmum obtigit robur, quod reſiſtere, ac reſpondere frigidi fontis (ne quid is officiat) occurſui poſſit, maxime, ſi corporis quoque bene habiti viſcera ſanguine, carnibuſque abunde munita ſunt. Itaque vires quoque adeſſe par eſt, valentemque naturæ calorem, ne quid, propter hujus impotentiam, frigida aqua intus violet. Sed &, quo impenſius frangi vis aquæ poſſit, æſtas facit: quæ, ſupra morbi ardorem, ſuos quoque æſtus ingerit in corpus, refrigerio fontis temperandum. Quod ſi, præter hæc, etiam aſſuetus Frigidæ, per ſecundam valetudinem, æger fuit: confidenter eam ipſam bibet, experientia alias doctus gelidi occurſum elementi familiariter viſcera tolerare. Scilicet, ſi ſine offenſione aquam frigidam ſanus, ac temperatus bibit, quanto magis id futurum eſt, ubi is ipſe maximis caloribus intus foriſque tantum non extorretur, cum calores præcipuum munimentum viſceribus contra Frigidam præſtant. Meminiſſe etiam convenit, ita aſſuetis plus bibendum aquæ, quam aliis hominibus eſſe, quo efficacior ſequatur actio, quæ ſemper, inter res familiares, ac conſuetas, imbecillior eſt. Itaque, quod conſuetudo detrahit, id copia fontis penſandum eſt.

Quænam eam periculoſam faciant.

Proximum videatur ea proponere, quæ gelidam potionem vel periculoſam faciunt, vel omnino dehortantur. Obſtructio humoris putridi nondum concocti: tumor, dolorque in viſcere præcipuo: partis momentaneæ imbecillitas, maximeque, ventriculi, jecinoris, atque lienis: corporis habitus nimium tenuis infirmæ vires. Quod cruditati humoris putris, atque obſtructioni adverſetur aqua frigida, ex ejus apparet viribus, quas ſupra fuſe expreſſimus. Scilicet cruda ea eſt, hærenſque in via, omnia cogit, ſiſtitque corporis effluvia. Itaque prohibet etiam, ne corruptus humor, obſtructis venis, concoqui a natura, aut ſegregari a benigno commode poſſit. Quare recte Galenus vetuit, quibus obſtructio, putriduſve humor non concoctus incommodat, iis ne aqua frigida potui detur. Ergo exſpectare concoctionem oportet, maximeque in Synochis, ex multo, ac craſſiuſculo natis ſanguine, cum reſeratis, terſiſque meatibus, putris humor victus, ac ſeparatus excretioni patet.

Quænam eam poſtulare videantur.

Quanquam in febribus ſupra modum ardentibus, ac corpus eliquantibus, neceſſitas interdum cogit, per principia morbi, incrementaque, Frigidam propinare; ut temperamentum ardori, quod maximus eſt, præſtetur: utque materia morbi refrigeſcens minus furere, ac torrere hominem incipiat, meliuſque, ac citius idonea vacuatione expellatur. Quod ſi propter incendium craſſiuſcula bilis eſt; tum quidem, ut ſumpta Frigida morbus producitur, ita periculoſæ exuſtionis retunditur impetus. Eſtque hæc extraordinaria, atque coacta Frigidæ propinatio ad exitii avertendum metum. Id ita ſæpe feliciter reſpondiſſe Averroes teſtatur: præſtabiliuſque eſſe cenſet, febrem lentam, longamque frigido poculo facere, quæ curari poſſit: quam ægrum ardore, magnitudineque morbi ſuperari ſinere. Idem ſic expreſſit Avicennas: Si quando timetur malitia caliditatis, ac ſitis, ut verearis ſecuturam inde marcidam ariditatem, atque con-

conſumptionem, ne prohibeas aquam frigidam. Cruditas enim optatior marcore eſt: qui ſubito incumbens, liquefacto ardoribus corpore, hominem conſumit. Galenus quoque hujuſmodi ægris Frigidam per initia porrigebat, ante Ptiſanæ cremore nutritis, idque ne in Hecticam inciderent. Extincta enim flamma, rejectaque flaviſſima bile, ſæpe malum cedit. Tanti vero periculum is Author talium febrium fecit, ut, ſi inflammatio etiam adſit alia (φλεγμονὴν Græci nominant) nihilo minus tamen aquam frigidam, quæ huic eſt inimiciſſima, præbeat; præſtare ratus, inflammationem in præſens augere, quam hominem ſinere in hecticam febrem incurrere. Verum id ſcire convenit, rariſſime noſtratibus hujuſmodi febres, ex tenuiſſima, ac ſincera bile vehementer incenſas, ac liquefactivas, accidere; quoniam, propter naturæ temperamentum, cœlique, ac victus rationem, bona pituitæ pars bili miſcetur, unde febres naſcuntur minus acres. Græciam vero incolentibus, multoque magis Arabiam, propter contrarias cauſas eadem genera febrium ſunt frequentia; ideoque plus hic licentiæ bibendi Frigidam tribui poteſt. Craſſamentum enim, quod hinc materiæ conciliatur, non modo non nocet, verum etiam, propter bilis tenuiſſimæ mobilitatem, maxime conducit. Quæ ſola res Avicennæ, Razis, atque Averrois confirmare ſententiam poteſt, qui eo nomine in exhibenda Frigida Græcis fuere indulgentiores.

Febribus intermittentibus Frigidæ potus nunquam convenit.

Atque hactenus de febribus loquor continuis, non autem de intermittentibus: maxime, ſi has craſſus, aut tenax humorum creat. Si quidem iis, nullo nunquam tempore, commodare frigida aqua poteſt: eo quod craſſa materia, quantumvis concocta, neque prompte, neque tuto poſſit impetu frigidæ ad excretionem impelli. Facile etiam viſcera, haud tantis, ut acuta in febri, ardoribus occupata, propter occurſum gelidi fontis violantur. Et ipſa alioqui febris materia, ut modo dixi, non cedit, ſed purgationibus, aliiſque auxiliis efficacioribus, ut vacuetur, opus habet. Itaque commode dixiſſe video Galenum: Aquam frigidam ipſius febris, prout febris eſt, ſemper eſſe remedium; quod vero ad alia ſpectat, non ſemper: veluti, cum ex obſtructione tenacis, vel craſſi humoris, putredo oritur.

Neque viſcerum tumoribus.

Nunc de tumoribus dicam viſceris alicujus præcipui, qui uſum Frigidæ omnem dehortantur: utique ſi ſchirrus ſit, aut phlegmone, aut œdema. Nam eryſipelas, inquit Galenus, quod quidem genuinum ſit, non aliter ſanaveris. Si ſchirrus ſubeſt, in jecore potiſſimum, atque in liene, ſumpta Frigida, additur ad morbum; quia obſtruit ea magis, ac refrigerando rebelliorem duritiem facit. In phlegmone autem, ipſa quoque impeditur maturatio, parumque reſolvi ab inflammato viſcere, cum Frigida datur, poteſt. OEdema etiam Frigida lædi dubium non eſt; quoniam morbus, ejuſque cauſa cum Frigidæ conſentiunt qualitatibus.

Imbecillitas partis momentaneæ Frigidam raro adhiberi ſinit.

Sequitur partis internæ, quæ quidem momentanea ſit, imbecillitas, quæ periculoſum Frigidæ poculum facit. Aliis enim gula Frigida ita læſa fuit, ut vix deglutiret; aliis ventriculus ſubfrigidus, & imbecillus, gravem ſingultum contraxit, maximeque ea uti non ſolitis. Nonnullis jecur, aut colon, aut pulmo, aut ſeptum tranſverſum gravem offenſam ſenſerunt. Quibuſdam, læſo genere nervorum, repente poſt Frigidæ poculum, difficultas ſpirandi, & diſtentia nervorum, & tremor acciderunt. Verum meminiſſe convenit, hæc incommoda, etſi formidabilem aquam reddunt, nequaquam tamen eam ſemper per acutarum vigorem febrium prorſus poſſe dehortari. Præſtat enim interdum, epota Frigida, infirmam partem facere aliquam, ſimulque hominem a graviſſimo, maximeque dubio morbo vindicare, quam, ſub vitæ ancipiti ſpe, tanti caſſum auxilii,

xilii, relinquere. Intueri utrinque incommoda, atque invicem conferre oportet, utra potius ſequi conveniat, ad humanæ vitæ vel commoditatem, vel conſervationem. Si nocumentum, inquit Galenus, ex aqua frigida exiguum erit, confidenter ea potui offerenda eſt; ſin magnum metuitur incommodum, ab hac fuerit temperandum, aliiſque utendum auxiliis.

Itemque macer habitus, vireſque infirmæ.

Jam etiam corporis habitum videre, priuſquam Frigidam exhibeas, oportet; qui ſi nimium macer, atque tenuis eſt, potionem recuſat. Etenim facile viſcera crudo elemento feriuntur, non ſat probe adverſus ejus occurſum carnibus, & ſanguine munita. Quamquam Galenus non uſque adeo Frigidam formidat, certa quadam exhibitam menſura, in iis qui tenuem habitum, ex laſſitudine, ira, vigilia, curis, ſimilibuſque animi affectibus contraxerunt, indeque inciderunt in febrem, quæ aridam reddat cutem, ingentemque habeat calorem. Nimirum ſatius videtur, vel cum periculo viſcerum aliquo, febrim gelido fonte extinguere, quam ægrum in Hecticam ſinere incurrere: maxime, ſi æſtas eſt, cœlumque calidum, & ſiccum. Jam autem vires quoque adeſſe, ut tuto Frigida propinetur, neceſſe eſt: nam alioqui, debilitatis internis ſedibus, ſuperaret naturæ calorem aqua, minimeque principium inanitionis judicatoriæ faceret. Ejus rei metus facit, quo minus confidenter decrepitis ſenibus, aliiſve, crebra inanitione, vel longa invaletudine exhauſtis, gelidum fontem demus. Atque hactenus ſatis ſuperque de frigida aqua dictum videatur: id quod complures Medicos, & cognoſcere velim, & ſemper ſequi.

CAPUT IV.

Quis Victus Vigori Continuæ Febris ſit neceſſarius.

In Statu, exacta abſtinentia conducit, niſi ſumma ſit virium imbecillitas.

QUoniam in Statu natura potentiſſime morbum oppugnat, ſymptomataque omnium ſunt moleſtiſſima, jure negari cibus, quantum fieri poteſt, omnis debet: idque, ne morbo intentam naturam, & in anceps vitæ edomando periculo occupatam, diſtrahamus ad cibi concoctionem. Melius enim ſoli humores, quam ſimul cum his cibi evincentur. Quinetiam, propter vim ſymptomatum, parum commode alimentum concoquitur; ideoque idipſum non modo naturam ab opere avertit ſuo, celeriter, niſi impediatur, victuram: verum etiam, benignitate deſtitutum concoctionis, corrumpitur, & ad morbum addit. Jam etiam ſi, ægritudinis intuitu, parcius ſemper alimentum damus: ſequitur plane, ut tum demus omnium parciſſimum, cum is eſt vehementiſſimus. Neque vero adeo metuere viribus oportet, ſymtomatum impetu, ut quis exiſtimet, periclitantibus. Nam hæ jam tum pene majores morbo evaſere, concocta, evictaque in totum ejus materia. Et quæ judicialem inanitionem proxime antecedunt ſymptomata, ea parum periculorum, qua haud diu immorantur, exhibent; excluſo enim maligno humore, protinus conquieſcunt. Ergo etiam recte ſic ſcripſiſſe video Hippocratem: Cum morbi vis eſt ſumma, tum vel tenuiſſimo uti victu convenit. Et paulo poſt: Ipſo vigoris tempore, pauloque ante eum, cibus eſt adimendus. Exacta itaque abſtinentia, vel certe ſola hic conducunt pocula; niſi præcipua quædam nata imbecillitas, neceſſitatem tenuis dandæ ſorbitionis injecerit. Id dignitati ipſarum tribuitur virium, quibus periclitari incipientibus nunquam non alimento ſuccurrendum eſt.

DE

DE CURANDIS FEBRIBUS CONTINUIS

SECTIO QUARTA,

Qua harum comprehenditur Declinatio.

CAPUT I.

De iis Corporibus, quæ perfecte convaleſcunt.

QUæcumque continua febris per abſolutam judicationem, commodis ortis vacuationibns vigorem ſuperavit ſuum, neceſſario decreſcens, melioris valetudinis, certæque ſalutis ſpem, atque principium facit. Eſtque id verum ejus decrementum, in quo neminem unquam eſſe mortuum Galenus Author eſt: morbi dico occaſione, non novo aliquo Medentis, vel Ægrotantis errore. Hic iſte corporis convaleſcentis ſtatus, quoniam morbo jam victo ſuperior eſt, nullis præcipuorum remediorum irritamentis eſt ſollicitandus, ſed proba ratione victus, qui vires paulatim inſtauret, ſuſtinendus. Inter quæ tempora, rationem quoque aeris, ſomni, ac vigiliæ, exercitationis, atque otii, alvi ductionis, ſimiliumque rerum habere convenit. Ad hæc, viſcera quoque ſubinde firmanda, quæ & morbo, & vacuationum remediis, fuere labefactata. Simul etiam, ſi quis ardor prioris febricitationis etiamnum inſidet, idoneis rebus tollendus eſt. Adeo vero danda eſt opera, ut qui, naturæ, artiſque noſtræ beneficio, longe valere melius homo cœpit, modis ſemel omnibus convaleſcens, quam optime valeat.

Quid expediat agere in Febris Declinatione.

Incipiam de cibo dicere, qui mediæ materiæ eſſe debet, faciliſque concoctu, temperatus (niſi reſiduus calor ſubfrigidum poſtulet) mediocriter humens, atque liquidus, ſuccumque præbens bonum, qui vires facile tum tueatur, tum adjiciat; cujuſmodi ſunt, juſcula pullorum gallinaceorum, atque caponum, vel magis ex his coctis, atque contuſis, una cum jure factæ ſorbitiones. Cocta quoque hædorum, atque vitulorum caro, ejuſdemque juſcula idonea ſunt. Ptiſana item hordeacea, ex jure pulli confecta, convenit. Maxime autem ſtudendum eſt, hujuſmodi nutrimentis convaleſcentem reficere; quoniam is ipſe exinanitus, ſpirituumque laborans inopia vitalium, incrementa ſanguinis, atque virium poſtulat. Siquidem victum in eo nimis tenuem merito Avicennas, ut periculoſum, damnavit: ſæpe inde malum corporis habitum, novamque febrem ait emerſiſſe. Cibus tamen ea moderatione ſumi debet, ut ne quid copia oneret, quæ res gravium ſæpe periculorum anſam præbet. Fere autem qui ſic victitat, ex ſumpto alimento nihil, aut corpore, aut viribus proficit; tandemque (niſi abſtinentia, aut inanitione ſuccurritur) in febrem, vel

De Convaleſcentium Victu.

prio-

priorem, vel in aliam novam incidit. Consultum (me judice, testeque Avicenna) fuerit, convalescentem minime ad satietatem esse finere: verum, immorante etiamnum esitandi desiderio, epulis jubere desistere. Illud quoque recte præcipitur; quoniam vacuatum corpus, atque extenuatum uberem instaurationem postulat, eam tamen attritæ vires non ferunt, cibum pauciorem, multis vicibus, dari oportere: semperque propius ad secundam progressis valetudinem plus cibi, ac paucioribus intervallis indulgeri, donec ad pristinam sanorum hominum tum valetudinem, tum cibationem perventum sit. Quæ tempora ita moderanda sunt, uti Hippocrates præcepit: Quæ lente, inquit, extenuata sunt corpora, lente reficere oportet: quæ contra, breviter. Porro utile poculum, mediocris ætatis, atque substantiæ, probe cocta cervisia est; itemque vinum album, ac tenue, vel odoriferum, aquæ fontanæ, aut hordeaceæ mistum. Præfrigida autem aqua, quia visceribus officit extenuatis, rejicienda est. Ut in cibo, ita & in potu intemperantia, atque nimia abstinentia inutilia sunt. Alterum enim recidivæ hominem exponit, alterum hecticæ maciei. Illud apprime cavendum est, ut ne quid nimis, cum cibus sumitur, bibatur. Nam sic is ipse innataret, a ventriculi corpore, propter interpositum humorem, non comprehensus. Itaque inter epulas contrahenda sunt pocula, ac tantillum humoris indulgendum, quod & linguæ molestiam soletur, & sitim levet. Concocto autem cibo, fas est libere aliquid bibere: nam celerrime id per corpus digerit.

De Aere. Proximum est de aere dicere qui temperatus esse debet, ne vel nimio calore ardores augeat, referatve febriles: vel superfluo frigore extenuatis, atque inanitis visceribus officiat. Parum tamen refrigerii accipere eum fas est, si quid ardoris etiamnum inhærescit.

De Somno. Somnus convalescentibus apprime est necessarius, utique noctu post sumptum cœnæ alimentum. Sic enim corpus efficaciter humectatur, superiore siccatum febre, instauratisque succis, ac spiritibus, vires acquirit meliores. Itaque etiam vigilia, quia exsiccat, ac vim hominis atterit, inimicissima est. Nunquam dormire is qui convalescit, nisi post sumptum cibum debet, quoniam qui vacuo somnus fit ventriculo, vacuisque venis, corpus exhaurit, arefacitque.

De Exercitio. Exercitii vero, atque otii moderata, ac viribus respondens vicissitudo est utilis. Exercitium tamen leve esse decet, puta, gestationis, aut lentæ per cubile inambulationis. Molles quoque extremorum frictiones membrorum juvant; implent enim corpus, ac naturæ excitant calorem. Porro instauratio corporis (quia superioribus id ærumnis emacruit) vehementer necessaria est.

De Purgatione, ceterisque vacuationibus. Inutilis autem omnis habetur inanitio præter unicam dejectionem ventris, qui convalescentibus astringitur. Nequaquam autem purgatorium esse medicamentum licet (quod Græci καθαρτικὸν appellant) sed lenitivum, ac stercorarium (quod ἐκκοπρωτικὸν dicunt) cujusmodi recens extracta est cassia, jusculo pullo gallinacei, vel hordei decocto soluta; itemque electarium lenitivum, diaprunon solutivum, diacatholicon, manna, & id genus alia. Ad eandem rem emollientes etiam faciunt clysteres, ex pinguibus jusculis, cassia, oleoque violaceo facti. Suos Galenus ex sincero parabat oleo. Scire autem licet, minime frequentem usum horum lenitivorum esse licere: maxime, quæ movendi ventris causa, per os dantur, ne scilicet crebra dejectione (quæ tum certe inutilis est) corpus ali desinat, defluente una succo meliore. Ut nulla non vacuatio, præter moderatam, uti præcipi, dejectionem, convalescentibus incommoda est: ita maxime Veneris, quæ affatim vitæ spiritus profundit, viresque tenui in corpore dissipat. Porro jucundis etiam rebus occupari convalescentibus animis debet: unde vis naturæ, spirituque vitales eriguntur; tristis autem sollicitudo, quoniam siccat, nocet.

Nunc

Nunc de firmandis dicam viſceribus, quorum vis multum a morbo laceſſita, laxataque fuit. Materiæ autem, mediocri præditæ aſtrictione, atque refrigeratione, ejus beneficium roboris præſtant. In quo numero ſunt electarium diarhodon, diacorallion, paſtilli ex roſis, ex ſpodio, & hujuſmodi. Sæpe etiam ubi calores deſunt, ipſeque, prioribus remediis refrigeratus, ventriculus parum concoquit, utile eſt aromaticum roſatum. Ceterum, nullo alio febris acutæ tempore, talium materierum uſus eſto, quam declinationis, idque metu aſtrictionis, quæ illis ineſt. Ea ſiquidem, ut convaleſcentibus (utpote morbi materia jam exoneratis, ac debilibus) utilis eſt: ita aliis, qui adhuc dum vim morbi experiuntur, retento humore corrupto, prorſus adverſatur; niſi tamen effuſæ alicujus inciderit vacuationis ſymptoma, quod ſine modo vires reſolvat: effrænatum dico vomitum, alvi fluxum, atque ſudorem. De firmandis viſceribus.

Atque huc uſque de iis locuti ſumus hominibus, qui, abſolutam experti judicationem, integre, atque plene convaleſcunt. Quare poſthac eorum proponam conſtitutionem, atque proviſionem, qui, quoniam diminute fuere judicati, non commode convaleſcunt, inappetentiæque, defectæ nutritioni, ardoribus, recidivæ, ceteriſque vitiis ſunt obnoxii.

CAPUT II.

De iis qui propter diminutam Judicationem haud probe convaleſcunt.

QUæcumque judicatio materiam morbi non exhauſit, multa ejus in corpore relicta parte, imperfectam, atque ſymptomatis moleſtam declinationem exhibet. Tum enim homo, aſſumptis etiam commodis, juſtiſque epulis, neque alitur, neque firmatur, ardores etiam experitur, quam par ſit, majores. Protinus tum vacuante medicamento, ſi humor idoneus eſt purgationi, ſuccurrere oportet, quod prioris morbi extrahat reliquias. Quod ni fiat, in foribus erit vel abſceſſus, vel recidiva. Semper medicamentum parari, pro materiæ natura, ac virium modo, debet. Vomitus autem omnis inutilis eſt, niſi ſi corruptus aliquis humor ſtomachum occupat. Sæpe autem venæ per ea medicamenta commode repurgantur, quibus urinas ciendi facultas obtigit. Id quod tum ſequendum eſt, cum naturæ vi corruptus humor ad ductus urinarios impellitur. Sanguinis vero miſſio prorſus fugienda eſt, cum propter materiæ rationem peccantis, tum propter vires, quæ præteritis vacuationibus vehementer fuere labefactatæ. Quo magis Avicennam demiror, qui etſi recte dicit ſanguinis miſſione parum egere convaleſcentes; in eo tamen fallitur, quod venam, propter ſanguinis vitium, tum incidat, propter id, quod, veluti aſſatum ex malis humoribus, in ſanguine remanſit; ideoque neceſſe eſſe ait, ut extrahatur ſanguis ejus malus, & cumuletur bonus. Quaſi vero humoris vitium non ſola tolli debeat purgatione, ac quaſi promptum ſit, atque in hominum poſitum manu, diſſecta vena, corruptum humorem effluere ſinere, meliore ſanguinis particula intus manente. Neque vero hic ſolum, uti liquet, peccaſſe Arabem conſtat, verſum in ipſarum etiam æſtimatione virium, quæ convaleſcentibus, propter debilitatem, mittendo ſanguini ſunt impares. Ut ne dicam etiam nequaquam Poſt imperfectam Criſin, nulla fere, niſi per purgationem, vacuatione utendum eſt.

tum magnum morbum (quod alter eſt ſecandæ venæ ſcopus) eſſe poſſe, ut cujus vehementior jam tum ceſſavit impetus.

Porro, quod ad victum pertinet eorum, qui imperfecte convaleſcunt, ſcire licet, ſubtenuem eſſe oportere, donec, exhauſto humore, felicioris nutritionis præbeantur exordia. Recte ſiquidem dixiſſe video Hippocratem: Impura corpora eò magis offendi, quo magis aluntur. Poſtquam materiis morboſis homo erit probe exoneratus, ita dein omnibus in rebus haberi, tractarique debet, uti ſupra de iis qui exacte convaleſcunt, præceptum eſt.

F I N I S.

INDEX

Capitum, librorum, & sectionum, quæ in hoc volumine continentur.

Commentariorum de Sanitate tuenda.

CAP. I.

Quemadmodum sanos agere conveniat. pag. 1

CAP. II.

Quæ stomacho imbecillis servanda sint. 15

CAP. III.

Observationes quædam, prout re accidunt, & prout corporum genera & sexus, & ætates & tempora anni sunt. 33

CAP. IV.

De his qui aliqua parte corporis laborant primum de his quibus caput infirmum est. 88

CAP. V.

De his qui lippitudine, gravedine, destillatione, tonsillisque laborant. 92

CAP. VI.

Ad solutam alvum remedia 94

CAP. VII.

Remedia ad coli dolorem. 96

CAP. VIII.

Quæ agenda sint stomacho laborantibus 97

CAP. IX.

Quid observandum dolore nervorum laborantibus. pag. 100

CAP. X.

Observatio in pestilentia. 105

Medicinalium Observationum.

LIB. I.

Quo morbi quibus tota occupantur corpora animadvertuntur. 113

LIB. II.

Quo vitia singularium partium corporis proponuntur. 133

LIB. III.

Quo hi eventus eaque proponuntur judicia, quæ tam de universalibus haberi morbis possunt, quam de particularibus. 205

De curandis Febribus continuis.

SECTIO I.

Quæ earum continet Principium.

CAPUT PRIMUM. 231

CAP. II.

De Missione Sanguinis. 232

C A P. III.

Quæ Mensura acute Febricitantibus Sanguis debeat mitti. pag. 237.

C A P. IV.

Quo tempore per Febres continuas Sanguis mitti debeat. 242

C A P. V.

Quæ Vena per Febres Continuas secanda sit; quidque, inter Sectionem, & post, agendum. 249

C A P. VI.

Quæ Victus ratio in genere Febrium Continuarum servanda sit. 251

C A P. VII.

Genera quædam, itemque formæ Alimentorum, quæ acute Febricitantibus dari possunt. 255

C A P. VIII.

De potionibus acute Febricitantium. 257

C A P. IX.

Quæ Victus ratio Principio *Febris acutæ conveniens sit.* 258

C A P. X.

Quomodo Materia Febrium Continuarum concoquenda sit. 259

SECTIO II.

Quæ Febrium Continuarum comprehendit Incrementum.

C A P. I.

De Materiæ Purgatione. 259

C A P. II.

Quid a Purgatione agendum, & quomodo fervor acutæ Febris temperandus sit. pag. 216

C A P. III.

Quomodo gravioribus Symptomatis acutæ Febris occurrendum sit. 268

C A P. IV.

Quæ Victus ratio per Incrementum *Continuæ Febris servanda sit.* 272

SECTIO III.

Quæ Febrium Continuarum complectitur Statum.

C A P. I.

De Vacuationibus Judicatoriis. 274

C A P. II.

De Aquæ frigidæ potione. 276

C A P. III.

Quæ observationes bibentibus Frigidam sint necessariæ. 276

C A P. IV.

Quis Victus Vigori *Continuæ Febris sit necessarius.* 282

SECTIO IV.

Qua Febrium Continuarum comprehenditur Declinatio.

C A P. I.

De iis Corporibus quæ perfecte convalescunt. 283

C A P. II.

De iis qui propter diminutam Judicationem haud probe convalescunt. 285

INDEX
RERUM, ET VERBORUM.

A

ABortus præſagia. 195.
Abſeſſus præſagia in febribus. 121. & 125.
Abſtinentia nimia quid noceat. 28.
Aceti vis. 48.
Acetum omnium refrigerantium tenuiſſimum. *ibid.*
Adoleſcentia. 76.
Aer fugiendus quis. 20. inconſtans quid noceat. *ibid.* inſalubris propter vicinum flumen. *ibid.* qualis cruditati idoneus ſit. 19. quis omnibus æquo naturis proſit. 20.
Aeris mutatio periculoſa. 33. præcipua dos ſerenitas. 20. vis ingens ad mutanda corpora. 10.
Ægris atque longævis aut quies, aut non niſi levis motus idonea ſunt. 26.
Ægroti officium. 209. eiuſdem mens, atque mores. *ibid.*
Æſtatem corpus calorque diſſolvitur. 83. edendum ſæpius, ac parcius. *ibid.*
Æſtus magis inani quam pleno nocet. 32.
Agendum nihil poſt ſatietatem. 31. quid poſt vomitum. 64.
Alimenta craſſi ac valentis ſucci. 30.
Alimento intus corrupto aut corrumpendo vomitus utiliſſimus. 44.
Alimentum natura non malum, copioſius tamen ingeſtum, calorem inſitum opprimit. 11. trahentes particulæ famelicis equis perſimiles. 9. tribus de cauſis intus computreſcit. 43.
Aloe lota plus roborat, ſed purgat minus, illota contra. 69. purgantibus omnibus miſcenda. *ibid.*
Aloes eximiæ dotes. *ibid.*
Alphos. 197.
Alvi ductio pharmaco petita nonnumquam ſanis neceſſaria. *ibid.* profluvium. 164. fęx per os reddita. 63.
Alvo diutius compreſſæ quæ ſuperveniant noxæ. 67. fuſæ frigida inimica'. 43. ſuppreſſa inflammationes increſcunt. 67.
Alvum ſiccatam quomodo Gal. ſolverit. 69. ſolventia. 73.
Alvus dura. 55. & Veſica ante exercitationem levanda. 24. quibus auxiliis ſanis ducenda. 68. unde comprimatur. 73.
Amaritudo oris. 62.
Ambulatio. 106. matutina. 94. quam vim habeat. 25.
Ambulationis quod genus ſalubrius. *ibid.*
Amor venereus extenuat. 58.
Analepticon ex aſſis carnibus remedium. 85.
Analogia noſtri caloris cum ignis flamma, & alimenti cum ejus fomentis. 31.
Aneuriſma. 204.
Animam ex frigore multi amiſerunt. 32.
Animantibus cur ſomnus ſit a natura tributus. 37.
Anhelatio. 160.
Angina. 144.
Angina notha. 145.
Ani inflammatio. 171.
Animi defectio. 160. in febri continua. 271. ſecuritas. 56. ſubtilis, & craſſi ventris difficilis copula. 12. turbati pathemata corpus omnia extenuant. 57.
Animus a cibo laxandus eſt. 23. ejuſque affectus in corde conſiſtunt. 57.
Animi defectio, eiuſque prænotiones & remedia in venæ ſectione. 250.
Apotherapia nulla non poſt labores tentanda. 28.
Appetentia animalis. 75. canina. 162. in febricitantibus. 269.
Aqua calida alias implet corpus, alias extenuat. 56. quam frigidiſſima. 71. ſalſa calefacit. 70. vorax Hippocratis quid ſibi vult. 18.
Aquæ incommoda. 45. aquæ metus. 135. potus capiti infirmo utilis. 92.
Aquæ frigidæ exhibendæ in ſtatu febris continuæ errores. 276. quando, & quomodo, & qua menſura danda. 277. 278. 279. 281. 282. cur frigida evacuationes promoveat. 278. quænam rebibendæ fiduciam addant. 280. quænam eam periculoſam faciant, & quænam eam poſtulent. *ibid.*
Aquam frigidam bibere quibus conveniat. 16.

Arii Peripatetici Hiſtoria frigidam præter ſolitum bibentis. 8
Arma quam vim habeant. 25.
Arthriticis frigus conducibile. 100.
Arthritis quid & ejus ſpecies. *ibid.*
Articularis morbus. 195. ejus cauſæ quæ, & quæ prophylaxis. *ibid.*
Articulis imbecillis exercitatio utilis. *ibid.*
Aſcites. 178.
Aſclepiades purgationem nihil ad ſanitatem conferre docuit. 70.
Athletarum animus hebes. 12. cibus quomodo noceat. 11. habitus periculoſus. *ibid.*
Athleticorum laborum finis. *ibid.*
Athleticos labores Celſus jure condemnavit. *ibid.*
Atra bilis. 177.
Attonitus morbus. 138.
Atrophia. 129.
Avicennæ ratio in ponendo cibo reiicienda eſt. 9.
Aurigo. 177.
Aurium ſonitus. 62.
Auſtri difficilem peſtem invehunt. 107.
Author omnis functionis calor. 102.
Authoris ſententia qui intelligenda ſit. 8.
Autumni temperatura. 85.
Autumo cibus plenior convenit, & quibus de cauſis. 87. & minus, & meracius eſt bibendum. *ibid.*
Autumnum quid reddat periculoſum. 85.
Autumnus periculoſus. 86.
Auxilia adverſus imminentem podagram. 101. quibus Coli doloribus occurritur. 96.

B.

BAcchus Podagræ pater, nutrix Venus. 13.
Balnea continua alvo fuſæ inimica. 95.
Balnearum atque unctionum Apotherapicarum vis. 28.
Balneæ calidæ ad quæ conferant & ad quæ frigidæ. 7. dulces & unctiones fatigatis utiles. 39. gravi tempora vitandæ. 107. neglectæ a populis Septentrionalibus ejus ratio. 6. ſaturis officiunt. 39.
Balnei partes quinque. 40.
Balneis & unctionibus uti poteſt. 6. iis ſuperſederunt noſtræ ætatis homines. *ibid.*
Balneum fervens fatigatis contrarium. 40. jejunis adhibitum. 71. jejunos emaciat. 57. quando fatigatis adminiſtrandum. 40.
Batavi quid Roſam vocant. 103.
Bellaria. 30.
Benedicta quæ barbarorum ſcholis ſunt appellata. 60.
Benevalentibus non eſt opus Medico. 3.
Bibendi ratio quæ obſervanda ſit. 107.
Bilioſis fames & tarda & gravis eſt itidem & ſenibus. 75. quæ contraria, quæ item Pituitoſis. 3.
Bilioſo Stomacho quid utile. 99.
Bilis in ventriculum effuſæ ſigna. 38. de modo concoquendæ bilis diverſæ opiniones, nec non Lomii in hac re ſententia. 264.
Boulinos. 162.
Bruta tempore veris coitum magis appetunt, & magis fœta ſunt. 83.

C.

CAchexia. 129.
Calculus renum. 181.
Calefacientia quæ. 70.
Calida frigidaque in intemperie contraria dare expedit. 52. lotio cur pueris, & longævis utilis. 78.
Calidum duplex. 51.
Calor acceſſu alimenti augetur. 70. Author omnis functionis. 102. motu excitatur. 5. naturalis natura appellatur. 49. duplex. *ibid.* quando lippientibus præſidio ſit. 105. vitalis quid. 50. utilis quibus. 104.
Caloris & frigoris ſubita alternatio quæ mala inferat. 105. nimii incommoda. *ibid.* opera quæ. 104.
Calorem inſitum quid opprimit. 11. quodnam alimentum augeat. 70.
Cancer. 201.
Capite catarrhoſo nequaquam aquæ aut loca mutanda. 94. imbecillo unctio balneis anteferenda. 90. infirmo cibus parce raroque offerendus. 92.
Capiti imbecillo quale vinum idoneum. *ibid.* infirmo aquæ potus utilis. *ibid.* cur frigida infuſa utilis. 91. Luna vitanda. 90. omnis negotioſa actio inutilis, idque a cibo potiſſimum. 92. Sol inimicus. 90. ſolum noxium. *ibid.* ſole exuſto quomodo proſpiciendum. 47.
Capitis affectus cur difficiles. 89. dolor.

199. in jejuno. 99. in febricitante. 269. imbecillitas unica eſt propinqua cauſa. *ibid.* vitio tam frigido quam calido frigida opitulatur. 92.
Caput citiſſime excrementis per ſomnum oppletur, & quare. 10. debile numquam ad cutem radendum, ut nec onerandum nimia coma. 90. primum tepida dein frigida aqua lavandum. 91. offendit vomitus. 92. fit grave ſub Luna dormientibus, & ſanguis e naribus ſtillat. 90. imbecillum per hyemem minime detegendum. *ibid.* quæ firment. *ibid.*
Carbunculus. 199.
Carnes non temere rejecit Pythagoras. 70.
Carnis uſus corpus calidum, animum ferocem efficit. 79.
Carnoſa quomodo calefaciant. *ibid.*
Caro aſſa cicurum animalium nimiis dejectionibus idonea. 95. debeat nec ne elixæ per æſtatem præferri. 83. ferarum ventri fluenti utilis, itemque piſces duri. 95.
Caros. 136.
Catalepſis. *ibid.*
Καταρρος. 93.
Catharris obnoxii Romani. *ibid.*
Catharros quæ cauſæ moveant, & quomodo hi arceantur. 94.
Catharroſis omnis animi aut corporis actio a cibo inutilis. 93.
Celſus de quo doloris genere agat. 96. nimis violenta exercitia præterit. 26. ſuæ cuique valetudinis tuendæ rationem proponere conſtituit. 2.
Cephaleæ frigida ſubvenit. 93.
Cerebri vulneratio. 180.
Chiragra. 196.
Cholera. *ibid.*
Cibi copia immodica. 43. exhibendi generale præceptum. 77. genus repente mutatum nocet. 37. qualitas inepta. 44. per æſtatem frigida & humida. 83. ſumendi ordo præpoſterus, aut nimia varietas. 44. cupiditas & faſtidium. 193. exacta abſtinentia in ſtatu febris continuæ. 282.
Cibo pravo propter aſſuetudinem non offenduntur pauperculi. 36.
Cibo in ſtomachum recepto, calor introfertur. 38.
Ciborum ordo quis ſervandus in menſa ſit. 29.
Cibus alteratur & a corpore, & id ipſum alterat. 8. Athletarum quando noceat. 11. bis die ſumptus utilior eſt. 9. imminutus. 73. nonniſi ſemel per diem ſumptus. *ibid.* plenus & frequens. 56. poſt pocula noxius. 31. quaque comeſtionis vice quamplurimus poteſt concoqui, ſumendus eſt. 9. quis utilis a vomitu. 66. varius aut duræ concoctionis adhæc jurulenta, & olera alvo fluidæ inimica. 95.
Cibus opportune datus optimum medicamentum in febribus continuis. 251. tempus, moduſque cibi ſumendi in febribus. 254. tenuiſſimus eſſe debet in principio febris acutæ. 258.
Clara lectio. 97. quid commodi adferat. 25.
Cœlo cuivis aſſuefcendum eſt. 4.
Cœna parca quibus utilis. 10.
Cœnæ tria ad concoctionem adminicula. 11.
Cœnandum quando largius. *ibid.*
Colici doloris cauſæ quæ. 96. Celſus de quo genere agat. 95.
Coli dolor. 186. inflammatio 169. doloribus ipſum efficientibus dulcia inimica. 96.
Coma. 137.
Comitialis morbus. *ibid.*
Concoctio. 101. aſſiduæ laſſitudinis remedium. 45.
Concoctionis apud Medicos duplex acceptio. 260.
Concoctio quare poſt longiorem famem evertatur, idque tam in hepate, quam in ventriculo. 9.
Concoctionem ſomnus quomodo juvet. 37. ſuam quæque particula tantum perficere, non alterius emendare potis eſt. 60.
Concoctionis malæ ructus index. 16.
Concubitus frequens quomodo intelligendus. 13. immodici incommoda. *ibid.* interdiu pejor, tutior noctu. 12. neque concupiſcendus, neque pertimiſcendus. *ib.*
Condita reiicienda. 30.
Conquieſcendum hyeme totas noctes eſt. 23. a labore aliquantiſper antequam cibus ſumatur. 28.
Conſervatio ſimilibus, curatio contrariis perficitur. 51.
Conſueta minus afficiunt. 3.
Conſuetudo altera natura. *ibid.* & 123. bibendi auget aviditatem. 29. nihil non poteſt. 37. repente mutata ſanis obeſt. 35. ſubito mutata naturæ moleſta. 33.
Convaleſcentium victus. 283. aer. 284. ſomnus *ibid.* firmandæ vires. 285.

Cordis palpitatio. 160. vulnus. *ibid.*
Corpora neutra inter ſalubria & inſalubria media quo pacto regi oporteat. 3.
Corporis diflationem promovet vigilia. 10.
Corpulentia duplex. 61.
Corpulentia ex multo fit ſanguine. 55.
Corpus quæ impleant. *ibid.* refrigerent. 71. undique tranſpirabile eſt. 73.
Cotyle. 65.
Creta figuralis. 73.
Cruditati adverſatur Venus motuſque omnis alius. 14. motus inimicus. 19. qualis aer ſit idoneus. *ibid.* quæ nocumento. 20. præſidio ſunt. *ibid.*
Cubile molle. 55.
Cura corpus conficit. 57.
Curæ quomodo corpus tabefaciant. 58.
Curatio ejus qui peſtrixit in itinere. 47.
Curſus quam vim habeat. 25.
Cyathus. 65.

D.

DEambulatio aſpera, imbecillis contraria. 25. lenis bilioſo conducibilis. 27.
Defatigatis frigidæ lavatio inutilis. 41.
Delirium febricitantium. 270.
Democritus Venerem expulit. 12.
Dejectio cruenta quæ fit cauſa jecinoris 173. dejectio pharmaco petita quando utilis. 67.
Dejectio incommoda febricitantibus. 272.
Deſtillatio ſeu catharrus. 93. unde & quæ pericula adferat. 10.
Deſtillationes quomodo & quando maxime fiant. 20.
Deſtillationibus capiti obnoxio infuſa frigida utilis. 93.
Deſtillationis pericula. 89.
Devorare facilius eſt quam revomere. 63.
Dialoes medicamen. 69.
Dierum judicialium ratio. 127.
Difficilis ſanitatis tutela, quam negotia impediunt. 23.
Diſcernendum inter eos quos fames citius urget, & quibus pejus nocet. 75.
Diſcrimen ſanitatis & morbi. 1.
Dolor Præcordiorum. 98.
Dulcia cito obſtruunt. 56. Coli doloribus inimica. 96. & pinguia. 56.
Diabetes. 215.
Dyſenteria. 158.

E.

EDendi bibendique ratio quæ obſervanda ſit. 107.
Edendum hyeme rarius. 81.
Effluvia naturæ ſomnus ſiſtit, ac proni excrementa accumulat. 10.
Elephantia. 130.
Emetica blanda. 64. mediocria. 43. violenta. *ibid.* antiquorum ſanis fugienda. ægris raro ſumenda ſunt. 65.
Emeticorum duplex ordo juxta Celſum. 64.
Empiricorum deteſtanda nequitia. 68.
Enemata per os reddita itemque alvi fex. 63.
Epicuri & Democriti de uſu Veneris ſententia. 12.
Epulis ſumptis non protinus dormiendum. 31.
Error ab Hippocrate exploditur. 14. Æginetæ. *ibid.* commiſſus in victu, multos anniverſariis morbis implicat. 8. eorum qui ſe a cibo exercent. 31. Fuſchii in præſcriptione cibi vernalis. 82. Medicorum vulgarium 68. Neotericorum in diſtinguendis ætatibus. 76. nimis tenuis dietæ gravior, quam qui nimis plenæ eſt. 29.
Eryſipelas. 199.
Eſſe hyeme confert plurimum. 79.
Exanthemata. 198.
Excrementorum ex una parte in aliam defluxus periculoſus. 88. expurgatio. 5.
Exercitatio ante cibum adeunda. 24. authore Aſclepiade non conducit ad ſanitatem. 6. eſt vehementior motus. *ibid.* matutina ſiccat. 72. modica. 54. vehemens corporis molem atterit. 59.
Exercitationes ſimul & opera. 224.
Exercitionis apta tempora ex urina petuntur. *ibid.* facultas. 23. omnis præceptum generale. 25. partes tres. 27. ſuus cuique modus ſervandus. 24. triplicia commoda. 4.
Exercitationibus aliis pila prævalet. 24.
Exercitationum genera ac vires. *ibid.*
Exercitio quis ſudor finem imponat. 27.
Experrectis os eluendum frigida. 22.
Exſiccatis ſomnus utilis, vigilia inimica. 38.

F

FAcientibus iter, ardor ſolis, & frigus nocent. 46.
Facultas exercitationis. 23.
Fames quomodo excitetur. 74
Fatigatio aſſidua quando fiat. 44. una alteri eſt medela. 46. uſu novi laboris levatur. 43.
Fatigatis balneæ duces & unctiones utiles. 39. humectum nutrimentum idoneum. 42. inutilis frigidæ lavatio. 41. itinere quæ conveniant. 46. opus tenui cœna. 48. os frigida a balneo fovendum. 41. quæ potio conveniat. 42.
Fatigatis quomodo balneum adminiſtrandum. 40. ſeſsione quomodo ſubveniendum. 48. ſolium fervens contrarium. 40. ſudor inutilis. 41. unctio utilis. 40.
Fauces cur vomendo exaſperentur. 65.
Febricitantium corpus poſt purgationem refrigerandum. 267.
Febris ardens. 115. continens putrida. 114. continens non putrida *ibid.* continua diaria. 113. hectica. 128. lenta. 117. quartana. 118. quotidiana. 119. ſemitertiana. *ibid.* tertiana intermittens. 117. tertiana notha. 118.
Febris implicationes. 119. exitialis ſigna. 116. item longæ. 121. periculoſæ. 120. nec non peſtilentialis. 122.
Febris continuæ ſunt periculoſæ. 231.
Febris quando cognoſcatur. 232. Quid agere conveniat in febris declinatione. 283.
Fiſtula. 172. & 202.
Fœtus in utero mortui ſigna. 195.
Formati male quibus rebus lædantur. 3.
Fricatio lenis. 90.
Frigida alvo fuſæ inimica. 43. cur inani ventriculo noxia ſit. 17. dolentibus præcordiis cur inutilis. 19. experrectis os eluendum. 22. potio alvo ad fluorem proclivi, utilis. 95. jejuno imbecilloque ſtomacho inutilis. 98. potui data ex labore ſudantibus pernicioſa. 42. quibus inutilis. 43. utilis. 8. urgente crudo ructu poſt cibum, porrigenda. 18.
Frigidæ lavatio cur ſiccet. 73. defatigatis inutilis. 41. potio quomodo crudo ructui ſuccurrat. 17. potui quæ reclament. 43.
Frigidæ potus itinere feſſis inutilis. 42.
Frigidam a balneo haurire non eſt alienum. *ibid.* Galenus ipſis etiam pueris a cibo conceſſit. 18. præter ſolitum bibentis Arii Peripatetici hiſtoria. 8.
Frigiditas ex ſe nobis inutilis. 52. ſiccitaſve temperamenti nuſquam recte ſervantur. 51. temperamenti ſemper abolenda. 52.
Frigidum ex ſe nulli functioni utile eſt. 32.
Frigore cutis dureſcit. 102. multi animam amiſerunt. 32.
Frigoris incommoda. 102. violenta potentia. *ibid.*
Frigus Hyemis modicum. 55. iter facientibus nocet. 46. magis inani quam pleno nocet. 32. quibus conducat. 103. inimicum. 102.
Fructibus ornanda luxus noſtrorum in menſa ſecunda. 30.
Fructus fugaces ſeu temporarii. 86.
Fuga remedium optimum peſtilentiæ. 34.
Furor. 135.
Fuſi ventris maxima commoditas. 67.

G.

GAleni incuria. 52. parum firmi in lib. 1. Ap. 13. interpretatio. 77.
Galeni ſententia de urinis. 22.
Galenus de iis quæ agat natura. 4. de uſu parvæ ſphęræ. 24. gravia ruri interdum opera exhauſit. 26.
Gangræna. 199.
Graciles & ad vomendum faciles ſuperne purgare convenit. 63.
Gracilibus non ſtatim a cibo lavandum. 55.
Gracilitas quid & unde contrahatur. 54.
Gravedo ceu κόρυζα. 93.
Gula per accidum vomitum exaſperata quid agendum. 66. ejuſdem vulnus. 172.

H.

HÆmorrhoides. 171.
Hecticos cur in frigidam deduxerit Galenus. 41.
Helleborus ſanas habentibus carnes periculoſus. 60.
Hippocrates acute febricitantibus vinum quandoque indulſit. 100. in ſpeciem Celſo contrarius quoad inediæ tolerantiam. 75.

Hippocratis libro primo Aph. 13. maximi uſus eſt. 77.
Hiſtoria cujuſdam pituitam vomentis. 65.
Homo arbor quaſi ſubverſa. 89. ſanus quis. 1.
Humidi magis vitales. 52.
Humiditas quandoque corrigenda. 52. ſimilem fere victum poſcit. *ibid.*
Humido alimento ſenes, hectici,& morbis exhauſti reficiuntur. 53.
Humoris impetus fluentis ſequendus. 61.
Hydrops. 178.
Hyeme cibis calidis ac poculis utendum. 81. meracius ac parcius bibendum. 80. totas noctes conquieſcendum eſt. 23.
Hyemis modicum frigus. 53.

I.

JEcinoris corruptio. 173. imbecillitas. *ibid.* inflammatio. 174. intemperies. 172. obſtructio. 174. ſcirrhus. *ibid.* vulnus. 180.
Jejunant omnium facillime quinam. 75.
Jejunium vernum medice quoque non tantum pie inſtitutum. 81.
Ignavi & ſedentarii ventres crudelibus morbis conſumuntur. 6.
Ignavia noſtrorum hominum quanta ſit. 7. quare valetudini noceat. 5.
Ignis ſacer. 200.
Impetigo. 197.
Imprægnationis impedimenta, & notæ. 193.
Impranſi præter ſolitum quomodoreficiendi. 36.
Impranſis quæ noxæ præter morem accidant. *ibid.*
Inane corpus quodnam Celſus vocet. 33.
Incommoda quæ immodici concubitus. 13.
Increſcentes liberalius nutriendi. 78.
Incubus. 138.
Inedia pituitoſis prompta & utilis. 75. quibus maxime infeſta ſit. *ibid.*
Inediæ cauſa primaria. *ibid.*
Inediæ ac laboris gravis copula. 33. incommoda. 9. ſymptomata ſeveriori ſupervenientia. 28.
Inertia motionis inſtrumenta enervat, labor firmat. 37.
Inflammatio. 199.
Inflantia Colo dolenti inimica. 96.
Intemperantia in cibo levior quam in potione eſt. 29.
Intemperantiæ minor in cibo occaſio quam in poculis eſt. *ibid.*
Intemperata cruditati nocumento ſunt quomodo. 19.
Intemperati ſimilibus facile læduntur. 3.
Intemperies inæqualis. 96.
Inteſtinorum lævitas. 166. atque vulnus. 172. quare dolor adeo gravis inteſtinis accidat. 96.
Invidia cur alquis macreſcat. 58.
Ita quid & quomodo extenuet. *ibid.*
Iter facientibus, ardor ſolis, & frigus nocent. 46.
Iſchias. 196.
Itinere feſſis potus frigidæ inutilis. 42.
Jucunda naturæ. 49.
Judicatio optima. 126. in quæ incidat tempora, & in quæ mors. 127. ſit ne futura, vel non. 126. eius ſigna. 123.
Juventus tertia ætas. 76.

L.

LAbor. 73. & ſobrietas optimi ſanitatis cuſtodes. 6. firmat motionis inſtrumenta, inertia enervat. 37. gravis pituitoſo conducibilis. 27. magis inani quam pleno nocet. 32. nulli non neceſſarius eſt. 6. ſomnum conciliat. 37.
Laborem eundem ſolitum melius fert ſenex, quam adoleſcens inſolitum. 5.
Labores Athleticos jure Celſus condemnavit. 11. quando finire oporteat. 26.
Laboris idem modus non omnibus convenit. 27. novi uſu fatigatio levatur. 45.
Laborum Athleticorum finis. 11.
Lacrymæ. 62.
Laſſatis non eſt a cibo dormiendum. 38. vinum utile aliquot nominibus, aliquot inutile. 45.
Laſſitudini ſomnus medetur. 37.
Laſſitudinis aſſiduæ remedium concoctio. 45.
Laſſitudo quid. 37. quid fatigatio Celſo & Galeno ſit. 26.
Lavacri calidi uſus quando noxius. 7.
Lavacrum calidum quid præſtet. *ibid.*
Lavandum non ſtatim a cibo gracilibus. 55.
Lectio clara. 97. quid commodi afferat. 25.
Lethargus. 136.
Leuce. 197.
Leucophlegmatia. 178.
Liberi homines & valentes curioſis Medicorum præceptis non devinciuntur. 4.

Lienes magni. 130. inflammatio. 177. tumor. 176.
Lippitudo. 93.
Locus difficilis ejusque explicatio. 61. mendosus. 71. spinosus de esu carnis per horas vernales. 82. subdifficilis. 83. vitiatus. 72.
Longævis & ægris quæ idonea sunt. 26.
Lotio calida cur pueris & longævis utilis. 78.
Lucubrandum sit qua noctis particula. 23.
Lumbrici. 170.
Luna humido elemento dominatur. 90.
Luxus nostrorum in secunda mensa fructibus ornanda. 30.

M.

Macies. 99.
Male formati quibus rebus lædantur. 3.
Mane peracta ventris concoctione surgendum est. 22.
Mare quandoque tentare non est inutile. 7.
Medicamenti lenitivi in febribus tempus, & utilitas. 266. a medicamentis temperandum, si per dejectionem fit crisis in febribus continuis. 278.
Medice vivere est misere vivere. 3.
Medico noscendæ sunt hominum proprietates. 50.
Melancholia. 134.
Melancholici ægre vomunt. 62.
Melancholicis quibus Venus accommodatior. 13.
Melancholicorum historiæ. *ibid.*
Mensa secunda cur intus coacescat. 31. nostri sęculi explodenda est. 20. veteribus usitata. *ibid.*
Menstrua. 192. eorum fluor. 193. retentio. *ibid.*
Meridiandum ante cibum. 22.
Meridianus somnus per pestem fugiendus. 107.
Meridiari quibus tutum sit, & quo anni tempore. 22.
Mesenterii inflammatio, ac tumor. 172.
Migrandum quibus temporibus, ad quæ loca sit. 34.
Mictio cruenta a renibus orta. 183. quæ a vesica cruenta est. 185.
Modicum hyemis frigus. 55.
Modo ruri esse, modo ad urbem redire sanitati convenit. 4.
Modus Veneris aut nimietas quibus notis deprehendatur. 14.
Mœstis extrema frigent. 57.
Molle cubile. 88.
Mola. 191.
Morbi ex desidia orti. 5. acuti & ancipites. 205. acuti & lethales, *ibid.* breves & salutares. *ibid.* longi & ancipites. *ibid.* longi & lethales. *ibid.* difficiles, itemque faciles. 207. singularum ætatum. *ibid.* singulorum anni temporum. 208. qui ab aquilone, qui ab austro. 209. morborum mutuæ successiones. 200. transitiones aliorum in alios. *ibid.* præsagia e cæli sumpta tempestatibus. 208. in morbis ægri vires spectandæ. 232. frigidos parit vinum immodice sumptum. 11.
Motio lenis imbecillis idonea. 26.
Motionis utilitas. 5.
Motu excitatur calor. *ibid.*
Motus confert articulis & carnibus. *ibid.* cruditati inimicus. 19. excrementa corporis pellit. 5. infantibus quoque proficuus. 6. quietisque subita mutatio periculosa. 36. reliquis calefacientibus salubritate præstat. 5. solida firmat. *ibid.*
Mulieribus fluor. 193.
Mulieribus gravidis quando humidus victus inutilis. 46.
Mulsum. 95.
Mutatio omnis paulatim fienda est. 36.

N.

Natura altera consuetudo. 34. ante bona, post vero depravata nunquam est mutanda. 4. appellatur calor naturalis. 49. communis hominum. *ibid.* Mediocrem Seminis quantitatem nobis largita est. 12. melius fert copiam, quam inopiam. 29. optima unde male afficiatur. 2. potens magnos casus superat, invalida parvis succumbit. 78. proprietas arcana dicta. 50. quid. 49.
Naturam corporis ante omnia scire convenit. 48.
Naturarum in vescendo diversitas. 49.
Naturæ gravis vicissitudo edendi mutata. 35. inimicum omne nimium. 36. jucunda. 49. molesta est consuetudo subito mutata. 33. molestus est insolitus victus, seu bonus seu malus. 8. valetudo nunquam potest esse mala. 2.

Naturis omnibus æquo quis aer profit. 20.
Navigantibus vomitus perutilis. 47.
Nauſea & Vomitus ſpontaneus. 99. inanis unde fiat. 62.
Negotiandum non eſt ante exactam ventriculi coctionem. 16.
Negotiis detractis ac ſupra modum comprehenſis naturæ vitiis ſemper in genere largius cœnandum. 11.
Negotioſis hominibus contractius prandium nunquam non convenit. *ibid.*
Nervorum diſtentio. 139. reſolutio. *ibid.* & 152. rigor. 140.
Neutra corpora inter ſalubria & inſalubria media quo pacto regi oporteat. 3.
Noſtri caloris analogia cum ignis flamma. 31.
Noxæ quæ præter morem impranſis accidant. 36. vehementium catharcticorum. 68.
Nutritio quid. 51.

O.

OLera per æſtatem convenientiſſima. 83. qualia hyeme ſalubria ſunt. 80.
Οφθαλμια. 93.
Optima natura vitæ magiſtra. 3.
Optime ſanis natura propria omnia invenit. *ibid.*
Os frigida fatigatis a balneo fovendum. 41. aqua per capitis imbecillitatem fovendum. 93. experrectis eluendum frigida. 22. omnibus pene viſceribus conſentit. 48.
Otio multi perierunt. 5.
Ova magis reficiunt quam frigidæ poculum. 84.

P.

PAlatorum diverſitas. 50.
Panis candidus vitioſus. 80. ex quibus conficitur. *ibid.* quo frumenti genere probatiſsimus. *ibid.* multus per hyemem utilis. *ibid.* quis ſaluberrimus. *ibid.* triplex genus. *ibid.*
Papulæ. 200.
Particulæ imbecillæ maxime proſpiciendum. 54.
Partium imbecillarum prophylaxis. 88.
Partus difficilis notæ. 195.
Patriæ mutatio longos morbos evincit. 4.
Pauperculi non offenduntur pravo cibo propter aſſuetudinem. 36.
Pectoris ſuppuratio. 156. vulnus. 160.
Peracta concoctione mane ſurgendum. 22.
Per peſtem ſomnus meridianus vitandus. 106.
Pericula ſeminis juſto diutius retenti. 12.
Peripneumonia. 149.
Peritonæi dolores. 169.
Peſte graſſante peregrinandum, navigandumque eſt. 106. ſæviente vomitus & dejectio inutilia. *ibid.*
Peſtem difficilem Auſtri invehunt. 107.
Peſtilentia quando fiat. 20.
Peſtilentiæ optimum remedium fuga. 34.
Peſtis arcendæ ratio in duobus conſiſtit. 105.
Phagedena. 202.
Phrenitis. 134.
Phtiſi obnoxios ſupra ne purgato. 63.
Picatio. 55.
Picrocholorum ſigna. 62.
Pila aliis exercitationibus prævalet. 24. & armorum meditatio. 97.
Pilæ luſus. 94. prærogativa. 25.
Pituita acida, aut ſalſa exaſperat, dulcis lenit. 66. proprium ventriculi excrementum. 60.
Pleuritis. 145. notha. 148.
Podagra 196. ejus pater Bacchus, nutrix Venus. 13.
Polybo Authore vinum meracum largius eſſe bibendum. 19.
Poma acida frigido corpori noxia, calido ſemper utilia. 86. ex ſeſe non ſemper nocent. *ibid.* nocentia abuſus facit. *ibid.* unde noxia veſcentibus. *ibid.*
Pomis quomodo veſcendum. 87.
Pomorum ſuccus facile corrumpitur. 86.
Potio dilutiſsima. 83. exigua. 74. frigida alvo ad fluorem proclivi utilis. 95. quæ conveniat fatigatis. 42.
Potiones quæ & quales febricitantibus dari debeant. 258.
Potus frigidus quomodo frigido Ventriculo ſubveniat. 17.
Præceptum exhibendi cibi. 77. generale omnis exercitationis. 25.
Præcordiis dolentibus frigida cur inutilis. 19.
Præcordiorum dolor. 99.
Prægnantium incommoda. 194.

Præſagia ab excrementis. 215. ex ægri vultu. 211. ex appetentia & cibi faſtidio. 214. ex decubitu corporis. 211. ex dejectionibus. 215. ex inſomniis. 210. ex præcordiis. 211. ex pulſu. 212. ex reſpiratione. *ibid.* ex ſomno & vigilia. 210. ex ſudoribus. *ibid.* ex toto corpore. 211. ex urina. 216.
Prandium an cœna conveniat eſſe liberalius. 10. quale conveniat negotioſis hominibus. *ibid.* quando largius ſumendum. 11.
Pranſis frigus, æſtas, labor vitanda ſunt. 32.
Priapiſmus. 188.
Probe ſanis natura in eodem ſtatu ſervanda eſt. 2.
Proprietas arcana, etiam natura dicta. 50.
Proprietates hominum Medico noſcendæ. *ibid.*
Ptiſaneæ ordeaceæ in febribus eximiæ facultates. 255. ejus præparatio. *ibid.* ejus cremor. 256.
Pueri & ſenes ſolitum laborem ferunt, quo inſolito juvenes frauguntur. 37.
Pueritia. 76.
Pugnantia inter ſe principum partium temperamenta, & valetudini incommoda. 88.
Pulmonis crudum tuberculum. 150.
Pulmonis eryſipelas. *ibid.*
Pulmonis vomica. *ibid.*
Pulmonis vulnus. 160.
Purgare quos oportet. 68.
Purgandi tempore in febribus. 265.
Pus. 203.

Q.

QUadrati nullum non genus motionis facile ſuſtinent. 3.
Quæ catharros moveant. 93. cauſæ doloris colici. 96. corpus refrigerent. 71. noxæ præter morem impranſis accidant. 36.
Quale vinum capiti imbecillo idoneum. 92.
Quatuor humanæ vitæ ætates. 76.
Quibus temporibus ad quæ loca migrandum ſit. 34.
Quies a cibo. 74. ſuſo ventri utilis. 96. concoctionem adjuvat. 16. crudo ructui opitulatur. 19. modica. 55. quid commodi afferat. 4.
Quinam maxime valetudinarii, ac minime vitales ſint. 88. omnium facillime jejunant. 75.
Quomodo Stomachi infirmitas caſtiganda. 99.

R.

RAmex. 228.
Raucitas ceu βράγχος. 93.
Recidivæ præſagia. 207.
Refrigeratio qualis, & quo tempore conveniat febricitantibus. 267. 268. faucium, linguæque in Febribus acutis, 269.
Remedia temere in ſanos ſumuntur quæ ægrotis debentur. 15.
Remedium anceps præſtat quam nullum. 41.
Renum calculus. 181. exulceratio. 183. inflammatio. 180. vulnus. 184.
Res novæ quæ dicantur. 11. quæ per peſtilentiam fugiendæ. 106.
Rigor quid & unde fiat. 102.
Romani obnoxii catharis. 93.
Roſam quid Batavi vocant. 102.
Ructu crudo urgente poſt cibum frigida porrigenda. 18.
Ructui crudo opitulatur quies. 19. frigida quomodo medeatur. 18. frigidæ potio quomodo ſuccurrat. 17.
Ructum quem Celſus hoc loco proponat. *ibid.*
Ructus acidus ab infirmo naſcitur calore. *ibid.* quid & quomodo moveatur. 16. crudus idem quod acidus. 17. quomodo fiat. 18. famoſus. 16. malæ concoctionis index. *ibid.*
Ruſtici cur magis vivaces & ſani oppidanis. 23.

S.

SAnguis naturæ theſaurus. 70. an pueris recte mitti poſſit ſub acuta febri. 233. an ſenibus? *ibid.* an mulieri prægnanti. *ibid.* ſemper mittendus ſi vires reſpondeant. 234. quæ ſi languidiores ſint, paucam detractionem iterare convenit. 235. ſi in ſumma imbecillitate, huic remedio parcendum. *ibid.* quæ ſymptomata ſanguinis miſſionem deortentur. 241. & 242. maturanda miſſio ſanguinis incipiente febri. 243. refellitur contraria Avicennæ ejuſque ſectatorum in hac re opinio. *ibid.* ſanguinis miſſio in febris ſta-

tu repetita periculosa est. 245. rationes quæ remorari debent sanguinis missionem in principio febris. 248. hora qua sanguis recte potest mitti. 248. & 249.
Sanguinis fluxus e naribus quomodo promoveri possit, & profluxuri signa. 277.
Sanguinis sanies. 204. e naribus fusio. 143. e naribus fluxuri signa. 124.
Sani vitiose ab ægris parvo discrimine distant. 2.
Sanis obest consuetudo repente mutata. 35. probe natura in eodem statu est servanda. 2. quibus convenit illud. *ibid.* vitiose cur vivendi libertas parum tuta sit. 3.
Sanitas omnis duabus rebus conservatur. 6.
Sanitati vitiosæ præsens Autoris sententia minime convenit. 2.
Sanitatis ac morbi discrimen. 1. difficilis tutela, quam negotia impediunt. 23. ingens latitudo. 1. vitiosæ duæ notæ sunt. 2.
Sano rectius sensim, ægroto affatim vitium adimitur. 35.
Sanorum duplex ordo. 1.
Sanus homo, qui & bene valet, &c. 2. quis. 1.
Satietas quid noceat, quid nimia abstinentia. 28.
Satyriasis. 188.
Scabies. 197.
Scirrhus. 176.
Securitas animi. 56.
Sedile. 73.
Seminis justo diutius retenti pericula. 12. ejusdem profluvium. 187. mediocrem quantitatem natura nobis largita est. 12.
Senectus ultimus vitæ terminus. 77.
Senes calidis & humidis reficiendi. 53.
Senex eundem laborem solitum melius fert, quam adolescens insolitum. 5.
Senibus quale vinum utile. 54.
Sententia authoris qui intelligenda sit. 8.
Septi transversi vulnus. 161.
Sessione fatigatis quomodo subveniendum. 48.
Sextarius. 65.
Siccitas retentricem vim firmat, humiditas expultricem. 68. semper inutilis. 52.
Sideratio. 199.
Signa effusæ bilis in ventriculum. 38. picrocholorum. 62. profluvii alvi. 125. vomitionis mox futuræ præsaga. *ibid.*
Singulus febricitantium. 269. qualis remedium in febribus acutis. 268.
Sitis citius vino diluto quam pura aqua sedatur. 45.
Sol ardens. 94. inurens extenuat. 57.
Sole capiti exusto quomodo prospiciendum. 47.
Solis ardor quibus nocet. 46.
Solium fervens fatigatis contrarium. 40.
Somni pomeridiani incommoda. 23.
Somnum labor conciliat. 37.
Somnus concoctionem adjuvat. 16. cur a natura animantibus sit tributus. 37. effluvia naturæ sistit, ac proni excrementa accumulat. 10. exsiccatis utilis, vigilia inimica. 38.
Somnus jejunos extenuat. 38. refrigerat. 71. medetur lassitudini. 37. meridianus per pestem fugiendus. 107. nimium brevis aut longus extenuat. 58. plenus. 55. post inediam. 71.
Sopor febricitantis. 270.
Spiritus in mœrore ad cor vadit. 57. quid patiatur per invidiam. *ibid.* vitalis officium in affectibus animi. 57.
Spiratio difficilis. 159.
Stomachi frigidi præsidia. 99. imbecillitas unde contrahatur. 97. infirmi notæ pallor. *ibid.* infirmitas quando castiganda. 99. resolutio. 97. vitia quanti sint. 15.
Stomacho bilioso quid utile. 99. imbecillo idonea auxilia. 97. infirmo quid frigidæ haustum impediat. 99. molestus vomitus. 65.
Stomachus cur studiosis imbecillius. 16. debilis recipit totius superflua. *ibid.* quid. 15.
Strumæ. 200.
Sudantibus ex labore frigida potui data perniciosa. 142.
Sudationes & balneæ gravi tempore vitandæ. 107.
Sudor quis exercitio finem imponat. 27.
Sudor in febri continua. 272.
Sudores quibus per nocturnum somnum sint effusiores. 10.
Sudorum imminentium signa in febri continua; & quomodo promovendi & coercendi. 275.
Sudoris signa. 125.
Sufusio. 141.
Syncope. 161.

T.

TAbes. 158. eadem dorsalis. 184.
Temere, in sanos sumuntur quæ ægrotis debentur remedia. 15.

Temperamenta pugnantia inter ſe principium partium valetudini incommoda. 88.
Temperamentum per occupationes non mutandum. 54.
Temperata cruditati præſidio ſunt. 19.
Temperati omnibus reſiſtunt. 3.
Temperaturam corporis quod animi mores imitantur. 73.
Tempora anni aliter Avicennas atque Græci notavit. 79. Græci quomodo diſtinguant. *ibid.* non voces, ſed cœli tempeſtas facit. *ibid.*
Teneſmus. 167.
Teſticuli inflammatio. 189.
Tonſillæ. 93. & 143.
Tormina. 166.
Tremor, & horror quibus ex cauſis naſcatur. 102.
Triplex vomitivorum differentia. 63.
Triſtitia ac metus quomodo hominem conſumant. 58.
Tumor ſine ſenſu laxus. 200.
Tuſſis. 159. in febricitantibus. 269.
Tutela difficilis ſanitatis, quam negotia impediunt. 23.
Tympania. 39.

V.

VAriando in victu quali moderatione opus ſit. 9.
Varix. 204.
Vehemens exercitatio corporis molem atterit. 59. qualitatum exceſſus contrarium victu exigit. 51.
Vena cubiti maxime opportuna ſectioni per febres continuas. 249.
Venerem quæ ætates bene, quæ male ferant. 12. expulerunt Epicurus, & Democritus. *ibid.*
Veneri exercendæ, quæ tempora captanda. 14.
Veneris modus aut nimietas quibus notis deprehendatur. *ibid.*
Ventriculi proprium excrementum cur pituitoſum. 60.
Ventriculi imbecillitas. 161. inflammatio. 163. vulnus. 172.
Ventriculo inani cur frigida noxia ſit. 17.
Ventriculus & caput citiſſime excrementis per ſomnum opplentur, & quare. 10. firmandus a vomitu. 95. imbecillus ſæpius reficiendus. 97. corporis totius ſuperflua recipit. 92.
Ventris concoctione peracta mane ſurgendum eſt. 22. craſſi copula difficilis, & ſubtilis animi. 12. fuſi maxima commoditas. 67. lubrici remedia. 94.
Venus affectibus pituitoſis utilis. 81.
Venus alios neglecta, alios tentata offendit. 13. autumno non uſquequaque conveniens. 87. cur per noctem tutior. 14. diurna ante cibum exercenda. *ibid.* durante vere ſaluberrima. 83. melancholicis utilis. 13. quibus accommodatior. *ibid.* motuſque omnis alius cruditati adverſatur. 14. nocturna inutilis, quam vigilia, aut ſtudia excipiunt. *ibid.* nutrix Podagræ. 13. per æſtatem nocentiſſima. 87. hyemem non omnino inutilis. 81. podagræ & chiragræ inutilis. 101. quando potiſſime utilis. 87. quibus adverſetur corporibus. 12. rara corpus excitat, frequens ſolvit. 13. utilis ſit quibus. 12. ut nihil æque vires affligit, & quare. *ibid.*
Ver totius victus poſtulat mediocritatem. 81.
Vere dilutius bibendum. 82. nonnullis parcius victitandum eſt. 81. ſæpe utiliter ſanguis mittitur, aut purgatur. *ibid.*
Veſcendi modus atque ordo non ſolum, ſed cibi etiam genus nocet repente mutatum. 36.
Veſica ante exercitationem levanda. 24.
Veſicæ exulceratio. 186. inflammatio. 185.
Viciſſitudo edendi mutata naturæ gravis. 35.
Victum contrarium exigit vehemens qualitatum exceſſus. 51.
Victus contrarius ſit calori & frigori, idque ratione corporis, ætatis, temporis anni. *ibid.* diſſolutior Galeno morbum attulit. 8. duplex genus. 50. humidus quando mulieribus gravidis inutilis. 52. inſolitus, ſeu bonus ſeu malus eſt, naturæ moleſtus eſt. 8. novatus ſubito nocet. 35. totius generalis regula. 54.
Victus partitio in diverſa genera. 251. qualis conveniat febribus continuis. *ibid.* & in ipſo inſtituendo ſpectandum eſt præcipue vicinum robur. *ibid.* & quantum diſtet morbi vigor. 252.
Victus præcepta in febribus quo ad ciborum genus, ac menſuram. 253. & 254. liberalior in incremento febris acutæ. 272.
Vigilia promovet corporis diſſipationem. 10

Vigiliæ febricitantium. 270.
Vigiliæ hominem emaciant. 58.
Vini largius ſumpti incommoda. 29.
Vino pueros ex toto abſtinendos cenſuit Plato. 78.
Vinum dilutum pueris aptius eſt. *ibid.* immodice ſumptum frigidos morbos parit. 11. juſto liberalius ſumptum quid noceat. 29. laſſatis aliquot nominibus utile, aliquot inutile. 45.
Vinum meracum ſenibus accomodum. 70. potens languido cerebro inimicum. 92. quale capiti imbecillo idoneum. *ibid.* expectendum. 95. fugiendum. *ibid.* jecur, lienem, & renes obſtruat. 78. ſenibus utile. 34. quandoque Hippocrates acute febricitantibus indulſit. 100. ſenibus nullum confert, quod non ſit diureticum. 78.
Vires corporis quomodo æſtimari poſſint. 233. vitales, & animales etiam, conſiderandæ ſunt præcipue in acutis morbis. 236. earum bonus index pulſus eſt, ſed interdum falax. *ibid.* naturales in morbis vetuſtis examinandæ. *ibid.*
Virium magnitudo ad ſanguinis miſſionem colligitur ex hominis temperamento. 238. ex habitu. *ibid.* ex ætate. 240. ex anni tempore. *ibid.* ex regione. 241. ex cælo. *ibid.* ex ratione victus, vitæque inſtituto. *ibid.*
Vires nihil æque ut Venus affligit, & quare. 12.
Vita Medici dedita miſera. 32.
Vitæ humanæ ætates quatuor. 76.
Vitioſe ſani ab ægris parvo diſcrimine diſtat. 2. ſanis cur vivendi libertas parum tuta ſit. 14.
Vitiligo. 197.
Volvulus. 167.
Vomendum cur hyeme. 61.
Vomentis cujuſdam pituitam hiſtoria. 65.
Vomitionis ſigna mox futuræ præſagia. 62.
Vomitivorum triplex differentia. 64.
Vomitus. 162. alimento intus corrupto aut corrumpendo utiliſſimus. 44. antiquis per hyemem frequens. 61. cœlum mutanti utilis. 63. conducibilis a cœna. 95.
Vomitus convenientior quando. 61. quomodo provocandus, quæque ſigna eum antecedant in ſtatu febris continuæ. 277. cur compreſſum ventrem ſolvat. 74. debile caput offendit. 92. & dejectio ſerviente peſte inutilis. 106. inutilis frigidis pariter & humidis. 62. maturus ſaluberrimum remedium temulentiæ. 44. moleſtus ſtomacho. 65. navigantibus perutilis. 47. pleno quam vacuo promptior. 47. quare utilis. 62. quibus noxius. 63. utilis. 61. quid & quomodo fiat. 63. rejectus temere ab Aſclepiade. 59. ſalutaris iis, qui hunc præter morem neglexerunt. 63. ſecunda in valetudine quoque ſæpe neceſſarius. 64. totum etiam corpus vacuat. 60. unde & quæ vacuet. *ibid.*
Unctio. 55. & 70. fatigatis utilis. 41. lenis lubrico ventri utilior. 95. ſub gravi cœlo utilis. 166.
Unctiones ad quæ conferant. 7. ſaturis officiunt. 39.
Urina alba & rufa quid ſignificent. 21.
Urina colamentum ſanguinis. 20. quomodo cieri poſſit, & purgationis per veſicam futuræ in ſtatu febris continuæ ſigna. 278. optima quæ. 21. putridis in febribus eſt ſpectanda. *ibid.* quomodo a ſanguinis maſſa diſcernatur. *ibid.* ſuper hepate ac venis ſignificat. 20.
Urina bonitas ex proba Hæmaroſi. 21. color pallidus. *ibid.* rufus probæ concoctionis index. *ibid.* colorem qualem Celſus album dixit qui cœptæ concoctionis index eſt. *ibid.*
Urinæ difficultas. 187. fluor. 184. incontinentia. 187. retentio. 186. ſtillicidium. 187.
Urinam bilis colorat. *ibid.*
Uteri aſcenſus & deſcenſus. 191. convulſio. 192. exulceratio. 190. hydrops. 191. inflammatio. 189. inflatio. 191. ſcirrhus. *ibid.* ſtrangulatus. 192.
Utilitas motionis. 5.
Utrum cœna an prandium conveniat eſſe liberalius. 10.
Utrum frigus, æſtas, labor magis nocent quam pleno noceant. 32.

FINIS.